



THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

1978

1. *[Faint, illegible handwriting]*

2. *[Faint, illegible handwriting]*

3. *[Faint, illegible handwriting]*

4. *[Faint, illegible handwriting]*

5. *[Faint, illegible handwriting]*









DE IMPVTATIONE
PRIMI PECCATI
ADAMI
IOSVE PLACÆI

IN ACADEMIA SALMVRIENSI

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

DISPVATIO.

*IN QVA SYNODI ECCLESIARVM IN GALLIA
Reformatarum Nationalis, Carentoni propè Lutetiam anno
1645. habita, de illo Argumento Decretum explicatur & de-
fenditur. At PLACÆI cum illo Decreto summus per omnia
consensus demonstratur.*



SALMVRII,
Apud IOANNEM LESNERIVM.

M. DC. LXI.

DEPARTMENT OF
LITERATURE
UNIVERSITY OF TORONTO

THE UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
130 St. George Street, Toronto, Ontario
M5S 1A5



UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY
130 St. George Street, Toronto, Ontario
M5S 1A5

14A07601

INDEX CAPITVM

HVIVS SCRIPTI.

PARTIS prioris quę continet explicationem & defensionem
Decreti de imputatione primi peccati, sunt XII. Capita.

- Cap. I. Explicatio & defensio Decreti. pag. 1.
Cap. II. *eo Decreto non esse damnatam Placai sententiam septem
argumentis probabilibus ostenditur.* pag. 4.
Cap. III. *Idem probatur argumentis necessarijs.* pag. 14.
Cap. IV. *Decretum Synodi, atque adeo Placai sententia expo-
nitur.* pag. 7.
Cap. V. *Distributio dicentorum.* pag. 31.
Cap. VI. *Non aliam Imputationem primi Ada peccati, quam
consequentem seu mediatam Argumenta Clariss.
D. Marefij probare.* pag. 33.
Cap. VII. *Si quam imputationem primi Ada peccati probant
Argumenta D. Gariffoli, eam non nisi media-
tam seu consequentem esse.* pag. 43.
Cap. VIII. *Argumenta D. Gar. ex Rom. Cap. V. versibus
14. 15. 16. 17. 18. 19. expenduntur.* pag. 91.
Cap. IX. *Declaratio doctrinae de Imputatione primi peccati, Ex
Heb. cap. 7. vers. 9. 10. de decimatione Leui in lum-
bis Abrabae vocatur ad examen.* pag. 103.
Cap. X. *Imputationem primi Ada peccati actualis antecedentem
seu immediatam nulli rationibus astrui posse.* pag. 104.
Cap. XI. *A Pelagianorum, Socinianorum, & Remonstrantium in
hoc negotio sententia, Placeum esse alium.* pag. 130.
Cap. XII. *Imputationem antecedentem seu immediatam non esse
probatam argumentis Dom. Daubuz.* pag. 137.

Partis posterioris quę cōtinet Manuscriptū posterius siue exa-
mē tractatū singularis de peccato originali, &c. Cap. sunt XIV.

- Cap. I. *Capita doctrinae de Peccato originali de quibus inter nos
conuenit.* pag. 153.
Cap. II. *Status Questionis.* pag. 158.

Eng. & E. Pallavicini 25 July 38 Norman

- Cap. III. *Observata quaedam in primo & secundo Capite Tractatus, & alia laudata, alia refutata,* pag. 186.
- Cap. IV. *Rursus quaedam observata & reprehensa in eodem*
Cap. II. pag. 190.
- Cap. V. *Examen Cap. III. In quo disquiritur, Quid sit imputari vel non imputari peccatum.* pag. 213.
- Cap. VI. *Examen Cap. IV.* 216.
- Cap. VII. *Examen trium similitudinum, quibus imputatio primi peccati Adami illustratur eodem Cap. IV.* pag. 250.
- Cap. VIII. *Responsio ad argumenta quae pro Imputatione peccati Actualis Adami ducuntur ex Veteri Testamento*
Cap. V. pag. 297.
- Cap. IX. *Responsio ad Argumenta, quae pro primi peccati actualis immediatâ omnibus hominibus imputatione ducuntur è Novo Testamento.* pag. 313.
- Cap. X. *Responsio ad Argumenta, quae pro immediata imputatione peccati actualis Adami ducuntur ex Rom. 5. vers. 21. & sequentibus.* pag. 357.
- Cap. XI. *Respondetur ad Patrum loca, quae pro imputatione primi peccati Actualis adducuntur Cap. VI.* pag. 407.
- Cap. XII. *Non posse ex Confessionibus Ecclesiarum Reformaturarum imputationem illam primi peccati Actualis elici.* p. 425.
- Cap. XIII. *Imputationem Immediatam seu Antecedentem alienam fuisse ab eorum doctrina, quorum opera Deus potissimum usus est ad Ecclesiam Reformandam.* pag. 451.
- Cap. XIV. *Respondetur ad Cap. VIII. & ostenditur Ecclesiam Romanam non consensisse in illam imputationem.*

DECRETI SYNODI NATIONALIS
CARENTONII AD MATRONAM
sub finem Anni 1644. & initium An. 1645.
congregatæ.

NEC-NON

SENTENTIÆ IOSVE' PLACÆI,
illi Decreto consentaneæ,

DE IMPVTATIONE PRIMI AD Æ PECCATI,
EXPLICATIO ET DEFENSIO.

CAPVT PRIMVM.

DECRETVM SYNODI.

Decretum Synodi sic se habet, vertente è Gallico
in Latinum Sermonem D. Garissolio, in Eccle-
sia & Academia Montalbanensi Verbi Dei Ministro &
SS. Theologiæ Professore.

Cum relatum fuisset ad Synodum, scripta quæ-
dam, alia typis evulgata, alia manu exarata pro-
diisse, quæ totam rationem peccati originalis solâ cor-
ruptione hereditaria in omnibus hominibus inherente
definiunt, & primi peccati Adæ imputationem negant:
Damnauit Synodus doctrinam ejusmodi, quatenus
peccati Originalis naturam ad corruptionem heredi-

sariam posterorum Ad eam restringit, ut imputationem excludat primi illius peccati, quo lapsus est Adam: Ad eòque censuris omnibus subijciendos censuit Pastores, Professores, & quoscumque alios, qui in hujus quaestionis disceptatione à communi sententia recesserint Ecclesiarum Protestantium, quae omnes haecenus & Corruptionem illam, & Imputationem hanc in omnes Adami posteros descendentem agnouerunt. Sed & illud eadem Synodus omnibus Colloquijs & Synodis Prouincialibus iniungit, ut quos Theologiae candidatos ad sacrum ministerium euehendos curauerint, ij iubeantur huic Decreto Chirographum suum subscribere.

HOC Decretum, etiam ab ipsis Synodis Prouincialibus, variè acceptum est. Quibusdam enim placuit illud executioni mandari: Alijs verò visum est iudicium suum sustinere, illiusque Decreti executionem vsque ad alteram Synodum Nationalem suspendere. Fuere ex pastoribus & priuatis hominibus, qui illud ut necessarium, ut æquissimum, ut verissimum exoscularentur: Non defuere contra, qui illud, ut nouum, ut non necessarium, ut nimis festinanter, re haud satis pensitata, Synodisque Prouincialibus inconsultis factum, immò ut minus Dei verbo consentaneum rejicere auderent.

Interim disseminatus est rumor per totam Galliam, isque etiam ad exterarum nationes permanuit, eo Decreto damnatam fuisse Placem de imputatione primi

Adæ peccati sententiam, quem illi, qui animo erant A-
 cademiæ Salmuriensi minùs beneuolo, auidè arripue-
 runt, famamque Placei tanquam *πρεσβύτερος* à Synodo
 Nationali conuicti & damnati, varijs cum sermonibus
 tum scriptis, imò libris typis excusis, expressioque etiam
 in quibusdam ejus nomine, dilacerarunt. Vnde natum
 est apud multos infirmos graue scandalum, & studio-
 forum SS. Theologiæ ingens perturbatio, magnum
 vulnus Academiæ Salmuriensi illatura, nisi Synodi
 quædam Prouinciales medicinam adhibuissent in tem-
 pore. Placeus enim sibi in hac causa ferè defuit, nihil-
 quæ præter manuscriptum illud composuit, quod D.
 Garissolius *Manuscriptum posterius* appellauit. Nimi-
 rum bonâ conscientia & veritate, cujus Deus opportu-
 no tempore vindex est, fretus, rem totam ejus prou-
 dentia, & Synodo Nationali proximæ committendam
 putauit; hortantibusque amicis sese potius ad confu-
 tandos Socinianos, & diuinam Domini nostri Iesu
 Christi essentiam demonstrandam conuertit. Sed po-
 tuit meâ quidem sententiâ vtrumque facere, & pro di-
 uina Domini nostri natura propugnare, & famæ suæ
 Academiæque Salmuriensi, præsertim apud exteras
 gentes, libello aliquo edito consulere; Ac, nisi fallor,
 debuit: potuit enim explicatione sententiæ suæ om-
 nem ab ea reprehensionis maculam abstergere, conser-
 uata Decreti Synodici autoritate illibata: reuera enim
 cum eo non pugnat, immò congruit magis quàm eorum
 opinio, qui eam oppugnant; ac propterea vt videri
 posset & à Synodo damnata, & ab ipsis confutata, eam
 quia vel non intellexerunt vel intelligere noluerunt, a-
 dedò immutarunt, vt in oppositam transformauerint.
Id quod nisi faciam luce meridiana clarius, non recu-

so quin pro mendace & calumniatore habear.
 Cùm igitur videam & Synodum Nationalem de anno in annum differri, cupientesque quasi fugere, civili bello quòdminùs conuocari possit jam ab aliquot annis obstante, & interim quibusdam in locis seueriùs cum SS. Theologiæ studiosis agi, & exteris gentes à libris Placei, tanquam ab hæretico autoritate Synodi nationalis damnato conscriptis, abhorrere, & permultos cognoscere quæ sit Placei sententia vehementer cupere: putauit me consulturum veritati & gloriæ Dei, ædificationi & paci Ecclesiæ, honori Synodi Nationalis, famæ Academiæ Salmuriensis & Placæi, consolationi studiosorum Theologiæ, necnon operis quod pro diuinitate Domini nostri Placeus inchoauit, continuationi, si ostendero, nec damnatam esse à Synodo Placei de imputatione primi Adæ peccati sententiam, nec eam talem esse, qualem hæctenus plerique omnes sunt opinati. Ita, nisi vehementer fallor omnis ista de imputatione peccati Adamici controuersia, etiam antequam conueniat Synodus Nationalis, extinguetur, id quod à Domino nostro Iesu Christo, cujus ope fretus hoc opus aggredior, vehementer opto & spero.

CAPVT II.

EO Decreto non esse damnatam Placei sententiam septem argumentis probabilibus ostenditur.

EO Decreto damnatam non esse Placei sententiam multis argumentis partim valdè probabilibus, partim planè necessarijs probare possum.

Primum

Primùm enim de primi peccati, quo Adam lapsus est imputatione nullum ante Synodum illam Nationalem scriptum à Placeo prodierat, præter Theses de statu hominis lapsi ante gratiam disputatas publicè mense febr. An. 1640. quinquennio antè quàm illud Decretum fieret, eodemque anno ad eos omnes Pastores missas, qui in finitimis Prouincijs librorum edendorum examini præfeci erant: Atque etiam ipsi Synodo Pictonum, quæ eodem anno Castro eraldi habitâ est, oblatas Placei nomine à Clariss. ejus Collega D. Amyraldo ad eam Synodum ab Andum Prouincia delegato. De illis autem Thesisibus toto illo quinquennio nemo litem Placeo mouerat, nemo eum accusauerat, neque causa ista vlllo modo vel in Senatu Academia, vel in presbyterio Ecclesiæ, vel in Andum Synodo, cui ipse subest, vel (quantum ante Synodum illam Nationalem rescire potuit) in vlla alia Synodo agitata fuerat. Itaque sub Clypeo Art. xxxi. Cap. V. Disciplina Ecclesiasticæ quam viginti septem Synodi nationales comprobauerant, necnon Decreti Synodi Nationalis Alençonij conuocatae An. 1637. prohibentis ejusmodi de doctrina accusationes ad Nationalem immediatè deferri, ac jubentis antè & admoneri eum qui accusandus videretur, & causam in ea Synodo Prouinciali cui subijcitur cognosci & disceptari, securus dormiebat. Accusari enim se in Synodo Nationali non posse intelligebat, nisi violatis illis Decretis, quæ apud omnes Pastores & Synodos Prouinciales putabat sacro-sancta & inuiolata esse debere. Cùm igitur verissimile non sit tanta quemquam, præsertim Pastorem, cupiditate, ne dicam pruritu, Placeum, à quo nullo modo læsus fuerat, accusandi, vt maluerit sciens prudens, tam veneranda Decreta vio-

lare, quàm ab accusando sibi temperare, verissimile etiam non est, Placeum fuisse à quoquam accusatum, qui si non est accusatus, profectò damnatus non est.

Frustra quis reponat, *Aliquando contingere, ut necessarijs de causis ab ordine semel constituto discedere debeant, qui ordinem posuerunt.* Quinam enim ordinem illum posuerant? quinam Decreta illa condiderant? Synodi Nationales. Fuitne ergo Synodus Nationalis Placei accusatrix? Annon si accusatus est, aut ab aliqua Synodo Prouinciali, aut ab aliquo Synodi Prouincialis delegato accusatus est, neutro ordinis illius autore, vtroque Synodi Nationalis autoritati & Decretis subiecto? Deinde qui ordinem posuerunt ab ordine semel prudenter constituto non discedunt nisi *necessarijs de causis.* Quænam igitur causæ necessariæ discedendi ab ordine tam sapienter instituto, & violandi Decreta tam æqua tamque necessaria fuerunt? frustra eas requiro. Nullæ apparent. Fortè *Succrescenti malo ita occurrendum fuit.* Cui malo? Placei sententiæ? In ea duo: id quod credit, & id quod non credit. Quicquid credit, id ipsum quicumque non sunt Pelagiani aut Semi-pelagiani crediderunt semper. Quod non credit, id neque vlla publica autoritate firmatum est vnquam, neque ab eo reijcitur, nisi quia nouum est, & à Dei verbo, à Doctrina Ecclesiarum protestantium, à recta ratione alienum. Itaque ab ea rejectione nihil fuit metuum dum mali.

Sed fac malum fuisse cui esset occurrendum. Num ei fuit ita occurrendum, vt violarentur illæ leges, illa decreta, quibus Synodi Nationales sapientissimè præscripserant, quomodo tali malo, si quando oriretur, esset occurrendum? Quid, quòd præpostera illa occurrendi

ratio magis ad malum illud augendum, quàm ad tollendum, accommodata fuisset? Cum enim Deus sit Deus ordinis, & velit omnia fieri in Ecclesia secundum ordinem & decenter, accusatio fratris à fratre ordinem in Ecclesia Dei rectè constitutum violans probabilius perturbationi alicui humanæ quàm Dei spiritui ascribi potuisset, & quantas Placeo opportunitates querendi, ac sententiam suam defendendi & propagandi attulisset si vti occasione voluisset?

Quænam igitur tandem necessaria causa fuisset violandi ordinem tanta autoritate & sapientia positum? Respondebit fortè aliquis, *Exclusos fuisse per angustias temporis qui rem ad Synodum nationalem detulerunt, quominus postea constitutioni obtemperare possent.* Scilicet per angustias quatuor aut quinque annorum non licuit accusatoribus expostulationes suas ad Synodum Andum deferre. Sed enim *Septembri demum mense habita est in Occitania superiori ea Synodus, in qua primum expositum est hoc negotium & verò proximo Decembri convocandus erat Carentonij nationalis conuentus: Esto.* At primò cur expectata est illa Synodus Prouincialis Nationali proxima? Cur in præcedente aliqua expositum non est hoc negotium? Excusari non potest thesium Placei in ea prouincia ignoratio. Nam & quinquennio antè, vt dixi, vulgatæ fuerant, & missæ ab ipso Placeo ad D. Delonum Ecclesiæ Montalbanensis Pastorem. Cur igitur tandiu dilata est Thesium illarum accusatio, siquidem sunt accusatæ? Deinde cur saltem toto illo trimestri, quod inter Prouincialem illam Synodum & Nationalem interfluxit, scriptum non est ad Placeum, vt saltem aliqua ex parte ordini satisficeret. Cur non est admonitus de errore? Cur

ab eo petita non est clarior opinionis explicatio? Cur saltem de futura illa accusatione non est aliquid vel ad ipsum, vel ad Senatum Academicum, vel ad Ecclesiam Salmuriensem per scriptum aut aliqua alia ratione significatum? Potest enim sanctè iurare se nihil quicquam de futura illa accusatione inaudiuisse, nisi nescio quid ex incerto rumore; & quidem cum ferebatur Synodus nationalis aut jam soluta, aut mox soluenda. Nam neque antequam coiret, neque illa durante verbum vllum de futura illa accusatione à Synodi superioris Occitanix delegatis aut ad ipsum Placeum, aut ad ejus Collegas qui tum Salmurijerant, scriptum est. Quod quo pertinere potuisset, nisi vt Placeus absens, incautus, inscius accusaretur & opprimeretur? Id autem de Synodo illa Prouinciali, deque ejus legatis suspicari, nedum credere, nonne tibi, pie lector, religio est?

Huic argumento aliud non minùs probabile subnectam. Si Placeus apud Synodum nationalem accusatus fuisset, nonne Synodus eum ad se vocari & citari curauisset? Quis enim eam voluisse credat, pastorem, professorem Theologiæ, integræ eousque famæ, viuentem, absentem, inauditum, nec priùs citatum, aut saltem de accusatione admonitum *κακοδοξίας* damnare, cum magno multorum infirmorum scandalo, ac misterij ipsius, necnon Academiæ cui inseruit damno? Atqui eum Synodus illa nullo modo, neque directè, neque indirectè citauit aut citari curauit, cum tamen id per ordinariùm tabellarium qualibet septimana bis terue fieri facillimè posset.

Reponet fortè aliquis, nihil opus citatione fuisse, quoniam *in illo iudicio non personæ in discrimen, sed doctrinæ duntaxat ad examen vocabantur*. Quid audio? Non

vocabatur in discrimen pastoris & professoris Theologiae fama, quæ ipsi debet esse ipsa vita carior? Non vocabatur in discrimen ejus ministerium, cujus efficacitati obesse nihil magis potest, quàm si erroris momentosi in causa religionis damnatus à Synodo Nationali existimetur? Non subijciebatur ejus persona censuris omnibus, si quidem eo decreto ejus doctrina damnabatur? Non judicabatur pastoris & professoris Theologiae munere priuandus, si quidem eo decreto studiosi Theologiae ob eius errorem à sacro verbi Dei ministerio excludebantur?

Dicet fortè etiam aliquis, ad fuisse inter omnes eximium, doctrina percelebrem & eloquentia, Placei Collegam, qui eius, quàm ipse, sententiam multò meliùs & eloquentiùs apud Synodum defenderet. Aderat is quidem, eiusque dotes Placeus & admiratur & colit, & in parte foelicitatis suæ ponit talem habere Collegam. Sed neque cum eo de quæstione illa contulerat vnquam, neque aliam ab eo in Synodo defensionem sperabat, nisi vt, si accusaretur, intereederet, quominus absens & inauditus condemnaretur. Quare si Placei causam suscepit apud Synodum orandam, id præter Placei mentem euenit, eiusque in collegam benevolentiaë ascribendum est, neque Synodum impedire debuit, quominus ipsum Placeum, si quidem nominatim accusabatur, citaret. Is enim, cùm ejusmodi accusationem ordini in Ecclesia constituto repugnantem diuinare, à nemine admonitus, non posset, neque sibi in Synodum veniendum putauerat, neque alium rogandum, vt pro se respondere, causamque suam apud Synodum tueri vellet. Porrò si eius causam Clarissimus Collega suscepit, cur coactus est defensor ac-

cusatoris loco , hoc est, primo verba facere ? Cur dein-
de postquam accusator dixit, respondere objectaque
argumenta & testimonia diluere defensori permissum
non est ? Quis vnquam audiuit rei accusati aduocatum
(si tamen aduocatus dicendus est qui , reo inscio &
accusationis prorsus ignaro , causam eius suscipit)
priorem orare debere, postquam autem accusator ora-
uit, respondere non debere ?

Attamen ille *solutâ subtilitate, solitoque sermonis splen-
dore coram venerando Confessu suam & ἰσοψηφῶν causam pu-
blicè per bihorium egit.* Suamne egerit necne, ipse vide-
rit. Placei certè causa tantillo spatio agi non potuit.
Potest enim pro sua causa tot argumenta, tot testimo-
nia afferre, vt eis leuiter attingendis, nedum explican-
dis & ab exceptionibus vindicandis bihorium vix pos-
sit sufficere. Immò nescit an vel unum argumentum
possit tam breui tempore, vti par est, expendi ac diju-
dicari. Solet enim ipse in vno argumento exami-
nando non rarò plures horas, immò dies ponere, sua
ipfius experientia edoctus quod primo aspectu, aut le-
vi adhibito examine verum apparet, nonnunquam
tandem accuratiùs inspectum falsum esse cognosci.
Sed pergamus, tertiumque addamus argumentum.

Nonne Theses Placei, si accusatæ apud Synodum
Nationalem fuissent, ei Synodo exhiberi, eaque au-
diente legi, & rationes omnes quibus opinionem suam
Placeus breuissimè quidem, sed tamen, ut ipse putat,
inuictè probauit, sigillatim & diligenter expendi de-
buissent ? Atqui id in ea Synodo factum non esse cer-
tissimum est. Non fit igitur verisimile, fuisse, aut ac-
cusatas illas theses, aut saltem ita accusatas vt sint
damnatæ. Enimuerò cur damnatæ fuissent Theses

quæ fortiter communes aduersarios oppugnabant, vel expugnabant potius, Socinum, Pelagium, Pighium, cum separatim thesibus primis quindecim, tum coniunctim sequentibus?

Succurrit etiam argumentum quartum. Nam si Synodus damnare Placei opinionem suo illo Decreto voluisset, num illa, qua erat prudentia, locis Scripturæ & argumentis, seu numerum, seu robur spectes haud quaquam contemnendis, quibus ille suam opinionem confirmauerat, contenta fuisset nudum Protestantium consensum, quasi oblita Art. V. Confessionis fidei, quam suo calculo ipsa recens comprobauerat, opponere, & tanquam regulam fidei ac fundamentum suo illi Decreto substernere? Hoc mihi quidem certè non fit verisimile.

Sed neque mihi etiam verisimile videtur, Synodum prudentissimam, inconsultis Synodis Prouincialibus una sessione definire voluisse controuersiam momentosam, in nulla vnquam alia Synodo antea agitatam, aut decisam. Id enim cum experientia periculosum esse docuit, tum abhorret à consuetudine Synodorum nationolium, quæ de rebus longè minoris momenti pronunciare tutum sæpè non censuerunt, nisi consultis prius omnibus prouincijs: adeò vereri solent, ne vel potestate sua abutantur, vel eâ cum cuiusquam infirmi scandalo minùs circumspectè vtantur. Attamen id fecit, si Placei sententiam suo illo decreto damnauit. Nam neque prouincias consuluit, & vna Sessione res confecta est, & ea peccati Adamici imputatio, quam Placeus thesibus suis rejecerat (non enim omnem rejecerat) nulla vnquam Synodo, nulla vnquam publica autoritate fuerat confirmata. Quis igitur

tur credat sapientissimam Synodum talem imputationem tanta cum festinatione definire voluisse, atque ad eam credendam & docendam omnes Synodos Provinciales, omnia colloquia, omnes Pastores & Professores, omnes sacri Ministerij candidatos, omnium censurarum metu incusso obligare?

An etiam ille ipse qui Placeum accusasset, accusatoris partes strenuè egisset oratione præmeditata, magno apparatu, multa eloquentia, magna vehementia, calens adhuc ab illa accusatione, ac sanguine commoto, nulla responsione, nulla mora interposita, Iudex in illa causa sedisset, præsesque sententias rogasset? Num id passura fuisset æquissima Synodus, si in eo iudicio de doctrina, de fama Pastoris & professoris Theologiæ actum fuisset, præsertim absentis, nec citati, nec vlla vnquam censura notati? id certè non est verisimile.

Multum abest Placeus vt probet, vel imitari velit morositatem Remonstrantium coram Synodo Nationali respondere detrectantium, magnamque ex ea partem delegatorum submoueri postulantium. Nam si etiam apud infensissimos iudices ratio fidei nostræ reddi potest & debet, & ab ipso Christo, eiusque Apostolis & martyribus reddita est, quanto magis apud Synodum ex fratribus constantem ac legitima magistratus autoritate conuocatam reddi potest & debet? Si qui Remonstrantes antè accusauerant, aut sententiam suam declarauerant, illi censendi erant sumpta delegatorum ad Synodum Nationalem persona, atque religione iurisiurandi interposita, affectus & præiudicia posuisse. Illud vnum vrget Placeus, quod est ab illa ipsa Synodo Dordrachtena sanctè affirmatum, *Neminem posse in iudicio eodem, ejusdemque causa defensor*
rem

rem esse pariter & Iudicem. Sess. 26. pag. 144. Edit. Gall.

Num etiam Syttodus illa prudentissima Placeum, si quidem eum erroris momentosi damnatum voluisset, fuisset, vt antea, & SS. Ministerio in Ecclesia, & S. Theologiæ professione in Academia Salmuriensi fungi, nulla adhibita vel ob præteritum censura, vel in futurum cautione? Non curauisset eum ab aliquo Pastore de errore priuatim aut publicè admoneri, vt ab eo, si fieri posset, reuocaretur? Non iussisset saltem Andum Synodum cum eo agere, ne pergeret turbare Ecclesiam Dei? An etiam putasset Synodus sua vnus autoritate metienda esse Religionis dogmata, & adducta à Placeo Scripturæ loca & argumenta præponderari? Absit vt de ea id credamus, quod in Ecclesia Romana, vt tyrannicum, ab omnibus Protestantibus tantopere damnatur. Ipse sibi Placeus indignus videretur qui pro reformato haberetur; si pluri faceret vnus Synodi nudam autoritatem quàm Scripturam & deprompta ex Scriptura argumenta, quamdiu ei apparent insolubilia. Dedisset igitur certè operam Synodus, vt ab aliquo, cum argumenta Placei soluerentur, tum ea, quibus mota Synodus Placei sententiam damnauisset, exponerentur, vt & iudicii sui æquitas pateret & conscientias patefactione veritatis potius persuadere quàm fidei dominari videretur. Quandoquidem igitur nemo eorum qui Synodo illi interfuerunt, nemo eorum iussu vel hortatu vllum cum Placeo verbum siue viua voce, siue scripto habuit, quo eum à sententia dimoueret, aut eius argumenta dilueret, aut contraria proponeret, annon eo satis aperte significatum est, non esse Decreto illo Synodali Placeum damnatum?

Huc accedit quod Placei nomen abest à Decreto, cur, si Placei nominatim accusati doctrina damnabatur? Aut enim damnasse Placei sententiam Synodus videri voluit, aut noluit. Si voluit: cur eius nomen non expressit? Si noluit, à Synodi mente illi abeunt, quibus eam damnasse videtur.

CAPVT III.

Idem probatur argumentis necessarijs.

SVperiora argumenta, vt ego arbitror, valdè probabilia fuerunt sequuntur necessaria. Primùm enim quì damnari sententia Placei in ea Synodo potuit, in qua non est proposita vel exposita? Atquì non est in illa Synodo nationali exposita quæ fecit illud decretum. A quo enim fuisset exposita, nisi ab eo, à quo fuisset accusata? Si quis autem eam accusauit apud Synodum, is fuit D. Garissolius Synodi illius præses. Is autem quomodo eam vti est exponere tunc potuisset, qui, ne quidem quadriennio post, eam qualis est proponere potuit? Certè in sua Decreti Synodici explicatione & defensione is Placeo sententiam tribuit, quam Placeus non agnoscit, quæque cum illis verbis apertè pugnat quibus mentem suam Placeus exposuerat cum datis ad eum literis, tum in eo manuscripto quod ei posterius appellare placuit, vt suo loco faciam sole meridiano clarius.

Ad hoc argumentum aliud accedat ex eo ductum quod ad se relatum fuisse Synodus ipsa testatur. *Cum relatum*, inquit, *fuisse ad Synodum scripta quadam, alia*

typis euulgata, alia manu exarata prodiisse, quæ totam rationem peccati originalis sola corruptione hæreditaria in omnibus hominibus inhærente definiunt, & primi peccati Adæ imputationem negant. Illis enim verbis aut exposita non est Placei sententia, aut malè exposita est. Is enim primi peccati Adæ imputationem nunquam simpliciter negavit, nunquam negatam voluit. Negavit tantum certam quandam peccati illius imputationem. Cùm igitur imputationem primi illius peccati quandam affirmet, quandam neget non exponitur eius sententia, si dicitur simpliciter & nulla distinctione adhibita primi peccati Adæ imputationem negare.

Tertium argumentum nobis suppeditat Synodi sententia damnatoria, *Damnat Synodus doctrinam eiusmodi, quatenus peccati originalis naturam ad corruptionem hæreditariam posterorum Adæ ita restringit, ut imputationem excludat primi illius peccati quo lapsus est Adam.* Illis enim verbis non damnat Synodus simpliciter eos, qui peccati originalis naturam ad corruptionem hæreditariam restringunt, sed qui ita restringunt ut excludant imputationem primi illius peccati quo lapsus est Adam. Atqui Placeus nunquam peccati originalis naturam ad illam corruptionem ita restrinxit, ut imputationem excluderet primi illius peccati quo lapsus est Adam. Placeus igitur non est Synodi sententiâ damnatus.

Hoc confirmant verba quibus Clar. D. Garissolius in Epistola sua dedicatoria ad Ecclesiarum & Academiarum Tigurinæ, Bernensis, Basileensis, Scaphusianæ præsides sententiam Synodi expressit pag. 13. ait enim Synodi consultum factum esse, *quo eorum sententia condemnatur, qui rationem originalis peccati in sola natura corruptione ita constituent, ut nullam primæ Adami*

inobedientiæ imputationem agnoscant. Atqui Placeus rationem originalis peccati in solâ natiuâ corruptione non ita constituit, vt nullam primæ Adami inobedientiæ imputationem agnoscat : agnoscit enim aliquam. Cum igitur nullam agnoscere, & aliquam agnoscere, contradictoriè opponantur, perspicuum est eo Synodi consulto Placei sententiam non esse damnatam.

Idem etiam sonant verba Exscripti ex actis Synodi Montalbani habitæ Octobri mense Ann. 1645. quod D. Garissolius libro suo præmisit. *Perlectum est Decretum Synodi Nationalis Carentonensis, quæ eorum doctrinam damnatur, qui primum Adæ peccatum docent posteris nequaquam imputari.* Atqui Placeus non docet primum Adæ peccatum posteris nequaquam imputari. Immo contrâ docet imputari, imputatione nimirum mediata seu consequente, quam ipse Dominus Garissolius fatetur se agnoscere. Doctrina igitur Placei non est eo Decreto damnata.

Hoc ipsum ex Synodi Nationalis testimonio colligi potest. Testatur enim *omnes Ecclesias, Protestantes, & corruptionem illam, & imputationem hanc in omnes Adami posteros descendantem agnouisse.* Id quod de illa imputatione primæ Adami inobedientiæ quam Placeus credit & docet, verè dicitur : de illa verò quam negat, non item. Vnde enim sciri potest Ecclesiarum, Protestantium sententia, nisi aut ex fidei confessionibus, aut ex decretis Synodicis, aut ex eorum libris quorum opera Deus vsus est ad reformandam Ecclesiam suam? Atqui ex eiusmodi Confessionibus, Decretis, & libris nulla imputatio vniuersaliter agnita colligi potest, præteream vnâ, quam Placeus agnoscit. Hanc igitur vnâ qui negant, eos, non autem Placeum, Synodus damnat.

Præterea Synodus omnes Pastores & Professores Imputationem hanc de qua loquitur negantes omnibus confuris subijciendos censet, quo significat se talem imputationem intelligere, quæ sit dogma religionis momentosum, & creditu necessarium. Id quod de imputatione quam Placeus negat verè dici non potest sed de ea tantum quam ille probat, & confitetur.

Denique Synodus non obscure innuit, illam imputationem primi Adæ peccati, quam vult agnosci, tam aperte veram esse, vt probatione non egeat. Eò enim pertinere arbitror, quòd eam nullo Scripturæ testimonio, nulla ratione firmandam sibi censuit. Id autem in illam imputationem, quam Placeus agnoscit, competit, in eam verò quam negat, nullo modo. Quam enim illa necessariò & euidenter vera videtur, tam ista diligenter insipienti ne probabilis quidem appareat.

CAPVT IV

Decretum Synodi atque adeo Placei sententia, sibi abasognatilib (illic exponitur.

SED vt res fiat clarius, nullusque in animo lectoris scrupulus herèat, Decretum paucis exponendum est, quidque reuerà Placeus sentiat aperiendum. Pendet autem id totum ex duabus distinctionibus, vnâ primi Adæ peccati, alterâ imputationis illius.

Et primum quidem Adæ peccatum distingui potest in primum peccatum actuale, & primum peccatum habituale. Illud fuit actio inobedientiæ Adami quæ transijt, hoc fuit ab illa actione pro-

ductum vitium; quod instar habitus in Adamo permansit, & ab eo vnâ cum natura humana propagatum est in omnes eius posteros, vno Christo excepto. Hoc vitium verè peccatum esse omnes, quicumque Pelagiani non sunt, agnoscunt. Imputari etiam Adæ posteris, & damnandi vim habere, nisi condonetur, omnes Ecclesiæ Protestantes hæcenus summo consensu crediderunt, vt ex eorum patet Confessionibus. Itaque si de huius primi Adæ peccati imputatione Decretum Synodi accipitur, id pro verissimo æquissimoque habet Placeus, meritoque damnatam eorum doctrinam censet, qui hoc quidem peccatum se agnoscere profitentur, nulli tamen imputari, quantumuis infideli, contendunt. Esse enim hoc seculo qui id doceant, & quidem editis libris, testis est Doctiss. Valæus Theologiæ Lugduni Batauorum dum viueret Professor, Epist. antep. ad Henricum Flokenium Bremam scriptâ.

Sin verò per primum Adæ peccatum, primum eius peccatum actuale intelligitur, (id quod mihi verisimilius videtur: nam & illud omnium absolute primum fuit, & eo magis proprie lapsus esse Adam dicitur, quàm primo suo peccato habituali) distinguenda est imputatio in Imputationem immediatam seu antecedentem; & imputationem mediatam seu consequentem. Illa fit immediate; hoc est, non mediante corruptione; hæc fit mediate; hoc est, mediante corruptione hæreditaria. Illa ordine naturæ corruptionem antecedit; hæc sequitur. Illa corruptionis causa censetur esse, hæc effectum. Illam Placeus rejicit; hanc admittit. Quæritur nunc an fuerit eius sententiâ Synodi Decreto damnata? Si damnata est, idè damnata est, vel

quia vtramque illam imputationem coniunctim non admittit, vel quia imputationem immediatam seu antecedentem rejicit. Primum dici non potest. Coniunctim enim admitti non possunt absque contradictionis implicatione. Nam qui dicit primum peccatum actuale Adami eius posteris imputari immediatè, is negat imputari mediatè: idem enim immediatè significat ac non mediatè. Imputari igitur immediatè, & imputari non mediante corruptione idem planè sunt. Qui igitur affirmaret simul imputari primum illud peccatum immediatè & mediatè, is simul & negaret mediante corruptione imputari & affirmaret, seseque a deo contradictione implicaret. Id quod sine dubio à nobis exigere Synodus noluit. Taceo non esse æquitati consentaneum, vt idem numero peccatum eidem bis imputerur, semel ante corruptionem hæreditariam, & iterum post illam corruptionem. Vna certè imputatio sufficit.

Quandoquidem igitur ambæ illæ imputationes simul retineri nequeunt, alteraque eligenda est repudiata altera, vel Synodus in dubio reliquit quam intellexerit, mediatam an immediatam; vel id non reliquit in dubio. Si prius, etiam in dubio reliquit, vtrum Placei sententiam Decreto suo condemnauerit, necne. Quare decet illius Lectores suum de Placeo iudicium suspendere, neque eum magis damnatum, quam indemnatum existimare.

Sin est aliquid in Decreto quod imputationem determinet. Si damnatur eorum doctrina qui negant imputationem mediatam, non damnatur Placei doctrina. Is enim imputationem mediatam agnoscit. Si damnatur eorum doctrina qui negant imputationem

immediatam, damnatur quidem Placei sententia; sed
 absit ut damnetur. Damnetur enim cum ea ipsius
 Apostoli Pauli doctrina, testibus magnis viris.

Videbiturne tibi lector testis idoneus Ægidius
 Hunnius Augustanæ Confessionis Theologus celebris?
 En eius testimonium Art. de peccat. *Ostendit ergo (A-*
postolus Paulus) lapsum Adami NON IMMEDIATE
& per se, sed MEDIANTE & propter aliud nobis eius poste-
ris IMPUTARI, quia videlicet per lapsum illum polluta est
natura primorum parentum, ut non nisi peccato corruptos &
vitiatos liberos procreare possent, sicut scriptum est, Genuit A-
dam filium ad imaginem suam Gen. 5. Aliàs si fieri potuisset
ut in posteros non vitium proprium derivaretur à primis pa-
rentibus, tum lapsus ille, tanquam peccatum alienum, eis
planè non imputaretur. Palam igitur ostendit Paulus unum
illud delictum, nobis ad condemnationem cedere TANTUM
MEDIATE, quatenus per delictum illud actuale introducta
est in naturam horribilis corruptio, quam per carnalem ge-
nerationem propagavit in ipsos posteros. Ita ut a lapsu corrup-
ptio natura, à corruptione nature in nos derivata mors &
damnatio perveniat, quat. omnes peccavimus, inquit, id est,
quat. ipsi in possessionem illius hereditariam devenimus.
 Potuitne clarius vel disertius testimonium desiderari?
 habes in eo distinctionem imputationis primi peccati
 actualis Adæ in mediatam & immediatam, illam af-
 fertam, hanc reiectam, eamque doctrinam Apostolum
 Paulum palam docuisse.

Sed fortasse aliter sentiebant reliqui Protestantes.
 Audi igitur etiam Calvinum Comment. in Rom. cap.
 5. vers. 15. *Quod unus delicto perijisse nos tradit, sic ac-*
cipe: quia ex ipso in nos corruptio transfusa sit. Neque enim
sic perimus eius culpa, quasi extra culpam ipsi simus: sed
 quia

quia eius peccatum peccati nostri causa est, exitium nostrum illi Paulus adscribit. Peccatum nostrum voco, quod nobis ingentum est & cum quo nascimur. Alia Caluini loca hîc non proferam; Quid enim ille senserit testem habeo locupletem D. Garissolium, De Imp. primi pecc. cap. 1 x. §. x 1. pag. 299. *Quantumuis, inquit, lapsus primi reatus ad nos NON perueniat NISI MEDIANTE CORRUPTIONE, QVOD CVM CALVINO AGNOSCIMVS, & superius expositum est, illud tamen ob stare non potest, quominus reatus ille sit non tantum corruptionis nostræ, sed & primi actualis Adæ peccati reatus.* nempe illius, est immediatè, huius mediatè. Hæc est ipsissima Placei sententia; quæ si damnata est, etiam Apostoli Pauli, etiam Ægidij Hunnij & Caluini, imò ipsius D. Garissolij (si suam ipse sententiam verbis illis fideliter expressit) doctrina damnata est.

Idem D. Garissolius eodem lib. cap. v III. §. III. pag. 206. testatur imputationem de qua agitur Rom. 5. *Necessariò cum corruptione nativa coniungi, imò EAM SEQVI.* Si eam sequitur, imputatio est consequens seu mediata, quam cum Apostolo Placeus docet. Si eam sequitur, igitur eam non præcedit: Si corruptione nativa posterior est, igitur eadem corruptione prior non est. Idem etiam eodem libro cap. 27. §. 30. ait *actuali imputationi peccati Adæ præcurrere seminis corruptionem, adeoque vitiositatem inbarentem, tanquam conditionem & causam sine qua non.* Potuitne clariùs imputationem consequentem seu mediatam docere?

Addam hic quoque testimonium Petri Martyris, Loc. Com. De pec. orig. §. 34. *Vt res, inquit, distindius expediat, dico in unoquoque nostram, quoties punimur, causam esse cur puniri debeamus: itaque in omnibus, non*

alienam, sed propriam cuiusque culpam damnari. Quod si legimus, Deum in nobis ulcisci peccatum Adami, id ita intelligendum est, quod vitium nostrum ab illo habuit originem. Vt si quis peste laborans, alios inficiat & illi moriantur, dicetur illorum quisque, non alienâ, sed propriâ, & sua peste esse mortuus. At si quis eos dicat ex eius peste, unde contagium contraxerunt, perÿsse: id ita intelligendum est, quod is primus pestem inuexit, & illis affricuit.

Sufficiunt, opinor, hoc loco hi testes: libenter tamen ijs adiungam doctissimum VValæum, Resp. ad Cens. Coru. cap. VIII. pag. 238. Reatus, inquit, primi peccati ad condemnationem, & ut Apostolus loquitur, Rom. 5. 16. *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀρχὴ* NON POTEST posteris IMPUTARI NISI MEDIANTE illa peccati inherentis vitiositate; quum Dei iustitia non permittat, ut posteris nullum in se peccatum habentibus primum peccatum imputetur in condemnationem.

Si igitur damnasset Synodus Placei doctrinam, haberet ille quidem solatium miserorum, confortes huicse condemnationis viros maximos, sed profectò eam uti iam multis argumentis probavi, non condemnauit. Id quod etiam hoc argumento potest confirmari. Si suo illo Decreto eorum doctrinam Synodus damnasset, qui negant imputationem immediatam seu antecedentem, eadem utique damnasset absolutè eorum doctrinam, qui peccati Originalis naturam ad corruptionem hæreditariam posterorum Adæ restringunt. Qui enim illam imputationem immediatam docent, illi nullo modo peccati originalis naturam ad illam corruptionem restringunt, sed vel duo peccata originalia faciunt, vnum imputatum, alterum inhærens; vel duas peccati originalis partes, quarum præcipuam ac

primariam in illa imputatione, minùs verò præcipuam in illa corruptione collocant. Atqui Synodus non simpliciter damnauit doctrinam, quæ peccati originalis naturam ad corruptionem hæreditariam restringit, Sed quæ ita restringit, vt imputationem excludat primi illius peccati quo lapsus est Adam. Non enim frustrà limitationem illam adhibuit, *quatenus ita restringit vt, &c.* Ergo Synodus eorum doctrinam non damnauit, qui negant imputationem immediatam seu antecedentem primi illius peccati quo lapsus est Adam. Quorsum enim illam limitationem adhibere voluit, nisi vt innueret, se imputationem primi peccati, quo lapsus est Adam, intelligere, quæ cum restrictione naturæ peccati originalis ad corruptionem hæreditariam potest consistere? Atqui sola imputatio Mediata seu consequens est eiusmodi: eam igitur solam Synodus intellexit.

Itaque eâ prudentiâ Decretum suum contexuit, vt cum ter corruptionis ac imputationis meminerit, perpetuò priùs corruptionem quàm imputationem nominauerit. Quorsum, nisi vt insinuaret, intelligendam esse imputationem, non quæ antecederet, sed quæ sequeretur corruptionem illam hæreditariam? Hoc certè postremum argumentum ab ordine verborum deductum, refelli à D. Garissolio non potuit, vtitur enim argumento simili libri sui de Imp. primi peccati cap, 17. pag. 617. sed multò debiliore, planèque infirmo; ac propterea responsionis Placei, quam in Manuscripto posteriore legerat, cùm refutari non posset, ne meminit quidem.

Omitto verba illa Decreti; & *corruptionem illam, & imputationem hanc, in omnes Adami posterios descendentes,*

meliùs imputationi consequenti seu mediatae conuenire, quàm antecedenti seu immediatae. Intelligitur enim descensus ab Adamo, per propagationem naturalem: sic enim descendit corruptio. Potest autem imputatio consequens, dici ab Adamo in eius posteros descendisse mediante corruptione, quæ illius est causa proxima & fundamentum, & in nos verè descendit. At minùs propriè id dici potest de imputatione antecedente: nam & hæc propagationem naturalem diu antecessisse putatur, & pendere non ab aliqua re quæ nobis insit, sed à Dei voluntate, cui sic placuisse dicitur, primum illud Adami peccatum toti generi humano imputare. Vno verbo nullus imputationis in homines descensus, qui corruptionem antecesserit, animo concipi potest.

Denique Decretum Synodi, aut congruit cum S. Scriptura, aut non congruit. Si non congruit, quo minùs recipi debeat obstat Art. V. Conf. Fid. quem illa ipsa Synodus comprobauit. Si congruit, utique non damnat eorum doctrinam, qui retentâ imputatione primi Adæ peccati mediata, solam illius imputationem immediatam seu antecedentem negant. Hæc enim imputatio immediata ex sacris Literis exculpi nequit. Quæcunque pro imputatione primi peccati quo Adam lapsus est afferuntur, ea, aut nullam vim probandi habent, aut mediatam duntaxat imputationem probant. Supeditat autem Scriptura aduersus imputationem immediatam argumenta multa, eaque inuicta, cum nihil habeat imputationi mediatae repugnans. Ex negata imputatione immediatâ, nihil prorsus absurdi sequitur, cum eâ positâ multa consequantur absurda. Decet autem nos Decretum Synodi potius in meliorem par-

tem, quàm in sequiorem accipere.

Vt sit finis, ipse D. Garissolius, quo nemo mi. us æquus Placeo fuit, hanc imputationis distinctionem probavit, eâque benè intellectâ controuersiam istam finiri posse putauit. cap. 2. §. 16. pag. 43. *De attributo, inquit, Deinde cum agitur, distinguitur imputatio peccati in Priorem, siue Antecedentem, aut immediatam; & Posteriolem, siue consequentem, aut Mediatam: Haud incommodè sanè; nec dubito, si modo recta explicatio adhiberetur consensum hic facile stabiliri posse: si nempe & traque imputatio eodem referretur, id est, si intelligeretur de peccato Adami eadem significatione accepto, siue de actione illa, qua primùm Adamus reum se fecit lese Diuinæ Majestatis. Atqui distinctione illâ sic intellectâ consensus nullo modo stabiliri posset, si quidem Decreto illo Synodico damnata esset doctrina, quæ admissâ imputatione mediatâ actionis illius, negat immediatam. Maneret enim perfecta inter Decretum illud & Placei sententiam dissensio. Non est igitur existimandum eo Decreto doctrinam illam esse damnatam. Cæterum Placeus utramque imputationem eodem retulit, id est, de actione illa qua primùm Adamus reum se fecit intellexit.*

Præcesserant enim in Manuscripto illo, quod D. Garissolius *Posterius* appellat, hæc verba. *Est igitur questio inter nos instituta duntaxat de primo peccato Adami sumpto primo modo, hoc est de actuali ejus inobedientia, de actione illa interna & externa, qua Dei legem transgressus est actu, præcisa ab habituali corruptione, quæ actionem illam sequuta est, num ea nobis nascentibus imputetur? cui questionem non dum negatione simplici, sed distinctione rursus satisfaciendum videtur. Est enim eius distinguendum*

attributum. *Ita si enim animo consipi duplex imputatio, Immediata & mediata, vel (ut idem alijs verbis dicam) Antecedens & Consequens. Potuitne Placeus apertius significare, se distinctionem illam imputationis de actione illa, qua primùm Adamus reum se fecit, intelligere? Deinde subijciebatur, Imputationem immediatam esse eam, quæ putatur actio illa Adami, hoc est, vetiti fructus manducatio, eius posteris omnibus (Christo excepto) proximè, immediatè, hoc ipso quod filij sunt Adami, imputari ad duas pœnas propriè dictas, priuationem iustitiæ originalis, & mortem æternam. Iam autem de quo vnum distinctionis membrum intelligitur, de eodem intelligi debet alterum; alioqui non esset distinctio: non enim vnum quid distingueretur. Denique subijungebat Placeus, Imputationem mediatam esse eam, quæ fit mediante corruptione hereditaria. Cujus autem, quæso, peccati imputatio fieri potest mediante illa corruptione, nisi peccati actualis Adami, quod corruptionem illam peperit? Addebat etiam hanc rationem, Hujus enim corruptionis participatione communicamus peccato Adami, eique, ut ita loquar, habitualiter consentimus. Quibus verbis apertè distinguebat peccatum Adami ab illa corruptione. Itaque non ipsam corruptionem intelligebat per peccatum Adami, sed actua- lem inobedientiam, vnde illa fluxit.*

Hanc autem Placei rationem D. Garissolius approbavit & commendavit, ac etiam retorsit. Sed in quem? nescio; in Placeum enim non potuit, ut jam patet. Si quis autem alius Placeo notus imputationem actualis peccati Adæ negavit & refutavit, id de imputatione immediatâ seu antecedente sola accipi debet, non de mediata seu consequente, quam neque vult negatam,

neque etiam ejus argumenta oppugnant.

Idem D. Garissolius sententiam Placei tacite probat, cum aliquoties affirmat & inculcat *reatus ex peccato Adæ, & ex vitio nobis inhærente, non esse duos reatus distinctos, sed unum eundemque reatum ex viroque consurgentem* Cap. ix. §. vii. pag. 190. & § xv. p. 306. & cap. xxvii. § xxx. p. 809. &c. Positâ enim imputatione peccati Adæ immediatâ, ponuntur necessariò duo reatus distincti, quorum vnus ex peccato Adæ, alter ex vitio nobis inhærente consurgit: Ille antecedit corruptionem hæreditariam, hic sequitur: Ille prior est vitio inhærente, hic posterior: Ille causa est corruptionis, hic potiùs effectum: Illius poena est vitium inhærens, huius non item: Ille est peccati alieni ac extra nos siti, hic est peccati nostri, nobis inhærentis: Ille est omnium hominum communis identitate numericâ peccati, hic est multorum numero peccatorum, & suus cuique homini proprius: Ille pender à sola Dei voluntate, hic ab ipsa corruptionis nobis innatæ naturâ & naturali demerito. Ille priùs fuit quàm ij essent quibus imputatur, hic contrâ non fuit nisi posteriùs. Quâ possunt igitur non duo esse distincti reatus, inter quos tot tantaque possunt notari discrimina?

Hinc patet sententiam Placei cum Decreto, quatuor apud Heluetios ciuitatum Euangelicarum, quod Carentonensi D. Garissolius subiungit, minimè pugnare. Nam vel Decretum Synodi Carentonianæ laudant, cum quo Placei sententia, vt iam probaui, concordat; vel cur laudent rationem reddunt his paucissimis verbis; *In Adamo enim & cum Adamo qui peccârunt, Adami illis peccatum meritò imputatur*, quam propositionem Placeus verissimam esse agnoscit. Æquum enim profectò est

vt qui in & cum Adamo peccauerunt, his peccatum
 imputetur quod in eo & cum eo commiserunt. Com-
 munitatis peccati communem esse imputationem iustum
 est. Sed quid est nos in & cum Adamo peccasse? Pecca-
 tum Adami nobis imputari? ita accipit D. Garissolius
 cap. viii. §. xxii. *Quomodo enim, inquit, qui multis post
 seculis extiterunt, dici possunt iam antea in alio peccasse, nisi
 quia ille cum actum exercuit, qui posteriorum ita reputatur,
 ac si ipsi illum commisissent?* Et subiicit Theologos, cum
 docent nos in Christo satisfecisse, non aliud sibi velle, quam
 Christi satisfactionem nobis imputari. Congruit hæc eius
 interpretatio cum eo quod sæpe inculcat, peccatum
 Adami non nisi per imputationem nostrum esse. Hinc enim
 sequitur nos in & cum Adamo non peccasse nisi impu-
 tatiue. Sed sic doctissimorum Theologorum ratio eua-
 deret nugatoria. Idem enim probarent per idem, Im-
 putationem peccati Adami per imputationem pecca-
 ti Adami: quam nugationem, præsertim in tam gra-
 ui Decreto, illis tribuere nefas est. Quid ergò sibi vult
 illa phrasis? id potest ex simili intelligi. Si quis enim
 diceret, nos in & cum Adamo fuisse, sensus esset, non,
 Esse Adami nobis imputari; sed Esse Adami nobis-
 cum per propagationem naturalem esse communica-
 tum. Sic cum dicimur in & cum Adamo peccasse, sen-
 sus est, non peccatum Adami nobis imputari (id enim
 esset, vt dixi, nugationem in præstantissimorum viro-
 rum Decretum importare) sed peccatum Adami no-
 biscum per propagationem naturalem esse communi-
 catum. Ex quo sequitur illud meritò nobis imputari,
 sed imputatione mediata seu consequente, quam Pla-
 ceus constanter agnoscit & tenet.

Vt sit finis, illi ipsi, qui Decretum Synodi Nationalis fecerunt, sententiæ meæ aspiulantur, suoque testimonio Placeum a condemnatione liberant, in primis Clarissimus & piissimus vir D. Drelincourtius, fidelissimus Ecclesiæ Parisiensis Pastor. Cùm enim hucusque in hoc scripto progressus essem, id, antequam prodiret in lucem, cum quibusdam amicis suis viris doctissimis & prudentissimis communicatum Placeas voluit, præcipuè verò cum dicto D. Drelincourtio, cujus in conficiendo illo Decreto plurimum valuisse auctoritatem non ignorabat. Is autem eo perlecto pro suo insigni candore & pacis Ecclesiæ studio humanissimas scripsit ad Placeum literas Lutetia, An. 1653. die 10. Decemb. quas, cum bona ejus venia, huc transcribere non grauabor: interest enim & veritatis, & pacis, & causæ quam ago, vt in vulgus emanent. Erant autem Gallico sermone ita conceptæ.

Monsieur & tres-honoré Frere.

J'ay leu avec une satisfaction tres-particuliere l'écrit qu'il vous a pleu me communiquer; Et je louë Dieu de tout mon cœur de voir par là heureusement terminé ce dont j'apprehendois du trouble & de la diuision en nos Eglises. Car, Monsieur, je vous puis bien assurer, & tous ceux qui en peuuent douter, que l'intention du dernier Synode National de Charenton n'a nullement esté de condamner ny vostre personne, ny la doctrine que vous proposez. J'en puis parler avec certitude: veu que non seulement j'ay eu l'honneur de me. trouuer en. cette celebre compagnie, mais aussi d'estre du nombre des commissaires qui dresserent l'acte dont il s'agit. Nous n'auons jamais pensé à poser cette

*imputation du peché d'Adam que vous appelez anteceden-
te & immediate : Mais seulement celle que vous nommez
consequente & mediate. Et de moy ie l'ay toujours ainsi
conceu & enseigné. De sorte que ce m'est une grande joye
& consolation de voir sur cét important article l'uniformité
de nos sentimens. Si l'occasion se presente de vous justifier
enuers ceux qui ne sont point informez de ces choses, ou qui
ont des préjugés à l'encontre, je vous assure, Monsieur,
que ie ne m'y oublieray pas. Il y va de la gloire de Dieu,
& de l'edification publique, que cette verité soit connue,
afin qu'il n'y ait rien qui empesche, que les graces eminentes
dont Dieu vous a enrichy ne produisent leur fruit par
tout. Je vous embrasse de tout mon cœur, & suis*

Monsieur,

*Vostre tres-humble & tres-
obeïssant seruiteur*

DRELINCOVRT.

In gratiam eorum qui Gallicè nesciunt vertam
Latinè.

Domine & honorande Frater.

Scriptum, quod mecum communicatum voluisti,
singulari cum voluptate legi; quòdque eo finitum id
videam, vnde Ecclesiis nostris perturbationem ali-
quam & diuisionem metuebam, Deo ex toto corde
gratias ago. Possum enim tibi, Domine, aliisque
omnibus, si qui dubitant, confirmare, consiliùm vl-
timæ Synodî nat. Carent. nullo modo fuisse te,
tuamue, quam proponis, doctrinam condemnare.
Id pro certo testari possum. Quippe, cum dignusha-
bitus fuerim, qui, non modò celebri illi confessui

intereſſem, ſed etiam vnus eſſem ex delegatis illis, qui Decretum, de quo agitur, conſcripſerunt. Nunquam nobis in mentem venit eam imputationem peccati Adamici conſtabilire, quam tu *antecedentem & immediatam* appellas, ſed eam duntaxat, quam tu *conſequentem & mediatam* vocas. Ego quidem ita perpetuò ſenſi & docui. Quocirca magno gaudio, & conſolatione afficior, quod videam de hoc momentoſo dogmate te mecum idem ſentire. Si tui apud eos juſtificandi, qui hæc, aut non ſatis intelligunt, aut aduerſis præjudiciis laborant, ſeſe mihi dederit occaſio, confirmo tibi me cauſæ tuæ non defuturum. Inter eſt gloriæ Dei & publicæ ædificationis, vt hæc veritas omnibus innotefcat, nihil vt ſit, quod obſtet, quominus quibus te ditauit Deus dotes inſignes vbique fructum ferant. Ego te toto pectore complector, & ſum, &c.

Quid potes amplius ad plenam Placei juſtificationem, Lector pie, deſiderare?

C A P V T V.

Distributio dicendorum.

REconciliato cum Synodo Placeo, nihil ſuper eſt, niſi vt ſtantes vtrinque argumentorum acies, alteram pro imputatione, alteram contra imputationem primi Adæ peccati conciliemus inter ſe, vt poſitis odiis, ſublata diſſenſione, conjunctis viribus ad Decretum Synodi tuendum & confirmandum quicquid habent roboris concorditer conferant. Id autem

fiet, si demonstraerimus, neque argumenta, quæ pro imputatione primæ Adæ inobedientiæ afferuntur, quicquam valere ad probandam imputationem antecedentem seu immediatam, neque argumenta, quæ contra peccati illius imputationem proferuntur, ullam vim habere aduersus imputationem consequentem seu mediatam. Vbi enim patuerit, nec illa probare imputationem quam ista improbant, nec ista eam improbare quam illa probant, nonne manifestum euadet, in speciem tantùm inter se argumenta illa pugnare, re autem vera conspirare aínicè ad imputationem mediatam, repudiatâ immediatâ, firmandam, Decretumque Synodi, vt à me expositum est, defendendum? Nisi hoc vtrumque præstitero, species illa repugnantix terrorem perpetuò incutiet, & bellum veluti intentabit, nec, intercedentibus præiudiciis, nonnullisque fortasse perturbationibus, firmæ pacis constabiliendæ spes certa exorietur. In id igitur mihi totis viribus incumbendum est, vt vtrumque illud demonstrem. Dominum nostrum Iesum Christum supplex rogo, vt mihi id facere indulgeat ita clarè & efficaciter, vt omnis in posterum de hac re dubitandi dissentientique ansa prorsus tollatùr, omnesque virtute & vnitatem eiusdem Spiritus sancti in eandem sententiam conueniamus, in eaque constanter perseueremus. Amen.

Hoc autem ordine procedemus. Primùm argumenta quæ pro imputatione primi Adæ peccati afferuntur, ad examen renocabimus, & planum faciemus, si quam peccati illius imputationem probant, eam non nisi consequentem seu Mediatam esse. Deinde argumenta quæ contra imputationem primi illius pec-

cati militare videntur, fimiliter ponderabimus, nul-
lamque vim habere ostendemus, nifi aduerfus impu-
tationem antecedentem feu immediatam. Ita hæc duæ
erunt partes eorum quæ nobis dicenda reftant.

C A P V T V I.

*Non aliam Imputationem primi Adæ peccati, quàm
confequentem feu mediatam Argumenta
Clariff. D. Marefij probare.*

Post vltimam Synodum Nationalem pro impu-
tatione primi Adæ peccati fcripferunt libris ty-
pis excufis, quos quidem viderim, Clariffimi viri,
Andreas Riuetus, Samuel Marefius, Ant. Gariffolius,
Carolus Daubuz, & Steph. Blancus, manuſcriptis ve-
rò alij complures. Sed primus illorum celeberrimus
Riuetus non autoritate Scripturæ, nec rationibus,
fed corraſis vndecunque potuit virorum doctõrum
teftimonijs, etiam adhuc viuentium, eorumque non-
nullorum, quorum nomen nobis auteà inauditum
fuerat, pugnandum ſibi cenſuit, itaque nunc quidem
omittatur. Decet enim priùs audiri eos qui teſtimo-
nia Scripturæ, & argumenta afferunt. Non enim
quærimus quid homines ſentiant, ſed quid nobis
ſentiendum ſit, quid Deus nos ſentire voluerit. Re-
gula fidei noſtræ eſt Dei verbum, non hominum
opiniones. His ergo in vltimum locum rejectis, de-
prompta è Scripturis argumenta inſpiciamus. Pro-
diit Groningæ apud Ioan. Nicolaum Anno Domini
M. DC. XLVI. *Theologiæ Elenchticæ noua Synopſis,*

*sive Index controuersiarum fidei ex sacris Scripturis à Iacobo Tirino Iesuita concinnatus, & Censura perpetua auctus, emendatus, refutatus, per Samuelem Maresum S. Theol. D. eiusdemque Facultatis Professorem ordinarium in Academia Prouinciali Groningæ & Omlandia, in quo, Controuersia XI. de statu primorum parentum & de peccato originali. Num. 4. occasione quorundam Tirini verborum, digreditur vir clarissimus in Controuersiam istam de imputatione primæ Adami inobedientiæ, ac cum Socini, Curcellæi, aliorumque omnem imputationem illius peccati negantium, nec non Decreti Synodi Nationalis Ecclesiarum Galliæ, libellique à Cl. Riueto editi meminisset, subiecit, *Nec solum in istis euariis illam imputationem impugnant, sed etiam (quæ fuit occasio illius Decreti Synodici) Reu. doctissimus ac celeberrimus vir, meus quondam Commilito in studijs suauissimus D. Iosue Placeus Disput. Salmur. parte 1. p. 206. & seqq. illam omnino reijcit præter ius & fas, dum bene & orthodoxè studet propugnare hereditariam, quæ omnibus inest, corruptionem: cum & illa debeat admitti, & hæc sit agnoscenda, utpote quæ pari passu ambulent; sic tamen ut ordine nature, & in signo rationis traducem innatæ corruptionis, primi peccati precedat imputatio.**

Ejus se Commilitonem in studiis non sine uoluptate Placeus reminiscitur, veterisque amicitie reliquias in elogiis illis agnoscit, quibus se minimè dignum ab eo ornari uidet: optasset tamen clarissimum virum aduersus Iesuitam scribentem, hujus, si quam inter nos esse putat, controuersie non meminisse, nolletque se ab amico in eundem quasi fasciculum cum Curcellio, à quo vehementer dissentit, compactum esse. In posterum, uti spero, vir doctissimus

Placeum neque condemnatum à Synodo Nationali fuisse, neque imputationem primi Adæ peccati omnino rejicere, sibi affirmandum putabit. Non enim opinor, existimabit, Dei gloriam Ecclesiæque ædificationem flagitare, ut pro condemnato ab omnibus habeatur. Quod autem ait, imputationem & corruptionem pari passu ambulare, si imputationem intelligeret consequentem, non me haberet repugnantem, sed cum antecedentem intelligere videatur, ei assentiri non possum. Illa enim imputatio nullo modo, nec Scripturâ, nec ratione, Scripturæ & rationi repugnans; hæc verò corruptio multis Scripturæ testimonijs, multis rationibus, ipsâque adeò experientiâ certissimè probari potest.

Talia præfatus vir Clariss. subjungit hæc pauca argumenta verbis brevissimis, quibus etiam brevissimè respondebimus.

I. *Eam culpam censei illis imputari, qui eius reatu & pænæ subiacent est certissimum. Omnes autem Adami posteros subijci reatu & pænæ culpæ, quam Adam commisit, tota clamat Scriptura, ac præsertim Rom. v. 12. 1. Cor. xv. 21. 22. Distinguo, clamat subijci subiectione, quæ antecedit ordine naturæ vitium hæreditarium, Nego, subiectione, quæ sequatur illud vitium, Concedo, testemque laudo ipsum D. Gariss. cap. 8. § 3. p. 206.*

II. *Addit, Nec potest fieri, quin illis imputetur Adami transgressio, qui incurrunt pœnam, mortem scilicet, illi transgressioni diuinitus denunciata. Nam ut bene dicuntur imputata Christo nostra peccata, quòd pœnam illis debitam sustinuerit, & rectè nobis imputari censeatur eius iustitia, quòd eius meritum & premium æternum consequamur, ita Adami peccatum ijs imputari dicendum, qui*

eius reatum & pœnam sustinent. Respondeo, fieri quidem non posse, quin illis imputetur Adami transgressio, qui incurrunt pœnam illi transgressioni denunciata; sed manet integra quæstio, vtrum eam immediatè, ac ordine Naturæ priusquam corrumpantur, incurrant, an verò tantum consequenter & mediante illa corruptione? Prius nego, nec probat D. Maresius, posterius affirmo. Ad Christum quod spectat, imputata sunt illi peccata nostra, non tanquam autori, sed tanquam innocentissimo peccatorum vadi: itaque propterea peccator dici non potuit. Nobis autem peccatum Adami imputatur, non tanquam illius vadibus, sed tanquam illius autoribus, ac verè peccatoribus. Itaque plurimum distant illæ imputationes. Adde quod non sunt imputata peccata nostra Christo, imputatione antecedente, sed consequente tantum ejus consensum, sine quo non potuissent ei imputari. Similiter discrimen magnum est inter iustitiæ Christi & peccati Adamici imputationem. Illa enim ex gratia, hoc ex iustitia nobis imputatur: & tamen ipsa iustitiæ imputatio non est immediata seu antecedens, sed consensum nostrum & fidem consequitur, absque quo nulla esset. Tantummodò est memorabilis differentia. Nam fides non est iustitia, nec meretur vitam æternam, cum vitium hereditarium sit verè peccatum generi humano damnando sufficiens. Nimirum, vt dixi, imputatio iustitiæ est ex gratia, peccati ex merito.

III. *Atque hæc imputatio, inquit, non nititur solo Dei iure in creaturas, ac Dominio absoluto (vt quidam volunt) sed eius iustitia æquissima, ac valde iusto iudicio. Fateor, si imputatio intelligitur Mediata: Immediata enim,*

enim, (vt suo loco, Deo dante, manifestum faciam) cum diuina iustitia non parum pugnat. Pergit, *Nam sepe etiam hoc fit in foro humano absque vlla iniquitatis specie, sed iustissimè, vt vnius culpa peccatum & vitium vniuersam communitatem aut posteritatem quoad pœna extensionem implicet, quod dum fit illa culpa toti vel communitati vel posteritati imputatur.* Primum hoc in Legge sua damnat Deus disertis verbis Deut. 24. 16. etiam cum de crimine læsæ Maiestatis agitur 2. Reg. 14. 6. vetatque ne tale quid de ipsius iustitia dicatur Ezech. 18. 3. &c. Ierem. 31. 29. 30. Deinde, si vnius culpa vniuersam communitatem implicat, id fit, quia supponitur vniuersa communitas in eam culpam consensisse: alioquin id iustè fieri nequit. *Sæpe, addit vir Clariss. vsuuenit, vt quicquid delirent Reges, plebentur Achivi, nimirum illi non minùs quàm sui Reges delirabant.*

Quæ Procurator aut Mandatarius peccat, ijs peccat, quorum nomina sustinet. Nempe quia hi consenserant vt is eorum esset ea in re Procurator aut Mandatarius. Sequitur ergo imputatio, si qua est, eorum consensum, non antecedit. Quis autem nostrum, tanto antequam esset, suum vnquam Procuratorem aut Mandatarium constituit Adamum? *Multis in locis obtinet, vt si Vassallus infidelis fuerit suo Domino, peccet non solum sibi, sed suis posteris, qui sic feudo excidunt, aliàs ad se peruenturo.* Eatenus certè posteris peccat, quia feudum quod amisit, cum amplius non habeat, tradere liberis suis non potest. Id quod etiam euenit Adamo, qui, cum iustitiam originalem amisisset, eam in posteros propagare non potuit: quis enim dare possit, id quod non habet? Nec tamen sequitur pro-

Deut.
24. 16.
2. Reg
14. 6.

pterea infidelitatē posteris imputari. Nam si feudum vendidisset, aut potentioris vel vi, vel fraude amisisset, eo pariter, absque vllius culpæ imputatione, priuarentur posterī. *Et apud Macedonas*, addit vir doctus, *crimen maiestatis ab aliquo commissum in vniuersam eius cognationem vindicabatur*. Quid? An hominum crudelitatem ab ipsa Dei Lege damnatam putat vir clariss. Deum imitari? aut ex hominum iniustitia, quid Dei iustitiam deceat, debere colligi? Aliam ei mentem & opto, & esse puto.

Sequuntur in ejus libro, *Et quamuis major sit ieiunia Legum quæ obtinent inter Christianos, sæpe tamen euenit, vt lese Majestatis aliudue grauius crimen sic imputetur liberis & posteris ejus qui illud commiserit, vt bonis suis infisum reductis, etiam nobilitatis gradu excidant*. Nempe liberi opum & nobilitatis patris sunt hæredes, si quas habet, si verò nullas habuit, aut habuit quidem, sed aut suâ, aut nullâ culpâ amisit, quæ earum possent esse hæredes? Hoc verò quid ad imputationem antecedentem primæ hominis inobedienciæ probandam facere potest? Pestem contrahit aliquis sæpenumero non soli sibi, sed domesticis etiam & vicinis suis. Num vlla fit eis propterea illius viri vel actionis, aut passionis, qua pestem contraxit, vel pestis ipsius imputatio?

Præclarè Chamierus Panst. tom. 3. lib. 1. de hom. corrupto. cap. 8. § 10. *Atqui totam naturam (peccatum Adami) læsit, inquit Salmero: itaque factum est commune omnium*. Nego consequentiam. Læsiō ipsa facta est communis, at non causā læsionis. Sic si domus vna conflagret, vt sæpe fit, ob segnitiam Domini, indèque vicinæ domus: erit quidem incendium

commune: at segnities tota illius Domini, non reliquorum: non est enim segnities ipsa incendium; sed tantum causa incendij, quod ad reliquos peruenit. Sic qui miles excubias agit negligenter, nocet ille quidem toti exercitui: sed non fuit tamen totus exercitus segnis. Sic Neronis crudelitas Romanis nocuit: nec Romani tamen crudeles. Sexcenta sunt hujusmodi.

IV. Superioribus alia quædam Cl. Maresius adjungit argumenta. *Ecquis verò, inquit, neget quod nos peccauimus, nobis meritò jurèque imputari? Iam autem nostrum esse quocque illud peccatum, clarè docet Apostolus, qui omnes in Adamo peccasse esserit. Rom. 5. 12.* Omnino quod nos peccauimus, nobis meritò imputatur. Sed illud peccare nostrum prius est, saltem ordine naturæ, ipsa illius imputatione. Præscinde ergo cogitatione imputationem, nosque si potes, demc nostra peccasse ipsum primum actuale peccatum primi hominis. Qui antecedentem imputationem tenent, aiunt peccatum illud nostrum non esse nisi per imputationem. Si nostrum non est nisi imputatione, nostrum est quia nobis imputatur, non contrà nobis imputatur quia nostrum est. Ad locum Apostoli quod attinet, nec verbo *peccauimus* primum actuale Adæ peccatum significatur, nec Apostolus nobis videtur dicere *in quo* sed *eo* quod potius, nec si veritas *in quo* propterea elici vlla poterit imputatio, nisi fortè consequens seu mediata, vt suo loco, Deo dante, demonstraturus sum.

V. Addit, *Si enim in Abraha lumbis decimatus est Leui, Heb. VII. 9. quanto magis in lumbis Adami nos omnes peccasse censebimur, utpote qui in illo essemus, vt rami in radice, massa in primitijs, membra in capite, Rom.*

xI. 16. 1. Cor. xv. 22. Si quis similiter argumentaretur: Si in Abrahæ lumbis decimatus est Leui, quanto magis in lumbis Sethi, vel Enofchi, vel alterius alicuius Patriarcharum qui ante diluuium vixerunt, nos omnes peccauimus? Probaretne consequentiam vir doctus? aut quid posset respondere, quod ei reponi similiter non possit? Nulla igitur est consequentia. Qua enim arte inde elicietur imputatio primi peccati actualis potius quàm sequentium, & Adami potius quàm Sethi aut Noachi; & antecedens potius quàm consequens? Sed, vt liberaliter agam, fateor nos in lumbis Adami peccasse: num inde sequitur, nobis ejus primum actuale peccatum imputari imputatione quæ corruptionem hæreditariam antecedit? sequitur contrarium potius. Peccauimus enim in Adamo, quia in eo fuimus. Fuimus autem in eo *vt rami in radice*. Ita autem sunt rami in radice, vt nihil radicis ramis imputetur propriè, sed trahant rami à radice naturam suam & succum vitalem, qualis est in radice, bonum vel malum. Sic nos ab Adamo corrupto naturam corruptam traximus. Cæterùm nec massa in primitijs propriè fuit, sed in massa primitiæ, nec alia membra in capite. Itaque hæ comparationes ab eo quod agimus alienæ videntur, nec vllam imputationem inducunt, nedum immediatam aut antecedentem.

VI. Sed nescio quid subjicit probationis. *Erat quippe is persona publica & totum genus humanum representabat longè efficacius quàm summus Sacerdos in sanctuario totam gentem Israeliticam.* Primum, nonne id æquè facilè negari a me potest, ac affirmatur à viro docto? Deinde, fac ita esse, an igitur vna aliqua,

eaque prima, summi Sacordotis actio genti Israëliticæ imputabatur? Si ais, da locum Scripturæ qui id doceat. Si negas, quid hoc facit ad probandam imputationem solius primi peccati actualis Adami, & quidem antecedentem? Repræsentabat populum Israeliticum summus sacerdos ex munere, vt vas fœderis legalis, eumque super humeris & corde, quodammodo gestabat. Diciturne tale quid de Adamo?

VII. *Nec minus, inquit, verum est, nos in Adamo peccasse, adeoque iustè nobis omnibus eius peccatum ad pœnam imputari, quàm postea nos conrucifixos Christo in ipso satisfacisse iustitiæ diuinæ, adeoque merito eius satisfactionem & obedientiam nobis imputari apud Deum ad Iustitiam.* Fateor nos in Adamo peccasse, & iustè nobis omnibus eius peccatum ad pœnam imputari. Sed id nunc quidem inter nos non versatur in quæstione. Quæritur tantùm de imputationis modo, seu, vt ita loquar, specie. vtrum antecederet seu immediatè imputetur, an mediante corruptione? Hoc affirmo, illud vir Clar. probare, ne conatur quidem. Aberrat igitur à statu quæstionis, quæ inter ipsum & Placeum esse debebat. Ceterum in Christo satisfacisse iustitiæ diuinæ dicimur, tanquam in vade nostro, qui loco nostro satisfacit, cum is pro se satisfacere nullo modo deberet. Dicemurne similiter peccasse nos in Adamo tanquam in vade nostro, qui loco nostro peccasset? Scilicet nos tunc tenebamur Deo parere, Adamus non item. Ille autem in locum nostrum venit, vt nostro loco legem violaret. Hocine placet viro celeberrimo? non arbitror. Iam autem obseruaui satisfactionem Christi nobis imputari mediante consensu nostro seu fide: itaque nihil ex illa comparatio-

ne effici posse, nisi ad summum peccatum Adami nobis imputari mediante consensu nostro, qui habitualiter in vitio hæreditario includitur: quæ ipsissima Placei sententia est.

VIII. Ultimo loco hoc pugnat argumento. *Atque hæc peccati Adamici imputatio eo æquiva est, quod sicut vitæ conditionem & promissionem non sibi tantum, sed etiam suis posteris acceperat, si staret, ita debuit mortis reatum suo lapsu non sibi tantum, sed etiam suis omnibus contraxisse: nam ad quem pertinent commoda, ad illum quoque onera & incommoda pertinere æquissimum est.* Quomodo intelligit, Adamum vitæ conditionem & promissionem non sibi tantum, sed etiam suis posteris accepisse si staret? An sic, posteros Adami futuros fuisse sub eadem conditione & promissione vitæ, sub qua erat Adamus, hoc est, perpetuò victuros, si Dei legem non violassent? Hoc verissimum est. Nam sub quo fœdere sunt patres, sub eodem etiam eorum liberi sunt. An Adamum communicaturum cum posteris justitiam suam originalem, quam conseruasset, fuisse? Nihil verius; sed quid ista ad imputationem peccati Adamici, præsertim antecedentem? Peccato suo se priuavit justitia originali, & corruptionem contraxit, eamque priuationem & corruptionem propagauit in posteros, & per eam suum mortis reatum. Quare, vt fuit sub lege peccati & mortis, sic liberos genuit similiter sub lege peccati & mortis. Communicauit enim cum illis suum peccatum, & per peccatum, mortem. An denique intelligit, justitiam Adami, si stetisset, omnibus ejus posteris ad vitam æternam imputandam fuisse? Primùm hoc negat, & aliquot argu-

mentis refellit D. Garissolius lib. de Imput. primi peccati cap. xv. §. 14. pag. 510. 511. Deinde, vnde id sciri potest? Denique, oportuisset Adamum genere liberos sibi dissimiles, hoc est, immutabiles seu impeccabiles. Ponamus enim eos peccasse, fuissent simul & iusti imputatione paternæ justitiæ, & iniusti proprio peccato, atque adeo simul & vita & morte digni. Si dixeris, peccando ab illa imputatione excidisse, reponam igitur illam imputationem superfluum ac inutilem fuisse, quippe quæ, si peccassent, eis nullo fuisset vsui; utpote non minùs propria justitia iustis, quàm ipse fuerat Adamus. Valet igitur hoc argumentum ad euertendam potius quàm ad stabiliendam imputationem antecedentem Adamici peccati. Quis enim credat, Deum æquissimum eam legem posuisse Adamo, ut si obediret, quantumvis constanter & perpetuò, non imputaretur ejus obedientia posteris, imputaretur tamen ejus inobedientia, si contingeret eum vel semel non obedire; atque ita (quod ad imputationem attinet) contrario modo sese obedientia & inobedientia haberent?

C A P V T VII.

*Si quam imputationem primi Adæ peccati probant
Argumenta D. Garissolij, eam nonnisi
mediatam seu consequentem esse.*

I. Sic se habuerunt argumenta D. Maresij. Edita
Est Montalbani Anno M. DC. XLVIII.
Decreti Synodici Carentoniensis De Imputatione

primi peccati Adæ explicatio & defensio ; autore Ant. Gariffolio in Ecclesia & Academia Montalbanaensi Verbi Dei ministro, & SS. Theologiæ Professore ; Amplissimis Ecclesiarum & Academiarum Tigurinae, Bernensis, Basileensis, Schaphusianæ Prætidibus, supremisque Scholarchis &c. dicata, apud quos de quibusdam, quos non nominat, spargit multa, & queritur, veritatis & pacis, sui que adeò ipsius honoris causa, si quid intelligo, potius tacenda. Qui apud tantos viros tam publicè accusati, sibi, nisi paci & tranquillitati Ecclesiæ, quàm famæ suæ, consultum maluissent, haudquaquam defuissent. Sed quia (quod mihi vehementer dolet) præmatura morte magnus ille vir ereptus Ecclesiæ est, parvum eius memoriæ, quantum possum, cupio.

II. Missa igitur Epistola dedicatoria, is toto fere libro duo quædam manuscripta, Placeique theses refellere studuit. Eorum Manuscriptorum alterum *prius*, alterum *posterius* appellat, credo quia alterum ante Synodum nationalem, alterum post scriptum fuit. Prius illud paucis ante Synodum nationalem mensibus suis auctor ab amico pastore satis grandæuo rogatus ex tempore quasi fuderat, autographumque suum, quia tabellarius vrgebat, nullo retento exemplo, nec cum vlllo vel collega, vel amico communicatum, nec postea à se vlllo modo visum, ad eum miserat. Itaque si qua illius disseminata sunt exemplaria, id, aut ab eo, ad quem missum fuerat, aut ab ipso D. Gariffolio, cum quo ille id communicauerat, factum fuisse oportuit. Illud certè nec suus autor habet, neque Placeus, & quis illius aliquòd habeat exemplar, nunc quidem me prorsus fugit. Itaque non

non possum illud cum D. Garissolij refutatione vllō modo conferre.

Ad posterius manuscriptum quod spectat, scriptum fuit à Placeo festinanti calamo ineunte anno 1647. nihilque est nisi responsio ad aliud manuscriptum ipsius Thesisibus oppositum, ab amico quodam ipsi ob atatem, & doctrinam & munus venerandum, compositum, & ad ipsum, vt ei, si minùs acquiesceret, celeriter responderet, missum. Paruit ei Placeus, & respondit. Peruenit ad manus D. Garissolij ea responsio. Putauit eam manuscriptam & priuatam vnā cum priore illo manuscripto publicè, libro typis excuso, & apud Reuerendos Heluetios, qui fortasse nefando quidem quicquam de ea acceperant, sibi esse refutandam: quam, si vna cum refutatione sua vulgasset, virisque amplissimis legendam exhibuisset, facillimum fuisset eis de tota hac caussa iudicium ferre. Sed placuit viro docto Aduersarium suum, (si tamen Aduersarius appellandus est is, qui, ne verbo quidem, eum offendere cuperet) intra priuatos parietes conclusum tenere, ac velut immisso lupatho coërcere, dum foris, omnibus audientibus, apud illustrissimos viros, eum grauissimè accusaret, causamque istam totam aduersus eum disceptaret.

Ita autem duo illa manuscripta citat, quasi ab eodem autore conscripta essent, cum tamen non ignoraret solius posterioris Placeum esse autorem; id quod etiam vno aut altero loco non obscurè innuit: Et cum posterius hoc manuscriptum in capita XIV. esset distributum, extractas ex eo particulas vbique fere disseminat, capite nunquam notato; vt nescias ex quo manuscripto, vel manuscripti capite excer-

ptum sit id quod citat & refutat : quæ res mihi manuscriptum posterius (illud enim prius , vt dixi , nec habeo , nec vnde habere possim scio) cum eius refutatione conferenti , plurimum dedit negotij .

Quoniam autem in eo manuscripto Placeus primum statum quæstionis constituerat perquam accurate , deinde argumenta eius pro imputatione immediata peccati Adamici quicum disputabat , à Scriptura , à ratione , à Patrum & Reformatorum testimonijs ducta dissoluerat , suamque responsionem varijs contra illam imputationem , vt ferebat occasio , rationibus conspèrerat , exagitauit D. Garissolius vehementer illam status quæstionis constitutionem atque expositionem , eaque neglecta sententiam Placeo , quam non agnoscit , vbique attribuit , eamque argumentis ita oppugnauit , vt passim aliquas vel responsiones vel rationes Placei inseruerit , & refellere studuerit . Argumenta autem illius , cui Placeus respondebat , quam vim habeant , non aliundè meliùs cognosci potest quàm ex manuscripto illo posteriore , in quo diligenter & summa cum fide ad rationis examen sunt reuocata . Argumenta verò D. Gar. vel eadem sunt cum illis , vel , si ab illis aliquo modo differunt verbis & modo proponendi , idem tamen fere est pondus , vt vix à Manuscripti illius cum libro D. Gar. collatione & contentione eximi possint . Eximam tamen quoad potero , & hoc in loco lectori meo sistam , vt videat ea nihil antecedentem imputationem iuuare .

Ille igitur constituto , non vt voluit Placeus , sed vt ipse contra verba & mentem Placei voluit , statu quæstionis absque vlla imputationis distinctione , quoniam satis intelligebat , imputationem antece-

dentem seu immediatam per se ipsam probari nullo modo posse, statim digressus est totis quatuor capitibus IV. V. VI. VII. vt probaret in genere, imputationem alieni peccati injustam non esse. Id quod primùm non tam argumentari est quàm respondere Argumento, quo imputatio antecedens primi Adæ peccati impugnatur, ex eo ducto, quod illa videatur cum iustitia pugnare. Deinde id probat quod Placeus non negat. Qui enim imputationem agnoscit peccati alieni mediatam seu consequentem, is certè fatetur aliquam imputationem alieni peccati injustam non esse. Non igitur in genere probandum id erat de alieni peccati imputatione; constat enim & iustam & iniustam esse aliquam posse; sed in specie de tali imputatione, qualis ponitur esse imputatio peccati Adami antecedens seu immediata. Id quod profectò probatu prorsus impossibile est. Sed quicquid sit, nunc enim mihi non libet cum viro docto excurrere, hæc nulla est consequentia: Aliqua imputatio alieni peccati non est injusta, Ergo primum peccatum actuale Adami omnibus ejus posteris imputatur, & quidem imputatione corruptionem hæreditariam antecedente. Non enim ex illo antecedente consequitur magis talis peccati, nempe primi actualis Adami, talis imputatio, nimirum antecedens, quàm cujusvis alius peccati alieni, siue ipsius Adami, siue aliorum Patriarcharum quælibet imputatio.

Missæ igitur illa digressionem cap. VIII. Argumenta quædam profert ex cap. v. Ep. ad Rom. v. 12. & seqq. Sed ea argumenta non probare nisi imputationem, quæ corruptionem hæreditariam consequitur, Primùm ipsemet fatetur, cap. 8. §. 3. p. 206. & ali-

bi, ut est a nobis obseruatum supra cap. 4. p. 21. & cap. proximo p. 35.

Deinde cum sint ducta a comparatione, quam instituit Apostolus inter Christum & Adamum, posset iis omnibus vna responsio opponi, nimirum similitudinem in re tantum esse non in rei modo. Quam responsionem Placeus non didicit à Socino, sed ab Apostolo Rom. 5. 15. 16. à Caluino Com. in Rom. 5. 17. &, ut alios omittam, à Clariss. Theologo Andræa Riueto, cujus hæc sunt verba in Catholico Orthodoxo Tract. iv. Quæst. 2. §. 18. *Nihil tamen est in hoc argumento quod nos adigat ut agnoscamus necessitatem qualitatum inherentium. Id enim probari tantum potest, nos in Christo iustitiam habere, quemadmodum in Adamo iniustitiam. Erit autem comparatio causarum, non modi quo nobis res communicatur. Nam peccatum Adami nobis communicatur per generationem, iustitia autem Christi per imputationem. Itaque non comparat Apostolus modos quibus iustitia recipitur, sed causas, effectus & subiecta utriusque. Causa salutis est obedientia secundi Adami, ut causa condemnationis fuit inobedientia primi. Effecta sunt quod vna nos iniustos constituit, altera iustos. Subiecta sunt multi, per unum iusti, per alium iniusti redditi. Ideo Episcopus Bipontinus eiusdem cap. hæc verba explicans. Sed non sicut delictum, ita & donum, Ex tota precedenti similitudine concludit, Similitudo igitur est quoad rem inter hæc, sed non quoad modum. Hoc cum ita sit, aduersariorum claudicat argumentum quia a re ad modum rei non bene argumentantur. In edit. Gall. §. 8. hæc vltima verba efferuntur plenius, Cela estant, l'argument des Aduersaires ne vaut rien; pource qu'ils concluent en isclay,*

Rom. 5.
15.
Comm.
ad cap.
Ep. ad
Rom.

que nous sommes infistiez en Christ, de mesme façon que nous sommes rendus pecheurs en Adam, ce que l'Apostre ne dit pas. Quid pro ista nostra responsione, & contra argumenta D. Gar. dici potuit disertius? Ea tamen expendamus breuiter. Non referam omnia eius verba: sunt enim nimis proluxa; sed ea tantum, in quibus neruus & vis argumenti consistit.

Arg. 1. *Apostolus id sibi propositum habet posteriori capitis 5. parte, quæ a vers. 12. usque ad finem pertingit, ut, quæ de justificatione docuit, ea nobilis typi expositione confirmet. &c.* Docuit autem cap. 4. justificationis nostre rationem in eo consistere, quod per imputationem iustitiæ Christi fide perceptæ, justificemur, id est, iusti habeamur & absoluamur apud Deum &c. Itaque hoc vult Apostolus ex ista Christi cum Adamo collatione concludere, justificationem nobis obtingere ex imputatione iustitiæ Christi. Atqui hoc nulla legitima ratione concludi posset, nisi poneretur imputatio peccati Adæ. &c. Quæ enim est eiusmodi consequentiæ vis aut ratio? Peccatum naturaliter ex Adamo in nos propagatur, sine omni imputatione. Ergo iustitia secundi Adami, qui Christus est, non propagatio-
ne, sed imputatione ad nos descendit.

Resp. 1. Primam illam Majorem propositionem, *Apostolus quæ de justificatione cap. 4. docuit, ea nobilis typi expositione confirmat, vel vniuersaliter accipi, vel particulariter, hoc est, Apostolum vel omnia quæ docuit confirmare, vel quædam.* Si prius, falsa est propositio. Docuerat enim, fidem imputari ad iustitiam, non justificari hominem ex operibus legis, promissionem non esse per legem, quamnam sit fides per quam justificamur &c. Quæ tamen propriè non confirmat ductis ab isto typo argumentis: quippe

Cap. 8.
§. 2.
P. 100.

P. 101.

quorum in illa comparatione ne meminit quidem. Si posterius, vitiosum est argumentum, nec ullam concludendi vim habet: est enim in prima syllogismo- rum figura. Quod si concipiatur in tertia figura sub- juncta minore vniuersali; ea minor sine dubio falsa crit apertè.

Resp. 2. Vt ponamus vitio carere Syllogismum, ejus conclusionem non obesse Placeo. Concedit enim vltro primi Adæ peccati imputationem, modò con- sequens seu mediata intelligatur, quam intelligi, non autem antecedentem seu immediatam, illa ipsa Chri- stum inter & Adamum comparatio flagitat. Nam *imputatio justitiæ Christi fide perceptæ*, nostrum consen- sum, nostram fidem consequitur, eaque mediante fit. Consentaneum est igitur, vt imputatio primi Adæ peccati ei respondens, aliquem nostrum, si non actum, saltem habitum, si non actualem, saltem habitualem consensum sequatur, eoque mediante fiat.

Resp. 3. eam D. Gar. conclusionem adscribere A- postolo, quæ ex illa comparatione deduci non potest, nisi euerfa constante omnium Patrum, omniumque Ecclesiarum Orthodoxarum doctrina. Vult enim hanc esse conclusionem Apostoli. *Ergo iustitia secun- di Adami, qui Christus est, non propagatione, sed im- putatione ad nos descendit.* Quæ conclusio sequi non potest nisi ex hoc antecedente, Peccatum Adami non propagatione, sed imputatione ad nos descen- dit. Nam si ponas peccatum Adami partim propa- gatione, partim imputatione ad nos descendere, quâ consequentiâ inde conficies, justitiam Christi non propagatione, sed imputatione descendere? Opor-

tet certè similiter in antecedente propagationem peccati Adæ negare, quam omnes & Patres & Protestantes constanter docuerunt. Quid, quod etiam posito isto falso & erroneo antecedente, consequi non potest illa conclusio, nisi vi majoris istius propositionis quam subtrahit, Quomodo peccatum Adami ad nos descendit, eodem, & non alio, descendit ad nos Christi justitia. Iam autem ista propositio si ita vniuersaliter intelligitur, aperte falsa est. Descendit enim in nos peccatum Adami non ex gratia, sed ex iustitia; naturaliter, non supernaturaliter; nobis actu non consentientibus &c; Eodemne modo descendit ad nos Christi justitia? Sin autem intelligitur particulariter, vt sit similitudo in quodam modo, non in omni, vitiosa erit consequentia, vt pote ex maiore particulari in prima figura. It ergo & contra Ecclesiæ doctrinam hæc argumentatio, & Apostolum facit malè ratiocinantem. Quæ omnia viro docto excidisse, & quidem in ipso primo eius argumento, dolendum profectò est, vt & illud quod sequitur.

Alterum hoc, inquit, rectissimè & euidentissimè concluditur: Adamus est typus Christi, & sunt Adamus & Christus capita generis humani in contrariis effectis. Atqui Adamici peccati imputatione omnes sumus peccatores & rei. Ergo & iustitiæ Christi imputatione omnes iustificamur, seu iusti constituimur apud Deum. Quomodo enim id rectissimè & euidentissimè concluditur, cum sint in argumento sex aut septem termini? Et quomodo hoc voluit concludere Apostolus, qui neque imputationis peccati Adamici, neque imputationis iustitiæ Christi in toto hoc capite meminit? Et quo-

modo si hoc Apostolus voluit, Calvinus, Martyr, & alij in suis commentariis, eius mentem & verba exposuerunt, nullâ, neque imputationis peccati Adami, neque eiusmodi argumentationis, facta mentione? Quid, quod istud argumentum, ad eum non rectissime & evidentissime concludit, ut etiam possit retorqueri. Nam quæ est consequentia, Adamus & Christus sunt capita generis humani in contrariis effectis. Ergo contraria ista effecta ab iis eodem prorsus modo procedunt? Annon potius sequitur, contraria cum sint effecta, illa ab iis contrario modo procedere? id quod etiam res ipsa confirmat. Nam ab Adamo nascimur peccatores naturaliter, a Christo simus iusti supernaturaliter, ab illo ex iustitia, ab hoc ex gratia, ab illo sine actuali nostro consensu, ab hoc per actualem nostrum consensum, ab illo per propagationem naturalem, (id enim ex quo nata est hæresis Pelagiana perpetuò ab orthodoxis creditum fuit.) ab hoc nullo modo per eiusmodi propagationem. Mitto cætera discrimina, quorum quædam, ut dixi, ipse Apostolus observavit, quædam Calvinus ad *Vs. 17.* iis, quæ Apostolus observauerat, adiunxit. Sed fac argumentum illud D. Gar. rectè concludere, concedet Placeus nos omnes Adamici peccati imputatione consequente seu mediata esse peccatores & reos, negabit antecedente seu immediata. Quid facilius quàm ita respondere?

Hic D. G. Laudato loco ex Clar. Amyraldi lib. de Iustif. in Millet. c. 3. ex eo sic colligit. *Audis, inquit, ex inobedientia Adami, quæ fuerit unica actio, in nos descendentem condemnationem, quæ non sit aliquid inherens, sed obligatio ad pœnam* (addiderat Cl. Amyr. *vel obligationis*

gationis illius declaratio à potestate superiori.) Qui autem propter inobedientiam alterius obligatur ad pœnam, reatum sustinet illius inobedientiæ, adeoque imputatur ei illa inobedientia.

Audio quidem ex illa inobedientia descendere in nos condemnationem, sed non audio descendere immediatè & ante corruptionem hæreditariam. id quod tamen vnum inter nos controuertitur. Dixit vir Clar. Adamum *inob. dientiâ suâ condemnationem & mortem inuexisse*, nimirum quia inuexit peccatum in omnes homines, causam condemnationis & mortis, vt patet ex Rom. 5. 12. Dixit eos qui cum Adamo *communione habent, eius condemnationem participare, & una cum eo morti esse subiectos.* Intelligit autem communionem cum Adamo, non quatenus fuit homo (hanc enim etiam ipse Christus habuit) sed quatenus fuit peccator. Habemus autem communionem cum Adamo quatenus fuit homo, quia traximus ab eo naturam nostram, & quatenus fuit peccator, quia traximus ab eo peccatum nostrum. Sustinemus itaque reatum illius inobedientiæ, sed mediante corruptione ab eo in nos deriuata.

Hinc ansam arripit D. Gar. inuehendi in eos qui Rom. 5. vs. 12. 13. *p. ccati nomine, non ipsum Adami peccatum actuale intelligendum contendunt, sed potius & solum corruptionem internam, & nobis propagatione carnis ex Adamo inherentem.* Voluit sine dubio taxare Placcum, immemor ante hoc vltimum seculum, & superioris finem hanc fuisse omnium aut saltem ferè omnium quotquot non fuerunt pelagiani aut Pighiani, communem expositionem. Interim non diffiteor, quin nomine lapsus & inobedientiæ etiam actuale

illud primum Adami peccatum intelligi debeat.

Sed nescio quid argumenti D. Gar. subjungit. *Quomodo*, inquit, *de justitia Christi loquitur Apostolus, ita etiam de peccato Adami. At proprie nonnisi de illa justitia loquitur, quæ est ipsius Christi formaliter & subjectiue, nostra verò relatiue & per imputationem. Ergo & proprie nonnisi de illo peccato Adami loquitur, quod in Adamo inhælit, sed imputatione nostrum fit.* Taceo duplex hujus syllogismi in forma vitium, vnum, quod majori affirmanti negantem subsumit in prima figura: alterum, quod in Majore de modo loquendi agitur, in minore verò de re ipsa, hoc est, de quadam justitia: posset enim vtrumque facillè corrigi. Taceo etiam Apostolum non meminisse justitiæ, τῆς δικαιοσύνης Christi, sed ἐνὸς δικαιώματος, τῆς ὑπακοῆς τῆ ἐνός. Illud obseruo: In suum autorem recidere hoc argumentum, & quidem duplicato ictu. Nam primò justitia quæ fuit in Christo formaliter & subjectiue, justitia fuit habitualis, actiones enim non sunt formaliter & subjectiue in agente, sed ab agente. Vnde sequitur similiter Apostolum de Adami peccato habituali loqui: quod tamen hoc ipso loco D. Gar. negat. Deinde per justitiam Christi D. Gar. justitiam intelligit, quæ vniuersam totius vitæ Christi obedientiam complectitur. Oportet igitur etiam per peccatum Adami omnem totius vitæ ejus inobedientiam intelligere. Id quod falsum esse & omnes fatentur, & ipse D. G. clamat. Quod si per iustitiam Christi, vnam tantum singularem Christi obedientiam intelligi voluit, oppositam vni tantum singulari peccato Adami, agnosceret quidem Plac. ita accipiat ab Apostolo παρασιώματος, & παρακοῆς nomina ἄλ.

18. & 19. Sed negabit inde sequi, aut imputationem immediatam inobedienciæ actualis Adami, aut Apostolum per τῷ ἁμαρτίαν Ὡς. 12. 13. non designasse vitium inhærens: ac nihilominus hujus D. Gar. argumentationis vanitatem sic ostendet: Subsumet enim, Atqui Apostolus propriè non loquitur de prima Christi iustitia seu obedientia, sed de vltima. Ergo & propriè non loquitur de primo Adami peccato, sed de vltimo. Quid falsius ista conclusione? Quid tamen obstat, quominus æquè rectè & evidenter colligi videatur ac illa D. Garissolij? Quod porro ait justitiam Christi nostram fieri per imputationem, id si verum est, ideò est verum, quoniam illa imputatio gratuita eius donatio est. Fit enim nostra propriè loquendo Christi iustitia, Dei & Christi dono, & nostrâ per fidem acceptione; quo modo certè peccatum Adami fieri nostrum non potest. Quod discrimen passim Apostolus inculcat τῷ πειρασμῷ & κριματι opponens τὸ χάρισμα, τὸ δῶρημα, τῷ δουρατὶ ἐν χάριτι, τῷ πειρασμῷ τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς. Quod subjungit, peccatum quod in Adamo inhaesit imputatione nostrum fieri, mihi vehementer absurdum videtur. Inde enim sequitur, peccatum illud non imputari nobis, quia nostrum sit; sed contra nostrum esse, quia nobis imputetur; atque adeò illam imputationem causam esse cur peccatores & rei sumus, sicut donatio & imputatio justitiæ Christi causa est cur sumus justii. Id quod quàm sit a Dei judicis (nam imputatio est actio judiciaria) æquitate alienum, nemo pius non videret. Cæterum lege si placet comm. Caluini in Ὡς. 17. Hic etiam D.G. confitetur, imputationem sequi corruptionem nativam, quo confesso, quam imputatio-

nem probare potest, nisi consequentem? *Imputatio*, inquit, *necessariò cum corruptione nativâ coniungitur, imò eam sequitur.*

Videtur §. 6. aliud quoddam argumentum afferre, Sed reuera idem est cum superiori, si vim & pondus spectes, vt nihil sit opus alia responsione. Id tamen quale sit videamus. *Sed & illud, inquit, ad scopum huius loci pertinet, quòd causæ contrariorum effectuum comparantur, vt scilicet Adamus & Christus, tanquam causæ ejusdem generis producant effectus suos in suis. Itaque quomodo Christus est causa justificationis, ita est Adamus causa condemnationis. Nempe Christus justificationis & reconciliationis nostræ causa meritoria: Adamus itidem causa meritoria condemn. tionis & abdicationis nostræ &c. Hinc colligit; Qui peccato suo nobis reatum & pœnam meruit, illius peccatum nobis imputatur. Sicut qui justitia sua nobis reconciliationem meretur & vitam, illius justitia imputatur. Atqui Adamus peccato suo nobis meruit, vt rei simus & pœnis obnoxij. Itaque dubitari non potest, quin illius peccatum nobis imputetur.* Singula expendamus: Fateor Christum & Adamum esse causas contrariorum effectuum in suis, illum iustificationis, hunc condemnationis, nego inde sequi, Quomodo Christus est causa iustificationis, ita esse Adamum causam condemnationis, nisi *quomodo* accipiatur pro *quàm verè*. Contrarium enim potius, vt jam monui, inde sequitur. Causæ enim contrariorum effectuum non agunt eodem modo, nisi fortè generali, sed potius contrario. Non enim quod calefacit, eodem modo speciali agit ac quod frigefacit, sed opposito potius; illud enim agit calefaciendo, hoc frigefaciendo. Christus fuit causa iustificationis obediendo;

Adamus condemnationis inobediendo; Ille edendo de fructu vetito, hic moriendo; Ille soluendo quod debebamus vt vas noster, hic alio planè modo: nam nec vas noster erat, nec fecit aut soluit quod debebamus, tantùm fecit id quod non facere tenebatur.

Quare egregiè ad object. Bellarm. ex Rom. 5.

sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam ad vitam æternam, respondet Clarissimus vir, cuius quondam auditor fuit Placeus, Chamierus, his verbis (transcribam enim totam eius responsionem, quia lectu dignissima est.)

Respondeo, iustitiam hoc loco, intelligi internam renouationem nostram, concedi non posse: sed iustitiam illam Christi, cuius imputatione sumus iusti: Neque concedimus ullam in Antithesi vim esse, quæ illud inferat. Peccatum fatemur intelligi id, quod regnabat per opera mortifera: siue melius ipsam illam corruptionem nobis inherens unde opera mortifera: sed propterea iustitiam intelligendam nobis inherens prorsus negamus. Non enim omninò eadem ratio cadendi, quæ resurgendi. Cadere homo non potuit, nisi per proprium peccatum, nunquam per alienum. Sed vicissim, qui per proprium peccatum cecidit, non potuit resurgere, nisi per alienam iustitiam. Quomodo non potest decoctor in veruo esse nisi per propriam indigentiam: sed neruo solui idem non potest, nisi per alienam opulentiam; nimirum eius, qui pro eo pecunias numerat. Itaque comparatur peccatum iustitie, non tanquam inherens inherenti, quo seipsum decipit Bellarminus: sed tanquam causa cause, illinc mortis, hinc vite. Hæctenus Chamierus. Cùm igitur propositio, Quomodo Christus est causa iustificationis, ita est Adamus causa condemnationis, non sit vniuersaliter vera, non potest ex ea deduci hæc conclusio,

lib. 10.
de iustif. cap.
xv §. 11.
pag. 893

Ergo vt Christus est causa meritoria iustificationis, sic Adamus est causa meritoria condemnationis. Quocumque enim modo ex ea formetur syllogismus, eius, si sit in prima figura, vitiosa erit forma; si in tertia, minor erit apertè falsa. Demus tamen, Adamum esse causam meritoriam condemnationis: num inde consequetur peccati Adamici imputatio immediata? nullo modo. Est enim causa meritoria, nostræ condemnationis, non immediatè, aut merito antecedente corruptionem hæreditariam, sed mediante illa corruptione quam nobiscum communicauit. meruit enim nobis condemnationem, quia meruit sibi condemnationem, & suum meritum seu peccatum in nos propagauit, ac per peccatum seu meritum condemnationem. Constat enim nos omnes ex Adamo reatum & condemnationem mediante corruptione hæreditaria ab eo in nos propagatâ trahere. Id quod similiter de Christo dici non potest, nos iustificationem ab eo, mediante inhærente iustitia in nos propagata, trahere: non enim, vt corruptio hæreditaria verè peccatum est nobis condemnandis sufficiens, sic iustitia nobis inhærens meretur vitam æternam aut ad nos iustificandos sufficit. Hoc discrimen qui nos oppugnant, si agnoscunt, vident sua huiusmodi argumenta ruere; si non agnoscunt, discedunt a fidei confessione, quam 28. Synodi Nat. confirmauerunt. vtrumuis eligunt?

Quid superioribus argumentis pro imputatione peccati Adæ, præsertim immediata, debilius? Laudat tamen ea suus auctor, &, vt sine Lectoris fastidio repeti possint, *in breue compendium redigit. Comparantur, inquit, causæ, comparantur causarum effecta, com-*

parantur effectorum modi. Causæ, scilicet Christus & Adamus, comparantur, quòd utraque eundem respectum & ἕκον habeat ad illa, quæ in hominibus producant, effecta, nempe respectum meriti; quòd utraque non tantum per quamcunque efficientiam, aut quomodolibet dictam, sed per meritoriam efficientiam producant, altera iustificationem, altera condemnationem. Causas & causarum effecta comparari fateor; nego effectorum modos; Nego utramque causam eundem respectum habere ad illa, quæ in hominibus producant, effecta: habent enim diuersum potius: Altera enim per naturam, altera per gratiam producit effectum suum; Illa per generationem carnalem, hæc per gratuitam donationem; Illa propagando in nos peccatum inhærens quod meretur condemnationem, hæc remittendo nobis illud peccatum inhærens; Illa ἕκον habet ad vnum tantum peccatum & reatum, hæc ad omnes reatus omnium peccatorum nostrorum. Quomodo ergo demonstrabitur, eundem esse vtriusque respectum, & quidem meriti? Meruit nobis Christus remissionem peccatorum. Is enim debita nostra exsoluit. Is Iustitiæ Diuinæ loco nostro satisfecit. Is mortem, quam eramus commeriti, passus est, &, vt loquitur Apostolus, *factus est pro nobis peccatum, vt effemus iustitia Dei in ipso*. Is suum nobis vltro meritum dedit: nos id per fidem oblatum accipimus. Hæc Patris, hæc Filii mens, hæc voluntas, hoc consilium, hic scopus fuit. Id Scriptura passim inculcat. Dicit-ne de Adamo tale quid? Voluit-ne is nobis sua illa inobedientia mortem mereri? Peccauit-ne loco nostro? Dedit-ne nobis suum illud meritum? Illud-ne accipimus per aliquem mentis voluntatis-ve actum no-

strum? Quomodo ergo dicitur vtriusque idem esse respectus, eadem *ætas*? An si vitium inhærens nobis damnandis sufficiens in nos ab Adamo propagatum est, consequens est, iustitiam inhærentem nobis iustificandis sufficientem in nos à Christo propagatam fuisse? Videant tamen, quæso, qui nobis in hac causa aduersantur, annon hoc æquè ac imputatio antecedens Adamici peccati Argumentis D. Garissolij colligi possit? Quantacunq; igitur inter vtramq; causam, non jam identitas, sed similitudo meriti dicatur esse, arctè tenendum est, in modo communicandi meriti haud exiguam dissimilitudinem obseruari debere.

Subnectit D. G. Syllogismum. *Illud cuius consideratione & merito, vel condemnatur, vel iustificatur, imputatur nobis, vel ad culpam & reatum, vel ad iustitiam & absolutionem. Atqui consideratione & merito peccati Adæ condemnatur; consideratione & merito iustitiæ Christi absolvimur & iustificatur. Ergo & peccatum Adæ & iustitia Christi nobis imputantur.*

Concedi potest conclusio. Probat enim imputari quod Pl. non negat: non probat imputari immediatè seu ante corruptionem inhærentem. Id quod vnum Pl. negat: Concedit enim vtrò & peccatum Adami mediante corruptione nostra, & iustitiam Christi mediante fide nostra, nobis imputari. Distinguenda est itaque minor. Nam si consideratio & meritum intelligitur antecedens corruptionem hæreditariam, negatur minor; sin consequens, conceditur. Vel distinguitur peccatum Adæ: condemnatur enim consideratione & merito peccati Adæ in nos propagati, peccati verò Adæ præcisi à propagato vitio, & ante illud immediatè spectati, non item.

Deinde,

Vt enim iustitia Christi fit nostra per fidem, sic peccatum Adami fit nostrum per communicatum inherens vitium.

Deinde, inquit, comparantur effecta illarum causarum, nimirum peccatum & iustitia. Quod à Christo ad nos pertingit, non est tantum iustitia inherens & nostra subjectiue, sed etiam iustitia extra nos, & aliena, & nostra non nisi imputatiue. Ergo quod ab Adamo ad nos pertingit, non est tantum corruptio inherens, & habitualis, sed etiam peccatum & inobedientia extra nos, & aliena, & nostra non nisi per imputationem. Primum nulla est hæc consequentia: niuitur enim ommissa propositione majore, quæ quocunque modo concipiatur, erit, si vniuersalis, falsa; si particularis, inepta ad hanc efficiendam conclusionem. Deinde fateor nos à Christo non tantum moralem, sed etiam forensam iustitiam habere, quarum illa corruptioni inherenti, hæc creatui, qui corruptionem sequitur, opponitur; itaque ab Adamo ad nos pertigisse non tantum moralem, sed etiam forensam iniustitiam, nempe corruptionem & reatum. Eatenus est similitudo. Sed admiscet D. G. falsa quædam. Primò falsum est iustitiam Christi non esse nostram nisi imputatiue. Est enim nostra Dei & Christi dono, nec non acceptione nostra per fidem. Itaque *donum, donatio per gratiam, redundantia gratiæ, donum iustitiæ* vocatur ab Apostolo. Quæ nomina quis non videt discrimen ponere inter iustitiam quæ à Christo, & peccatum quod ab Adamo ad nos pertingit, in modo quo sunt nostra? Offeritur nobis hoc donum prædicatione Euangelij & accipitur per fidem. Itaque fide iustificamur. Melius igitur loquitur Pareus, *Vt donum sit nostrum, eum manu accipitur:*

Comm.
in Rom.
3. 21. 17.

ita donum iustitiae nostrum fit, quando fide id nobis applicamus. Deinde quam Christi iustitiam intelligit? habitualem? habitualis igitur Adami iniustitia intelligenda erit, non autem ejus peccatum actuale. Actualement totius vitæ? Erit ergo similiter intelligenda actualis iniustitia totius vitæ Adami, quod nemo tamen dixerit. Passiuam quam vocant, quæ morali quidem sensu iustitia non est, sed forensi? Hæc propriè soli reatui opponitur. Nascitur autem ex corruptione reatus. Ab Adamo igitur ad nos pertingit reatus corruptionem sequens, qui per illam corruptionem noster est, non autem per imputationem tantum. Hoc qui negauerit, is à Scriptura & omnium Ecclesiarum protestantium doctrinâ, fidei confessionibus, & aduersus Pelagium & Pighium disputationibus declaratâ discedet. Si quis autem eo non contentus alium dicat ab Adamo ad nos pertingere reatum, qui corruptionem antecedit, & noster non sit nisi per imputationem, is & duos reatus ponet, alterum priorem, alterum posteriorem corruptione, contradicente D. Garissolio locis jam à me notatis pag. hujus lib. 27. & Deum faciet autorem peccati nostri: quippe qui iudiciaria sua imputatione peccatores nos facit, alioqui non peccatores: &, vt reliqua taceam, inuehet nouum dogma in Ecclesiam præter Scripturam, & fidem antiquam. Sed pergamus.

Denique, inquit, comparatur modus effectorum, quæ ab illis causis ad nos pertinent. Iusti constituimur per Christum: peccatores per Adamum. Quomodo iusti per Christum? imputatione iustitiæ ipsius. Quomodo peccatores per Adamum? imputatione inobedientiæ ipsius. Iam ego & Clariss. Riuetus negauimus comparari

modos, & rectè quidem: nam quærenti, Quomodo iusti per Christum? Si quis autore Apostolo respondeat, donatione iustitiæ per gratiam, poterit-ne quærenti, Quomodo peccatores per Adamum? similiter respondere, donatione iustitiæ? Et quidem per gratiam?

Superiora argumenta ducta fuerunt à scopo Apostoli, sequuntur ea, quæ ducuntur ex ejus verbis. Missa brevitatis studio V. l. 12. explicatione, quid inde concludat videamus. Certè, inquit, *oppositorum eadem est ratio, & ex unius intelligentiâ in alterius cognitionem facile devenitur. Si norimus quid sit iustitia per Christum allata, intelligemus & quid sit peccatum per Adamum introductum. Atqui iustitia per Christum introducta duplex est, imputata & inherens, ita tamen, ut ex ratione materie & argumenti, quod disceptatur à Paulo, imputata hîc propriè intelligenda veniat, cum de justificatione agatur, inherens autem, nonnisi ex consequentia rerum, quatenus scilicet nullus imputatâ iustitiâ donatur, cui non Deus etiam inherentem largiatur. Ergo similiter, peccatum per Adamum introductum, est illud quidem duplex, imputatum & inherens in nobis, ita tamen ut ex ratione negotij, quod hîc agitur, imputatum propriè intelligatur; inherens autem nonnisi ex consequenti, propter arctissimam & indissolubilem coniunctionem imputationis & corruptionis originalis. Hæc expendamus. Certè, inquit, oppositorum eadem est ratio: omnium ne, inquam, & omnis, an quorundam tantum & quædam? Si hoc, vitiosa est argumentatio; Si illud, falsa est propositio. Opponuntur avaritia & prodigalitas, est-ne eadem prorsus utriusque ratio? Si est eadem, est-ne etiam eadem prorsus liberalitatis, quæ utriusque opponitur?*

Sed fac ita esse, annon erit intelligenda propo-

fitio de iis, quæ formaliter & adæquatè & in genere opponuntur, non autem de certis quibusdam eorum indiuiduis? In genere enim obedientia & inobedientia, iustitia & iniustitia opponuntur, itaque altera cognita, altera facile cognoscitur. Sed in specie, vel indiuiduo, potest certa quædam vnias obedientiæ cognosci, ignorata certa quædam alterius inobedientiæ & vice versa, hæc cognosci, illa ignoratâ: ac ne discedamus a subiecta huic disputationi materia, potuit olim cognosci inobedientia Adami non cognita, quæ ei medetur, Christi obedientia, & hæc potuit quibusdam è gentibus nota fieri antequam quicquam de Adami inobedientia edocerentur. Nimirum cum & subiectis, & objectis, & lege, & tempore, & omnibus aliis circumstantiis differât, sunt quidem oppositorum generum duo quædam indiuidua, sed ipsæ per se non opponuntur propriè, nisi ratione effectorum, vt morbus & remedium. Formaliter enim & Logicè loquendo inobedientia Adami opposita fuit debitæ ab eo obedientiæ, & obedientia Christi inobedientiæ quam ex eodem subiecto exclusit. Sed missis illis Philosophicis propositionibus veniamus ad Theologicas. *Atqui*, inquit, *iustitia per Christum introducta duplex est, imputata & inherens.* Agnosco: nam illa reatui, hæc vitioſitati medetur; illa sensu forensi, hæc morali iustitia est. Probo etiam quod addit, *imputatam hic propriè intelligendam venire, cum de justificatione agatur.* Nimirum inherens non iustificat. itaque non est huius loci. *Ergo similiter*, inquit, *peccatum per Adamum introductum est duplex, imputatum & inherens in nobis.* Non sequitur: nam inherens vtrique iustitiæ opponitur, in-

hærenti per suam inhærentiam & vitiositatem , imputatæ per seum , quem fundit , reatum. Peccatum enim inhærens simul est inhærens & imputatum : nam & inhæret nobis , & meritò , nisi remittatur , nobis imputatur. Dispar est iustitiæ inhærentis in nos a Christo deriuatæ ratio : hæc enim inhæret tantùm , non autem ad iustificationem imputatur. Itaque aliâ opus est iustitia imputatâ , hoc est , remissione peccatorum , quæ peccati inhærentis reatum tollat , qui nisi tollatur , iustitia inhærens in corruptionis locum non introducit. Non igitur sicut iustitia inhærens non fuit huius loci , in quo de iustificatione agitur , sic non est huius loci peccatum seu corruptio inhærens. Non enim si illa non iustificat , consequitur hanc non condemnare. Nam illa quidem non iustificat , sed hæc reuera condemnat , facitque in foro diuino reos , & iustitiæ imputatæ ea de causa opponitur. Vides iam , opinor , candidè lector , saltè respectu iustificationis & condemnationis , valdè diuersam esse iustitiæ inhærentis a Christo , & corruptionis inhærentis ab Adamo introductæ rationem. Illa non meretur vitam , hæc meretur mortem. *Hic* , igitur , vt verba

Ro'ol.
phi
Gualt.
in Ep.
ad Rom
Homi-
lia 28.

vsurpem præstantis Theologi Tigurini , *Præbè tenere nos decet discrimen , quod inter Adamum & Christum nup. r. annotauimus. Ille enim peccatum ita in omnem posteritatem propagauit , vt natura omnes nascamur peccatores , & in nobis hæreat peccatum proprium , quod nos æterni supplicij reos facit : Christus autem suam iustitiam sic nobis communicat , non vt in nobis illa insit essentialiter , aut vt propria iustitia in Dei iudicio defendamur , sed quòd nostra dicatur per imputationem gratuitam , idque propter solam fidem , quæ nos illi coniungit , vt eius fratres , imò cor-*

poris sui membra efficiamur. Patere me quaeso, quisquis hæc legis, tanto viro monente, hoc discrimen probè tenere, quod suis istis argumentis nequicquam tollere conatus est D. Gariffolius. Sic se habuit primum eius argumentum. *Accedamus iam*, inquit, *secundo loco ad verba illustria ἐφ' ᾧ πάντες ἡμαρτον, quæ vel sola potuerunt ad doctrinam de imputatione stabiliendam sufficere.* (Hoc quàm sit falsum mox clarum fiet.) *Nam ita significat Apostolus, omnes omnino homines, qui fuerunt, sunt, aut futuri sunt usque ad finem seculi, in Adamo peccante peccauisse.* (An id significet mox videbimus.) *Itaque quicumque veterum aut Recentiorum de imputatione hæc egerunt, illi omnes hoc præsertim loco doctrinam illam confirmarunt.* Prudenter addidit limitationem quicumque de imputatione hæc egerunt. Nam & Calvinus, & Martyr, & alij maximi viri doctrinam illam hoc loco non confirmarunt, confirmaturi sine dubio, si imputationem illam verbis illis doceri credidissent. *Nubem illam testium, qua lucem veritatis obscurare nititur, Deo dante, suo loco dissipabimus.* Nunc cum eo rem ipsam consideremus. *Œ mirum*, inquit, *opponit hæc duo Apostolus, in Adamo omnes peccauerunt, in Christo omnes justificantur.* Itane, inquam, illis verbis ἐφ' ᾧ πάντες ἡμαρτον? Sed pergat. *Sive oppositionē suæ verba spectes, quibus oppositio explicatur, imputationem habes ex eo consurgentem.* Ex oppositione. *Nam ut in Christo iustificantur homines, ita in Adamo peccasse intelliguntur.* Atqui in Christo justificantur per imputationem iustitiæ illius. Ergo & in Adamo peccasse intelligendi sunt, per imputationem peccati Adæ. Primum nego in illis verbis ejusmodi oppositionem fieri. Id erat non supponendum, sed probandum. Deinde, vt jam

aliquoties inculcaui, (nihil enim differt hoc argumentum a superioribus) vniuersaliter vera non est propositio, & similitudo potiùs est in veritate rei, quàm in modo. Nimirum tam verè in Christo iustificantur homines, quàm verè peccauerunt in Adam; Sed non iustificantur eodem prorsus modo quo peccauerunt: id enim res ipsa pati non poterat; sed diuerso. Subsumam enim, *Atqui in Christo iustificantur homines per suam quisque fidem. Ergo & in Adam peccasse intelligendi sunt per suam quisque fidem ne dicam, an incredulitatem?* Nonne hæc minor propositio vera est, Apostoli & omnium Christianorum calculis confirmata? Aut igitur major falsa est, aut admit-tenda est conclusio conclusioni D. Gar. non obscurè opposita. Quid horum pie lector eligis?

Ex verbis addit. Nam vis Aoristi ἠμῶν hic perpendenda. Etenim tempus hoc, in vsu Scripture, aliquando absolutum est à speciali significatione temporis, ut cum dicitur, Omnes deflexerunt, inutiles facti sunt, peccauerunt. Rom. 3, 12. 23. Hoc enim omnia tempora præteritum, præsens, & futurum continet; ut significetur peccasse, qui fuerunt, peccare qui sunt, peccaturos qui erunt. Hic tamen ubi multiplicat Apostolus Aoristos, vis eorum singulariter spectari debet peccatum intrasse, mortem introiisse, omnes peccauisse. Intrauit autem peccatum, ut primùm Adam peccauit, & mortis reatus unà cum illo peccato introiit. Ergo & ut primùm peccauit Adam, nos omnes peccauisse intelligimur; quod sanè meliùs exponi non potest, quàm si dicamus peccatum Ade omnibus imputari. Non dicam peccare hoc argumentum ignoratione elenchi; nec id concludere quod erat inter suum autorem & Placeum controuersum: Hoc enim

peccant omnia D. Gar. argumenta : Nam neid quidem quod concludit probandi vim ullam habet. Etenim si Aoristi, *omnes deflexerunt, inutiles facti sunt, peccauerunt*, Rom. 3. *absoluti sunt à speciali significatione temporis*, quid est, quamobrem similiter non sint ab ea significatione absoluti Aoristi, *peccatum intrauit, mors introiit, omnes peccauerunt*, Rom. 5 ? Obstat, inquires, eorum hoc loco multiplicatio. At nonne æquè illic atque hîc tres numerauit Aoristos ? ac tribus illis quos laudauit ex Rom. 3. addere potuit alios duos ex *Vf. 13. & 17. linguis suis ad dolum vsi sunt, viam veritatis non cognouerunt ?* Quanquam non video cur si duo aut tres Aoristi ita accipi debeant, non possint eodem modo quatuor, vel quinque, vel sex accipi. Non enim multiplicatio Aoristorum mutat eorum significationem. Affirmanti igitur, nec probanti negationem oppono: possem & magnorum, qui ante nos vixerunt, Theologorum autoritatem opponere, sed studio breuitatis mihi tempero, & in alium locum refero. Illud obseruo, mortem introiisse in omnes homines non vnam numero omnibus imputatam, sed suam cuique homini propriam. Hoc non potest negari. Constat etiam per vnum hominem peccatum reuera intrasse in omnes homines non vnum numero, sed suum cuique propriam & inhærens. Nonne ? Hæc si agnoscis, cur iis non acquiescis ? Si negas, quæ publicæ fidei confessioni subscribere te profiteris ? Renocabo-ne ad examen etiam verba sequentia ? Quid-ni ? interest enim veritatis quicquid rectum non est corrigi. *Intrauit autem, inquit, peccatum, ut primum Adam peccauit.* Certè quidem in Adamum, sed per Adamum in alios omnes homines,

homines, qui tunc nulli erant, quomodo tunc intrare potuit? Non dicit autem Apostolus, peccatum intrasse in vnum hominem, sed per vnum hominem in mundum, id est, in omnes homines. Constat autem per vnum hominem intrasse in omnes homines, vno Christo excepto, peccatum inhærens nos in foro diuino reos mortis constituens. Cur ergo illud in Pauli verbis non agnoscamus? Quis etiam credat, Apostolum per mortem reatum mortis, potiùs quàm per peccatum, intelligere? Da enim locum, si potes, vbi mors non mortem, sed tantùm reatum mortis significet, præsertim cum spectatur, vt fit hîc, tanquam peccati effectum & stipendium, ab eoque distinguitur? An aliter peccatum actuale Adami in omnes homines introiit, quàm quatenus ejus vel prauitas propagatione, vel reatus imputatione in eos introiit? Si ergo reatum D. Gar. intellexit cum dicitur peccatum introiisse, qui eundem reatum intelligere potuit, cum additur, per peccatum quod introiit in omnes homines, in eisdem mortem etiam introiisse? Cæterum *vt primùm peccauit Adam, nos omnes peccauisse intelligimur*, nimirum quomodo, vt primùm fuit vel creatum est, nos omnes fuisse vel creati fuisse intelligimur. An igitur ferendus esset, qui simpliciter diceret, nos omnes ab initio mundi fuisse?

Audio virum doctum alio argumento hoc confirmantem, id attendamus. *Quod idem*, inquit, *conficiunt vocula illa* $\epsilon\phi\ \delta\iota$ *in quo. Nam qui, cum nondum essent in rerum naturâ, dicuntur in alio peccasse, censentur procul dubio eo committente peccatum, & ipsi etiam commisisse, quod euidenter ad imputationem pertinet. Atqui homines omnes cum nondum essent, dicuntur in Adamo*

peccasse. Ergo censentur eo committente peccatum, & ipsi etiam commississe, quod euidenter ad imputationem pertinet. Atqui homines omnes cum nondum essent, dicuntur in Adamo peccasse. Ergo censentur eo committente peccatum, & ipsi commississe, quod ad imputationem peccati Adæ manifestè pertinet. Primum nititur hæc argumentatio hypothefi, vocus $\epsilon\phi$ & hoc loco significare *in quo*. Id quod non concedimus. Negari enim non potest, quin verti possint *eo quod, propterea quod, quatenus &c.* Si sic verti possunt, non est necesse vt vertantur *in quo*; si non est necesse vt vertantur *in quo*, nulla est argumentationis, quæ nititur illa versione, necessitas. Quomodo ergo probat D. Gariss. debere hoc loco reddi *in quo*, potius quàm *eo quod &c.*? Affert indicem magnorum virorum antiquorum & recentium qui reddiderunt *in quo*, sed eorum autoritas non impediuit, quominus alij, & ipsi magni viri, versioni *in quo* prætulerint versionem *eo quod, quatenus &c.* Theodoretus, Syrus interpres, Calvinus, Martyr, Bucerus, Aretius, Piscator, Paræus, Erasmus, Leo Iuda, Vatablus, Autores versionis Gallicanæ, quæ vtuntur Ecclesiæ nostræ, nec-non Anglicanæ, &c. nam longum esset omnes enumerare. Fauentur-ne propterea isti maximi viri Pelagianæ hæresi? Quid est quare Placeus non debeat eorum exemplum sequi, & receptâ versione respondens niti? Nihil-ne præterea D. Garissolius? *Addit etiam vim vocularum illarum ex usu Scripture*: nam, inquit, *frequentissimum est vt $\epsilon\mu$ accipiat pro $\epsilon\psi$, quod vt probet multa laudat exempla.* Nempe id probat quod non negatur, quod verò negatur id non probat. Nemo enim ei negauit $\epsilon\mu$ aliquando accipi pro $\epsilon\psi$. Sed an inde sequitur, esse

illam præpositionē per enallagen vsurpatam hoc loco, & positam ἐν pro ἐν? Immo si dixisset Apostolus ἐν ᾧ, nihil prohiberet quominus etiam illæ voces *eo quod* vel *quoniam* &c. redderentur, vt factum est ab omnibus ferè interpretibus Rom. 8. 3. Extant autem ἐν ᾧ eo sensu 2. Cór. 5. 4. nec aliter accipi solent quoties nullū est antecedēs, ad quod ᾧ commodè referri possit. Cæterum quod ait, versionis *in quo*, nos autorem facere Bezam, vnde habeat nescio. Id certè Placeus neque dixit, neque scripsit, neque cogitavit vnquam. Rationes quas nobis tribuit, non sunt Placei, nec eis opus est respondenti secundum versionem ab Ecclesiis nostris probatam. Quam si flagitas à me, Lector, vt probem, Primùm duas Placei rationes afferam, deinde quinque illas, quas sibi D. G. objecit, ab eius exceptionibus breuiter vindicabo. Primùm igitur si veritas *in quo*, relatiuum *quo*, quia referri non poterit ad nomen masculinum proximum, vel propinquum, sed ad remotius, trajectio admittenda erit, eaque insolens & dura admodum. Iam autem ejusmodi trajectio admitti non debet absque necessitate, quæ hîc nulla apparet, cùm vocalæ ἐν ᾧ non minùs & propriè & commodè reddi possint *eo quod*, vel *quoniam*, vel *quatenus*. Deinde verba *omnes peccauerunt*, cùm causam contineant ejus quod immediatè præcessit, cum eo jungi flagitant: quis enim negare potest, quin mors in omnes inuaserit, quia omnes peccauerunt? Cur ergo à se inuicem separaremus ea orationis Apostolicæ membra, quæ non modò situ & colloca-tione ab Apostolo juncta sunt, sed etiam sensu & rerum significatarum indissolubili nexu cohærent?

Ad alias rationes quod spectat, vtinam eas suos

autor suscepisset tuendas, qua mihi videtur esse & sapientia & eloquentia, præstitisset id, quàm ego, multò meliùs. Prima sic se habet, referente D. Garrifolio; Manuscriptum enim ex quo sunt desumptæ non habeo. Fidem esse penes eum oportet. *Nemo nescit illud, ἐφ' ᾧ, apud bonos autores, vel denotare finem rei, ἢ χάριν, vel causam antecedentem, ut apud Synefium, ἐφ' ᾧ γεννάδιον ἐχάριε. Cùm igitur finis hoc loco denotari non possit, sequitur ut causa antecedens designetur, & vertatur eo quod, vel propterea quod. Quid respondet D. Gar? Hoc vnum, ἐπὶ junctum cum relativo ὅς, ἢ, ὃ, quanquam aliquando finem, aliquando causam antecedentem notet, tamen frequentissimè vim habere prepositionis ἐν. Marc. 2. 4. ἐφ' ᾧ κατέκειτο in quo jacebat &c. Sed quid hoc est, nisi aberratio ab argumento? Nam in argumento agebatur de vocibus ἐφ' ᾧ absolutè positis, hoc est, absque expresso antecedente ad quod pronomen ᾧ referatur. Cùm enim est in proximo antecedens ad quod refertur, quis vnquam eas vertendas putauit eo quod vel propterea quod? Hic autem ponuntur absolutè, quod enim proximè antecedit est nomen δάνατος bis vsurpatum, ac ante illud ἀνθρώπου; ad neutrum referri constat. Præcedit quidem Genitiuus ἀνθρώπου hominem; Sed quominùs ad eum referri possit, obstant interjecta nomina, immò commata.*

Secunda ratio. *Si Apostolus de imputatione cogitasset, locus hic vnice flagitabat, ut eam disertè commemoraret: & debuit dicere ἐν ᾧ, non ἐφ' ᾧ quia res ardua est, & à communi sensu abhorrens, itaque oportuit eam clarè exprimere, ne quis de ea dubitaret.*

Respondet primò, *an imputari aliena peccata a com-*

muni sensu abhorreat, jam supra disputatum est. Immo abhorret, ut imputentur aliis qui prorsus innocentibus, ut ob aliena imputata hi puniantur ea poena quæ sit verè peccatum, eosque faciat inhærenter peccatores, ut hac imputatione fiant rei mortis æternæ, alioqui non rei. Hoc, inquam, à sensu communi, à Scriptura, & ratione, ab ipsoque conscientiæ sensu mihi videtur vehementer abhorrere. Quid? nonne si quis diceret, alia Adami, aut aliorum Patriarcharum peccata nobis omnibus imputari, is videretur à communi sensu abhorrentia dicere? Sit aliqua alieni peccati non injusta imputatio, an id probatum est de omni, ac nominatim de ista tali, primi peccati actualis imputatione immediata, quæ nulla mihi fugi posse videtur injustior?

Resp. 2. *Hic notandam confessionem viri Docti: Si dictum fuisset év φ̄, imputationem peccati inde manifestè concludi potuisse, quippe disertè commemoratam. Ita enim instantiam posterioris scripti contra hanc imputationem damnat, ubi pertenditur, etiamsi veritas, in quo, inde tamen nihil colligi posse pro causa imputationis.* Miror ἀλεψ̄αν viri docti, non videntis autorem illius rationis non ex sua, sed ex eorum, contra quos disputabat, mente sic fuisse locutum. Ita enim argumentantem decet ex Aduersariorum hypothësis, potiùs quàm ex suis ipsius, disputare, alioqui nihil promoturum.

Resp. 3. *vix ferendum videri, quod dicitur, si Paulus imputationem docere voluisset, debuisset potiùs év φ̄ dicere quàm év φ̄. Qui enim nos sumus, qui Apostolo prescribere audeamus loquendi rationem, & formulas, presertim cum év̄ & év̄ tam frequenter eundem sensum & significationem habeant &*

Clementer quæſo: abhorret enim ſine dubio vehementer ab hujusmodi arrogantia rationis illius autor. Non præſcribit Apoſtolo loquendi rationem & formulas, ſed ab ejus ſapientia & prudentia, quam ſummam fuiſſe conſtat, ducit argumentum. Quærebatur quid Apoſtulus ſignificare voluit verbis ἐφ' ᾧ πάντες ἡμαρτον? Aiunt quidam eum ſignificare voluiſſe, primum Adami peccatum actum omnibus hominibus imputatum fuiſſe, & quidem immediatè. Quoniam ergo hanc mentem Apoſtolo, non dicam præſcribunt, ſed tamen, quia ita ipsis placet, tribuunt; atque ad eam mentem verba ejus minùs accommodata paululum inflectunt, ἐπι pro ἐν poſitum nulla redita ratione, affirmantes. Ille objicit, hoc ſapientia Apoſtolicæ minùs conuenire. Cùm enim ejuſmodi doctrina ſit admodum ardua, & à ſenſu communi abhorrens, & alibi non doceatur in Scriptura, conſentaneum erat, vt ſaltem hoc vno in loco doceretur aperte, & verbis diſertis, aut ſaltem iis, quæ falſò quidem, ſed tamen pro diſertis ab iis habentur quæ a nobis in hac cauſa diſſentiant. Si ſaltem dixiſſet ἐν ᾧ non fuiſſet opus recurrere ad enallagem præpoſitionis ἐπι poſitæ pro ἐν & minùs fuiſſet ambigua vocum ἐν ᾧ ſignificatio: multò enim rariùs, quàm ἐφ' ᾧ, ſignificant ἐὸ quod, quatenus &c. Cùm ergo Apoſtulus conſultò dicere maluerit ἐφ' ᾧ quàm ἐν ᾧ, ac, quantum fieri potuit, ab illis remouerit, & pluribus interpoſitis ſeparauerit nomen ἀνθρώπου; atque ita impediuerit ne ad id tanquam antecedens relationum ᾧ referretur, cur ſine neceſſitate, ſine ratione, malum eiuſ verbis & verborum collocaſioni vim aliquam inferre, vt id dicere aliquomodo videantur

quod ex eis colligi nequit, quàm retenta verborum *εἰς τὸ* proprietate, & Apostolico commatum situ eam sententiam verborum eius admittere, quam in se veram esse nemo non Pelagianus negare potest? Sed *quid*, inquit, *impediet, quominùs Pelagius aut Socinus eàdem ratione objicere possint; Si Scriptura docere voluisset, vel peccatum generatione propagari, vel Christum esse Mediatorem merito & satisfactione; id expressuram fuisse, vel exprimere debuisset verbis claris & perspicuis, cum res sit ardua, nec satis ad communem hominum sensum accommodata?* Omnino nihil impediet quominùs hoc possint objicere, si velint, Pelagij & Socini sequaces; Sed nihil impediet etiam, quominùs objicientibus respondeamus, non id quod vult D. G. nostrum non esse, Deo loquendi rationes & modos prescribere: Hoc enim, cum Dei mens & sententia versatur in quæstione, sophisticum videri possit; Sed quod res est, id neque à sensu conscientiæ vlllo modo abhorre- re, & tam disertis ac claris verbis in Scriptura exprimi, vt, nisi iis magna vis afferatur, in alium sensum detorqueri nequeant.

Tertia ratio. *Locus non postulat vt ita vertatur: cum enim causa certa sit, cur Apostolus dixerit, mortem in omnes homines peruasisse, nempe quia omnes peccauerunt, quid opus est confugere ad causam incertam & remotam, idque contra verborum vim naturalem?* Respondet quatuor: sed, quia vim argumenti non perceperat, ἀπεκαθίσταται. Dixit Apostolus, mortem in omnes homines peruasisse: causa sine dubio est quia omnes peccauerunt. Sed quod peccatum intelligi debeat quæritur. Alij peccatum intelligi volunt habituale omnibus inhærens, alij peccatum actuale Adami

omnibus ordine naturæ priusquam vitiosi sint imputatum. Peccatum habituale inhærens ab Adamo in omnes propagatum causa est certa, hoc est, confessa ab omnibus orthodoxis. De eo enim vitio quin sit, & causa sit mortis; quippe verè peccatum, verè reos mortis nos efficiens, nulla est inter nos controverfia. Id enim est communi confessione fidei verbis clarissimis & disertissimis confirmatum. De peccato verò actuali Adami, an ante corruptionem imputetur, & an illa imputatio sit causa cur in omnes mors peruaferit, res certa non est & liquida: id enim est quod nunc inter nos controuertitur. Rursus vitium vnicuique nostrum inhærens causa est mortis nostræ propinquior, quàm primum Adami peccatum actuale, quod nobis imputatum dicitur, non modò prius ordine naturæ quàm essemus corrupti, sed etiam aliquot annorum millibus antequam esse & viuere incepissemus. Itaque cum duæ illæ causæ inter se conferuntur, illa est certa, quia non controuersa, hæc incerta, quia controuersa: illa est proxima in eodem cum suo effectu, hoc est, morte, subjecto, hæc remota, quia in alio subjecto, à nobis non modo naturæ generantis ordine, sed tempore etiam valdè remota, ac inter quam & mortem interposita est causa propinquior, nimirum corruptio. Iam, opinor, Lector humanissime, vides argumenti vim, & ab ea quàm aberrant viri docti responsiones ipse per te intelligis. Cum enim certum sit ac nullo modo inter nos controuersum, omnibus inhære peccatum quod meretur mortem, & ob quod omnes moriuntur, cur de eo peccato verba Apostoli, quibus causa mortis omnium hominum continetur, *omnes peccauerunt*, non accipimus?

mus? Cur eo peccato, quasi nullum esset, insuper habito, confugimus ad aliud imputatum, quod & controuertitur, & ab illo effecto est remotius, præsertim verbis Apostoli & verborum situ repugnantibus? Præter aberrationem ab argumento sunt alia vitia in responsionibus tribus D. G. quæ paucis indicabo.

I. *Nos, inquit, pertendimus certam fuisse causam, quare de imputatione illa loqueretur Apostolus. Nam cum dixisset, vnius hominis peccato mortem fuisse introductam in mundum, queri potuit, vnde ea vis illi peccato, vt tantum mali non in vnum aut alteram, sed in omnes inuenerit. Respondet Paulus, illud inde factum, quod vno illo peccato omnes rei facti sint, siue quod vno illo peccante omnes in illo & cum illo peccasse intelligendi sunt.* Hæc responsio, præterquam quod non tangit neruum argumenti, Apostolum facit nugantem, & mutatis tantum verbis id ipsum quod quærebatur respondentem, ac pro causa effectus ipsum effectum, cuius causa quærebatur, afferentem. Quid enim est hujus responsionis auctori, *peccatum in mundum introiisse?* nihil, nisi peccatum actuale omnibus hominibus imputatum fuisse. Id patet clarissimè ex hoc ipso ejus cap. 8. §. 8. p. 217. & aliis aliquot locis. Quid rursus ei est in Adamo *omnes peccauisse?* id sanè, inquit, *melius exponi non potest, quàm si dicamus peccatum Adæ omnibus imputari.* eodem cap. §. 10. p. 222. Quærenti ergo cur peccatum actuale Adami omnibus imputetur ad mortem, Responderit Apostolus, quia omnibus imputatur. Quærenti, vnde ea vis illi peccato, vt imputetur non vni aut alteri, sed omnibus, respondet illud inde factum, quod illud imputetur omnibus. Quid est nugari, si hoc non est? Ad duo ista vitia accedit etiam

tertium. Sibi enim ipse repugnat. Nam si ea fuit mens Apostoli quam ei tribuit hæc responsio, certè verba ἐφ' ᾧ πάντες ἠμάρτησαν construi debent, post antecedentia omnia, *peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita mors in omnes peruasit*: responsio enim essent ad quæstionem, quæ ex verbis illis immediatè præcedentibus exoriri poterat. Id quod versionem *in quo* euertit. Ea enim posita construi debent verba *in quo omnes peccauerunt*, ante illa omnia: cohærent enim immediatè cum nomine ἀνθρώπων & est trajectio. Sic ergo construi deberent, *Sicut per unum hominem, in quo omnes peccauerunt, peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit.*

Secunda similiter responsio peccat ignorance argumenti, causamque *incertam* aliter quàm debuit accipit, & præterea nonnulla habet minùs rectè dicta. *Quis dixerit*, inquit, *incertam causam à Paulo proponi cum 1. Cor. xv. 22. ad Adamum usque protoplastam conscendit, & nos omnes dicit in Adamo mori?* Quorsum hoc spectat? Ibine causam aliquam affert Apostolus, cur omnes vi communionis quam habent cum Adamo moriantur? aut suntne illa verba, *in Adamo omnes moriuntur*, etiam imputatiuè, vt loquuntur, intelligenda? Deteriora sunt quæ sequuntur. *Nimirum*, inquit, *neque ibi, neque hîc Apostolus propriè ad causas particulares respicit, quæ residere possunt in unoquoque individuo generis humani, & propter quas fit ut moriantur: sed causam generalem exponit quæ omnes in genere ex æquo respiciat &c.* Perinde loquitur, quasi corruptio hæreditaria non esset causa generalis omnes homines ex æquo respiciens: Cùm illa tamen tam sit

communis , quàm communis est eorum qui peccauerunt mors , quàm communis est illis natura humana, immò quàm communis dicitur esse imputatio. Ita paulatim doctrina de corruptionis hæreditariæ vi & reatu , quam summo studio primi reformatores tuebantur , negligitur ac propè obliteratur , vt det locum illi imputationi , quam magni illi viri , aut ignorarunt prorsus , aut etiam refutarunt. *Neque par est*, addit , *vt eam causam dicamus esse remotam & longinquam , quia hîc non ad annorum & seculorum spatia, sed ad rei efficacitatem respiciendum est.* Quid ? an iniustitia , quæ in me non hæsit , sed in solo Adamo , tot annorum millibus antequàm essem mortuo , causa est æquè immediata ac proxima mihi vel morti meæ , ac illa quæ in me hæret intimè , & est omnium confessione mortis meæ causa ? Annon etiam peccatum Adami sequuta est corruptio , & hanc mors ? est igitur corruptio causa propinquior mortis quàm peccatum quod in solo hæsit Adamo. *Neque verò* , subiungit , *qui corruptionem ab Adamo derivari dicunt , Adamum idcò proponunt , tanquam causam remotam & dissitam corrupt.onis illius , nimirum , quia est nobis cum eo ratione sanguinis proxima unio , etsi non ratione personæ.* Immo eum proponunt , tanquam causam corruptionis illius remotam & dissitam, hoc est , *primam*, vnde ad alios omnes dimanavit. Itaque quod *sanguis* hîc à *persona* distinguitur , & illius , non hujus , ratione nobis esse dicitur proxima cum Adamo unio , id equidem non intelligo. Tam enim sanguis meus à sanguine , & natura mea à natura , quàm persona à persona Adami differt: differentia est vtriusque pariter numerica , non specifica : Et quàm personam meam,

tam naturam etiam meam per omnes meos intermedios parentes ab Adamo traxi. Est enim Adamus pater noster non proximus, sed primus; nihil que ab eo nisi per proximos meos parentes, accepi, aut accipere potui. *Sed, inquit, cum hic instituaturs inter Christum & Adamum comparatio, non magis dicendum est inobedientiam ab Adamo commissam, esse causam remotam nostræ condemnationis, quam obedientiam à Christo præstitam, esse causam remotam nostræ justificationis.* Quali verò non possit comparatio inter duas causas effectuum oppositorum institui, cum sunt in suo genere primæ, nisi utraq; sit pariter proxima! Quis nescit obedientiam Christi esse justificationis nostræ causam adæquatam & unicam, inobedientiam verò Adami condemnationis nostræ nonnisi inadæquatam & partialem? damnamur enim non ob solum peccatum actuale Adami, sed etiam ob inhærentem nobis corruptionem hæreditariam, & alia omnia nostra peccata siue actualia siue habitualia; cum tamen ob vnam Christi obedientiam, nullo autem modo ob nostram, justificemur. Hæc igitur, cum sola & unica justificationis causa sit, eadē & prima & proxima est; illa verò cum non sola sit, sed vna cum ea aliæ multæ sint causæ condemnationis, ita prima est, ut nihil necesse sit proximam esse. Quid? nonne peccatum & per peccatum condemnationem trahimus ab Adamo propagatione naturali? Nonne & Patres olim, & primi nostri Reformatores imitationi Pelagianæ opponere solebant propagationem peccati, nulla imputationis facta mentione? Atqui propagationis naturalis, in suo quidem genere, prima est causa Adamus, sed cujusque nostrum proxima aut immediata pro-

fectò non est. Hic ergo maximum cernitur Adamum inter & Christum discrimen. Adamus est generationis nostræ causa remotissima, cum regenerationis nostræ Christus sit causa proxima. Filij sumus Adami non proximi sed remoti : inter nos enim & Adamum alij multi interjecti sunt ; Filij verò Christi proximi sumus, quotquot in eum credimus. Per fidem enim unimur Christo rectà & immediatè, nec non per ejus Spiritum, qui cum vnus tantum numero sit & in Christo & in omnibus nobis, nos Christo tam immediatè copulat, vt inter Christum & fidelem intermedius nemo sit. Hæc cum non ignoraret Vir Doctus, qui potuit sic loqui? *Deniq; in causis meritorijs, inquit, quales sunt de quibus agimus, semper est proximitas, qui meritum illud semper ^{ἐπιφέρει} & efficaciter agit.* Egregium argumentum ! quasi non possit pariter efficacia, ac causa, distingui in remotam & proximam ! sua enim cuique causæ vis &, cum sequitur effectum, efficacia est ; alioqui non esset causa. Annon Adamus efficaciter naturam suam & corruptionem in nos propagavit ? Attamen naturæ & corruptionis nostræ causa non est nisi remota. Non est autem ipse causa meritoria condemnationis nostræ, sed hujus causæ causa ; manauit enim ab eo corruptio hæreditaria nostræ condemnationis causa proxima seu immediata, hujus autem causa fuit peccatum actuale Adami. Possumus-ne similiter dicere, obedientiam Christi causam fuisse alicujus virtutis vel obedientiæ, quæ sit causa justificationis nostræ ? Eatenus igitur inter Christi obedientiam & Adami inobedientiam discrimen est memorabile, & illa proxima justificationis, hæc remota condemnationis nostræ (corruptio enim inter-

ponitur) causa dicenda est. Alioqui quomodo peccatum actuale Adami causa esse posset condemnationis nostræ meritoria & proxima? Primùm si non est nostrum nisi per imputationem, non meretur condemnationem nostram nisi imputationis interuentu. Non est igitur causa meritoria nostræ condemnationis per se, sed per accidens tantùm, ratione illius imputationis, quæ est actio diuina, atque adeò supernaturalis & voluntaria: cum tamen obedientia Christi sit causa meritoria justificationis nostræ per se; quippe, eo fine ac consilio à vade nostro loco nostro præstita. Quo posito sequitur, quod sumus peccatores & condemnatur, id esse diuinæ illi actioni per se ascribendum, peccato verò Adami non nisi per accidens, id quod vt credam vel faciam adduci me meo nullo modo patitur conscientia. Deinde qui imputat alicui homini peccatum, supponit illum hominem esse, qui damnat ad mortem supponit eum quem damnat viuere. Cum ergo nostri esse & viuere, quod naturá condemnationem nostram antecedit, non sit Adamus causa nisi remota, qui potest esse condemnationis nostræ causa proxima?

Sequitur ratio quarta. *Scopus Apostoli non patitur ut ita vertantur; cæpit enim Apostolus vers. 12. comparationem inter Christum & Adamum instituere eo modo, ut affirmaret per vnum hominem peccatum introiisse, & per peccatum mortem, ad.ò vt mors in omnes homines peruagata sit. Quia verò mirum videri potuit, tantam fuisse in vnus hominis vno peccato vim atque efficacitatem, vt totam hominum multitudinem morti addiceret, ne quis indignè quicquam de Deo suspicaretur, addit, id mirum videri non debere, cum omnes peccauerint. Vt igitur Adam in mor-*

tem incidit, quia peccauit; sic & omnes pariter in mortem incidunt, quia omnes peccauerunt. Quid reponit vir doctus? Primò, inquit, notetur respondentis confessio: Nam dum agnoscit peccatum illud, quod per vnum hominem introiisse dicitur, esse vnum vnus hominis, nempe Adami peccatum, eadem ratione omnia illa argumenta confutat & conuellit, quibus supra moliebatur alius confirmare, hic peccati nomine non ipsius Adami peccatum, sed nostram internam & originalem corruptionem tantum intelligendam esse. Ità-ne, omnia illa argumenta confutat & conuellit? Possunt-ne vnus simplici affirmatione, alterius argumenta & multa, & valida, & diu post illam affirmationem excogitata & proposita confutari & conuelli? Si est ita, nullum est argumentum vsque adeò necessarium, & demonstratiuum, quod non possit ea ratione facillimè confutari & conuelli. Argumenta autem illa, quia sunt posterioris manuscripti, quàm sint valida & inuicta, tum fiet manifestum, cum instituetur manuscripti illius cum libro D. Gar. comparatio. Quid verò dices, candide Lector, si id non confitetur doctissimus autor illius rationis, quod hîc confiteri dicitur? Certè non agnoscit peccatum illud, quod per vnum hominem introiisse dicitur, esse vnum vnus hominis, nempe Adami peccatum: id non sentit: id neque totidem verbis dixit, neque æquipollentibus. Dixit tantum in vno vnus peccato tantam fuisse vim, ut totam hominum multitudinem morti addiceret: sed non dixit illud vnum vnus peccatum idem numero in omnes homines ingressum esse, & proximè mortem inuexisse. Nempe peccatum quod introijt in mundum est vnus peccati vnus hominis effectum, & per vnum hominem peccatum introiit

in mundum & mors vi vnus peccati, quod sese propagatione naturali diffudit, & multiplicauit, & cum natura humana, cui inhæret, propagauit. Itaque totam hominum multitudinem morti addixit sui in omnes homines propagatione, ac secundum numerum multiplicatione. Hæc est præstantissimi illius viri mens, neque sibi, neque Placeo contradicentis. Hæc prima fuit D. G. responsio. 2. *Ad dubium*, inquit, *quod emergere potuit in lectorum animis, nulla esset planè Apostoli responsio legitima, si talem daret, qualem vult Vir Doctus. Dubium enim hoc est, quomodo tanta sit vis in vno vnus Adami peccato, ut totam hominum multitudinem morti addicat. Responsio dicitur esse, id inde fieri, quòd omnes peccauerint in sua propria persona. Hoc verò ludere est, non dubio satisfacere. Nam hæc quidem ratio esse potest, propter quam morti omnes addicantur, quia omnes peccarunt. Sed hîc non quaritur, quare omnes morti addicantur, verum hoc potius, cur in vno vnus Adami peccato tanta vis sit, ut hunc effectum producat, nempe mortem. Responsio igitur debet agere de peccato illo Adami, non de nostro vniuscuiusque, de quo nihil dictum fuerat in dubio proposito. Itaque vt apposita sit responsio, necessarium est, vt illud ἐφ' ᾧ πάντες ἠμάρτων, interpretemur de peccato ipsius Adami, quod omnes morti addicat, propterea quod ejus reatus in omnes descendit, siue quia propter imputationem commune sit omnibus. Hoc ita clarum est & euidens, vt hîc oporteat valdè festinasse disputatorem. Festinauit quidem fortasse autor hujus rationis, sed non nimis: optimè enim disputat. Sed an festinauerit D. G. nescio, illud certè mihi constat, eum hîc, vt alibi passim, haud rectè disputare. Non ludit, sed reuera dubio satisfacit Responsio. Duobus enim modis*

dis in vnius hominis vno peccato tantam vim fuisse, vt totam hominum multitudinem morti addiceret, intelligi poterat, vno, si ponatur, quod facit hoc loco D. G. Deum toti hominum multitudini vnum illud vnius hominis peccatum immediatè imputasse, atque ob illud imputatum eam morti addixisse. Altero, si intelligatur, peccatum illud sese naturali quodam contagio, ab vno homine in alios omnes propagasse & multiplicasse, atque ita, quoniam omnes peccauerunt, morti addictos fuisse. Apostolus ne Lector priorem modum cogitans, *indignè quicquam de Deo suspicatur*, posteriorem docet, affirmans omnes homines morti fuisse addictos, non quia vnus tantum peccauit, sed quia omnes peccauerunt; non proximè ob vnius vnum peccatum, sed ob suum quisque sibi infinitum, ab illo vno propagatum, quæ propagatio vocibus & ita, non minus ad peccatum quàm ad mortem pertinentibus, satis innuitur.

Audi, quæso humanissime Lector, Calvinum, à cuius doctrina recedant necesse est qui nos innouatæ doctrinæ accusant, Comm. in Rom. 5. 12. *Obserua quem hic ponat ordinem. Peccatum enim præcessisse dicit: ex eo sequentem esse mortem. Sunt enim qui contendunt, nos ita peccato Adæ esse perditos ac si nullâ nostrâ culpâ periremus, idèò tantum quasi ille nobis peccasset.* (Vix potuit clariùs imputatio antedens describi, quam sequi putantur mors animæ, id est, corruptio hæreditaria, & mors corporis ac æterna, tanquam poenæ propriè dictæ.) *Atqui disertè affirmat Paulus, in omnes propagatum esse peccatum, qui ejus poenam luunt. Atque id deinde propius urget, quum rationem assignat paulò post, cur omnis Adæ posteritas subjacet mortis imperio. Nempe,*

inquit, quoniam omnes peccauimus. Porro istud peccare, est corruptos esse & vitiatos. Illa enim naturalis prauitas quam è matris utero afferimus, tametsi non ita cito fructus suos edit, peccatum tamen est coram domino, & ejus ultionem meretur. Atque hoc est peccatum quod vocant Originale. Et paulò post, Peccauimus igitur omnes, quia naturali corruptione omnes imbuti sumus. Et iterum, Sequitur ergo prauitatem nobis ingentam, & hereditariam notari. Nihil potuit dici clarius & disertius. Gratulatur sibi Placeus cùm videt per latus suum peti Caluinum, seque cum eo pariter oppugnari, & desertæ antiquæ doctrinæ, aut potius eam deserentium vices luget. Notetur hic rursus noua, & vt mihi quidem videtur, Deo injuriosa doctrina, peccatum Adami propter imputationem commune fieri omnibus. Quod igitur commune est omnibus id non vi aut contagio aut naturali propagationi illius peccati ascribendum est, sed Deo, cui libuit imputando facere omnibus commune, quod alioqui commune non fuisset. Vnde igitur nostra perditio, nisi ex Deo, qui nos fecit peccatores alienum peccatum efficiendo nostrum? Et cur peccatum illud nobis imputauit, & fecit nostrum, nosque peccatores? Nulla causa affertur, aut afferri potest, nisi quia ita ei libuit. Non excitatur conscientia tua, pie Lector? non refugit talem doctrinam? non exhorrescit? Sed pergamus.

‡ Quinta & vltima ratio his verbis concepta est § xi. pag. 224. *Ea interpretatio confirmatur vers. 13. sequenti, qui per particulam γὰρ, connectitur cum precedenti. Dubitare enim aliquis potuit, an omnes homines reuera peccauerint; Id igitur Apostolus probat eo argumento, quod ubicunque mors est, ibi necesse est esse peccatum. Mors autem*

non extitit modo, sed & regnavit in omnes illos qui vixerunt ijs temporibus, quæ inter primum peccatum Adami & legem interfluxerunt: omnes illi ergo fuerunt peccato obnoxij. Respondeo inquit D. G. Absit verò ut ejusmodi analysim accipiamus, quæ ex diuino Apostolo facit ineptum circulatorem. Bona verba: ineptum circulatorem!

pag. 117
§ xviii.

Absit à nobis tam grande crimen. Quomodo verò id probat? *Nam, inquit, Apostolus versu 12. probat omnes esse addictos morti, quia peccauerunt, postea vers. 13. probat omnes peccasse, quia morti addicti sunt, & mors in omnes regnat.* Hoc scilicet est esse ineptum circulatorem. Atqui non dixit illius rationis eruditissimus autor, *Apostolum versu 12. probare, omnes esse addictos morti?* Relege quæso & considera rationem, quemadmodum ab ipso Garissolio recitata fuerat § xi. & à me exscripta. Num tale quid in ea animaduertis? aut ex ea bona consequentia deduci potest? Ecce verò Apostolus id probare instituit, quod Scriptura, & omnium seculorum experientia, genusque adeò humanum vniuersum perpetuò confitetur & clamat? Equis etiam credat, Apostolum probare voluisse clarius per obscurius? Clarius enim est omnes mori, quàm omnes peccasse. Non igitur probat, sed ne viderentur omnes homines ob vnicum vnus hominis peccatum eis imputatum mori, affirmat per vnum hominem ita mortem ingressam esse in genus humanum, vt non sola in omnes homines inuaserit, sed ejus etiam causa, peccatum. Itaque mori omnes non proximè ob vnum illud actuale vnus hominis peccatum, sed ob suum quemque sibi insitum, ab illo deriuatum. Fingit ergo D. G. probationem circularem vbi nulla est; quanquam si esset, non tam circulus à

Philosophis damnatus, quàm regressus ab iisdem laudatus dici deberet: constaret enim ex duabus demonstrationibus, altera τῆ δίων, altera τῆ ὄπ, illa pariente distinctam effectus, hac confusam causæ notitiam. Eandem autem circulationem cum ipse sibi objecisset D. G. expedire sese ex ea non potuit. Posteriores enim tantum rationem attigit, priorem, ex qua pendebat circulus, alto inuoluit silentio. Peto igitur ex ejus mente, num Apostolus probet Ὡ f. 12. omnes esse morti addictos, quia peccatum Adæ ipsis imputatur? Si ais, manet circularis argumentatio: statim enim Ὡ f. 13. & 14. probabit omnibus peccatum Adæ imputari, quia omnes sunt morti addicti. Si negas, tollis quidem circulum; sed neque id negavit D. G. neque ut se ex eo circulo educeret, quicquam ejusmodi tentavit: fecit ergo id, cujus nos falsò accusabat, *ex Apostolo diuino inceptum*, ut loquitur, *circulatorem*.

Sed tamen inde hoc argumentum elicit. *Quibus irrogatur pœna mortis propter peccatum, iis peccatum imputatur. Atqui infantibus irrogata est ante legem pœna mortis propter peccatum Adæ. Ergo iis peccatum Adæ imputatum est.* Resp. Peccatum Adæ duobus modis accipi: 1. pro eo peccato, quod ab eo in posteros propagatum & secundum hominum numerum multiplicatum, caro & vetus Adam appellatur. 2. pro causa peccati illius propagati, nempe actuali Adæ inobedientia. Si priore modo accipitur, concedo totum argumentum. Fateor enim peccatum illud, quia intra nos est, nobis omnibus, etiam infantibus, merito imputari. Si posteriore modo, distinguo præpositionem *propter*: nam vel causam proximam seu immediatam, vel remo-

tam tantum seu mediatam significat. Si prius, nego minorem propositionem: irrogata est infantibus poena mortis proximè ob inharens vitium, remotè ob Adami actuale peccatum. Si posterius, inde sequitur duntaxat peccati illius actualis imputatio mediata, quam vltro concedo. Hoc me docuit Calvinus, *quia*, Rom. 5. inquit, *eius peccatum peccati nostri causa est, exitium nostrum illi Paulus ascribit. Peccatum nostrum voco, quod nobis ingenitum est, & cum quo nascimur.* Et Bullingerus, *non noceret nobis Adæ lapsus, nisi talis ex eo peruersitas seu corruptio nobis innata fuisset, quæ Dei iudicium promereretur.*

Decad.
3. ho-
mil. 10.

Sic vindicata est versio Gallica, qua vtuntur Ecclesie nostræ. Quod autem subjungit D. G. *Sic acriter disputatum fuisse, &c, sed ab eo tempore deferbuisse impetum, & in posterioribus scriptis mutatam esse velificationem &c*, Fallitur vehementer. Eadem enim perpetuò Placei sententia fuit, & melius verti voces *ἐν* & *ἐν* quòd, quàm *in quo*, Et tamen ne hanc quidem versionem obesse sententiæ suæ, ob eas rationes, quas thesibus suis aliquot annis, priusquam Manuscriptum illud prius fieret, editis, inferuerat. Non viderat illud manuscriptum, cum suum istud fecit quod D. G. *posterius* appellat, nec cur mutaret, vt loquitur vir Doctus, velificationem causa vlla erat. Nemo enim ei tum quicquam objecerat, quo recepta, quam sequitur, vocularum *ἐν* & *ἐν* versio impugnaretur. De nostra confessione, quàm præter rationem triumphet hoc loco D. G. patet ex dictis pag. hujus lib. 73. Quæ tamen si vlla fuisset, Placeo obesse non posset, quo incio nec consentiente facta fuisset. Sed de illa versione jam fortasse plus satis.

§ XIX.
P. 239.

Redeo ad argumentum supra pag. 70. ita propofitum, vt ejus tres lineæ à Typographo repetitæ fuerint, nec à Correctore, adeò aliis distractus negotiis tunc festinabat, deletæ. Id sic habet. *Qui, cùm nondum eſſent in rerum natura, dicuntur in alio peccaſſe, cenſentur proculdubio eo commitente peccatum, & ipſi etiam commiſſiſſe, quod euidenter ad imputationem pertinet. Atqui homines omnes cùm nondum eſſent, dicuntur in Adamo peccâſſe. Ergo cenſentur eo committente peccatum, & ipſi commiſſiſſe, quod ad imputationem peccati Adæ manifeſtè pertinet.* Primò nego id euidenter ad imputationem pertinere quam antecedentem ſeu immediatam uoco. Cur enim non pertineat potius ad propagationem peccati inhaerentis, quod reatus & imputatio ſequitur? Deinde nego majorem. An enim qui dicuntur in alio fuiſſe, vel mortui fuiſſe, cenſentur eo exiſtente vel moriente & ipſi exiſtiſſe, & mortui fuiſſe? Morimur certè in Adamo, ſed ſua quiſque morte; ſicut reſurgimus in Chriſto ſua quiſque reſurrexione. Sic peccamus in Adamo, ſed ſuo quiſque peccato. Notatur tantùm peccati & mortis prius autor & fons, vnde ad nos omnes dimanarunt. Denique nego minorem. Non enim dixit Apoſtolus, *omnes homines, cùm nondum eſſent, in Adamo peccaſſe.* Iam oſtendi, *ipſi* non ſignificare hoc loco *in quo*. Dixit quidem per vnum hominem peccatum ita in mundum intraiſſe, vt omnes homines peccauerint, ſed non dixit, peccaſſe in vno illo homine: Multò verò minùs dixit tunc peccaſſe *cùm nondum eſſent in rerum natura.* Hoc enim mihi videtur manifeſtam contradictionem implicare, Quis enim contradictionem implicari non videat, ſi quis dicat, priùs eſſe accidens quàm ſub-

jectum, prius homines fuisse peccatores quàm homines, mortuos quàm viuentes, imò prius peccasse quàm fuisse?

C A P V T V I I I.

*Argumenta D. Gar. ex Rom. v. versibus
14. 15. 16. 17. 18. 19. expenduntur.*

EX versu 14. hunc necit Syllogismum. *Ea est in-
ter typum & τὸ τυπικὸν convenientia, ut quod in re* Cap. ix.
p. 281.
*per typum representatâ exhibetur, illud in typo præcessisse oportuerit. Atqui Adamus proponitur ut typus Christi in
ijs quæ ad rationem justificationis pertinent; ut nempe
simili modo condemnationem habeamus in Adamo, quo
justificationem habemus in Christo. Itaque cum ea sit ratio
justificationis nostræ per Christum, ut ejus justitiâ nobis
per imputationem communicatâ justificemur, siue pro justis
habeamur apud Deum; Eam etiam oportet esse condemna-
tionis per Adamum nostræ rationem, ut illius peccato no-
bis per imputationem communicato condemnemur, & pro
peccatoribus ac reis habeamur apud Deum. Principiò
quæcunque sit hujus argumenti vis, eo nonnisi con-
sequens seu mediata imputatio concludi potest. Nam
ut imputatio justitiæ sequitur fidem nostram, sic im-
putatio peccati sequitur corruptionem nostram. Hoc
si sufficit, pax esto. Deinde nullo negotio dissolui po-
test hoc argumentum. Ad majorem enim quod atti-
net, propositio, *Quod in re per typum representatâ ex-
hibetur, illud in typo præcessisse oportuit.* Eget hac limi-
tatione, si nempe ad id representandum typus fuit*

comparatus. Nam alioqui sæpenumero multa in re repræsentatâ exhibita fuerunt, quæ non potuerunt vno typo repræsentari; quapropter multi ad eandem rem adumbrandam adhibiti sunt. Deinde etiam adhibitâ illâ limitatione propositio vera non est, nisi quantum pati potest ejus rei, quæ typus est, natura, seruâtâ inter Typum & τὸ πικτόν, vmbra[m] & corpus differentiâ. Itaque melior est à typo ad rem adumbratam, quàm ab hac ad illam argumentatio. Ad minorem autem quod spectat, jam aliquoties negauimus vrgeri debere similitudinem in modo, quo ab Adamo condemnationem, & à Christo justificationem habemus. Idque cum autoritate magnorum virorum, tum aliquot exemplis comprobauimus.

Audi, si placet, Calvinum, *Porrò duas hic differentias inter Christum & Adamum eductare opere pretium est: quas non idèò subiecit Apostolus, quia negligendas censeret, sed quia presentis argumenti nihil referebat eas enumerare. Prior est quòd peccato Ade non per solam imputationem damnatur, ac si ab eum peccati exgeretur à nobis pœna: sed idèò pœnam eius sustinemus, quia & culpe sumus rei, quatenus scilicet natura nostra in ipso vitata, iniquitatis reatu obstringitur apud Deum. At per Christi iustitiam alio modo in salutem r.stituemur, neque enim idèò nobis accepta fertur, quia intra nos sit: sed quòd Christum ipsum cum bonis suis omnibus, Patris largitate nobis donatum possidemus. Itaque donum iustitiæ, non qualitate qua nos Deus imbuat, ut perperam quidam interpretantur, sed gratuitam iustitiæ imputationem significat. Placet-ne etiam audire Rodolphum Gualterum? Sensus ergo est, in hoc quidem comparari inter se posse Adamum & Christum, quòd vterque quòd suum erat in suos propa-*
garit,

garit, In ceteris vero Multiplex esse discrimen, neque eandem esse rationem offense aut peccati per Adamum inueñti, & beneficij nobis in Christo exhibitì &c. & paulo pòst. Videtur autem duplex discrimen his verbis annotari, ut primò quidem Natura corrupta & gratia Dei opponantur, eo quòd Adam quidem propter naturæ corruptionem, quam ex suo lapsu contraxit, peccatum in omnes posteros propagarit, adeò ut peccatores ex ipso matris utero nascamur: Christus verò nobis ex gratia datus sit, ut eius iustitia siue obedientia in multos, id est, in omnes redundaret. Quod ergo peccatores & propter peccatum morti obnoxij sumus, hoc ex natura ceu proprium habemus: quod vero iusti & vitæ consortes facti sumus, id gratuitum Dei beneficium est, qui Filij sui iustitiam nobis imputat propter fidem, qua hunc apprehendimus. His duobus tertium adjungam Petrum Martyrem Com. in Rom. 5. v. 14. ad verba qui est typus futuri. Similitudo hæc accipienda est in genere quòd sicut omnes ab Adamo, ita omnes à Christo iuxta ordinem suum pendeant: quodque quemadmodum alter meritis est suis omnibus, ita etiam alter. Sed particulatim & quoad species magnum est discrimen. Nam Adamus peccatum, mortem, & damnationem inuexit: Christus vero iustitiam, vitam & gratiam. Est etiam discrimen in propagatione. Adamus enim mala sua per carnis generationem in homines transfudit. Christus autem per fidem. Ideo Paulus cum dixisset, Adamum typum fuisse futuri, quasi per correctionem subiecit. At non ut peccatum, ita & donum. Quamobrem inter Adamum & Christum potius analogia quadam & proportio, quàm vera similitudo constituenda est. Vides nos Magnorum virorum doctrinam aduersus D. Garissolij impetum defendere. Noli nos igitur quæso, candide

lector, nouitatis damnare.

II. Ex *V* s. 15. *At non ut lapsus, ita etiam donum &c.*, sic colligit; *Qui Adami actuali peccato morti facti sunt obnoxij, illi pœnam ferunt illius peccati, adeoque peccatum illud ipsis imputatur. Atqui omnes homines actuali Adami peccato facti sunt morti obnoxij. Ergo omnes homines ferunt pœnam illius peccati, adeoque peccatum illud ipsis imputatur.* Facilis est responsio. Qui Adami actuali peccato morti facti sunt obnoxij proximè seu immediatè, illi pœnam ferunt illius peccati proximè seu immediatè. Qui eo peccato facti sunt morti obnoxij tantùm remotè seu mediatè, hoc est, mediante corruptione, illi ferunt pœnas illius peccati tantùm remotè seu mediatè, hoc est, mediante corruptione. Atqui omnes homines actuali Adami peccato facti sunt morti obnoxij proximè seu immediatè, Nego: mediante corruptione, Concedo, Ergo omnes homines ferunt pœnam illius peccati, adeoque peccatum illud ipsis imputatur, immediatè, nego: mediante corruptione nobis inhærente, Concedo. Nonne omnia D. Gar. argumenta hac vna fidelia dealbari possunt? Deinde, inquit, opponuntur ab Apostolo τὸ παράνομα Adami & τὸ χάρισμα Christi. At per χάρισμα intelligitur iustitia illa Christi, que gratiosa imputatione fit nostra, & que sanctificationem, siue iustitiam inherentem ex se necessariò fundit. Ergo & παράνομα intelligitur peccatum illud Adami, quod imputatione nostrum fit, & quod corruptio nostra naturalis necessariò & infallibiliter sequitur. Omuino opponuntur ab Apostolo τὸ παράνομα Adami & τὸ χάρισμα Christi. Quid inde sequitur? Nonne jam aliquoties argumento ducto ab hac oppositio-
ne occurrimus? Cæterum aut anomalus est hic syl-

logismus, nec vim ullam concludendi habet, aut omiffa est propositio, quæ si vniuersaliter, vt debet, concipiatur, erit falsa procul dubio. Admonet autem nos oppositio inter *παράνομια* Adami & *χάρισμα* Christi, longè aliter hoc nostrum esse quàm illud. Non enim, vt hoc nostrum est dono Christi, sic illud est nostrum dono Adami. Alterum ergo alteri opponit Apostolus in modo quo fit nostrum. Quomodo igitur ex hac oppositione concludere potest D. G. vtrumque eodem modo nostrum fieri? Dicet-ne imputationem, qua aliquid nostrum fit, alioqui non nostrum, esse donationem quandam. Est igitur Adami peccatum donum quoddam, non Adami, hic enim non imputat, sed, horresco pronuncians, ipsius Dei.

Hic D. G. insignem Caluini locum jam à nobis laudatum pag. 20. contra se citat. *Quod vnius delicto* in Rom.
5. 15. *peruisse nos tradit, sic accipe, quia ex ipso in nos corruptio transfusa sit. Neque enim sic perimus eius culpâ, quasi extra culpam ipsissimus; Sed quia eius peccatum peccati nostri causâ est, exitium nostrum illi Paulus adscribit.* Non potuit apertius significare, peccatum Adami causam esse exitij nostri non proximam sed remotam, non immediatam, sed mediatam. Causa enim causæ est causa etiam effectus, sed remota duntaxat. Conatur tamen tam claro loco tenebras offundere D. G. *Quibus verbis, inquit, non negatur nos Adami ipsius actuali peccato perire, nec hoc etiam negat, aut negauit vnquam Placeus: Sed significatur, non esse illud Adami peccatum à nostra corruptione separandum, quippe cum ex utroque consurgat idem reatus.*

An id verbis illis significetur, eaque ratio afferatur, iudicium esto penes Lectorem. Illud mihi satis est,

ideò exitium nostrum Adami peccato adscribi, quia est causa peccati nostri, non dicit, quia nobis imputatur, aut quia imputatione nostrum est: sed illud distinguit à peccato nostro tanquam causam ab effectu. Est igitur à peccato Adami peccatum nostrum, & ab hoc exitium nostrum. Ita ex utroque confurgit idem reatus, ex peccato nostro proximè, ex peccato Adami remotè. Exponit mentem suam alibi Calvinus, *Peccatum originale; inquit, est natura nostra prauitas ac corruptio, quæ primùm reos facit nos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert quæ Scriptura vocat opera carnis.* Sequitur ergo reatus corruptionem vt effectus causam, & quidem causam, vt loquuntur, adæquatam: subiungit enim continuò. *Hæc itaque duo distinctè obseruanda: nempe quòd sic omnibus nature nostre partibus vitiatæ peruersæque, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati meritò conuictique coram Deo tenemur.* Quæ eadem verba, adeò tanto viro placebant, bis extant in ejus institutione, semel. lib. 2. cap. 1. §. 8. & iterum lib. 4. cap. 15. §. 10. Addit quoque in priore loco vberioris explicationis gratia hæc verba. *Neque ista est alieni delicti obligatio: quod enim dicitur, nos per Adæ peccatum obnoxios esse factos Dei judicio: non ita est accipiendum, ac si insontes ipsi & immerentes culpam delicti ejus sustineremus: sed quia per eius transgressionem maledictione induti sumus omnes, dicitur ille nos obstrinxisse. Ab illo tamen non sola in nos pœna grassata est, sed instillata ab ipso lues in nobis residet cui iure pœna debetur. Quare Augustinus vtrunque alienum peccatum sepè vocet (quo clarius ostendat propagine in nos derivari) simul tamen & proprium unicuique asserit. Et Apostolus ipse disertissimè testatur, ideò mortem in omnes peruaga-*

tam, quòd omnes peccarint, id est, involuti sint originali peccato, & eius maculis inquinati. Atque adeò infantes quoque ipsi, dum suam solum damnationem à matris utero afferunt, non alieno, sed suo ipsorum vitio sunt obstricti. Reatus igitur & damnatio & mors, sequuntur corruptionem hæreditariam ut effectus causam, & ob eam duntaxat non autem ob peccatum actuale Adami (nisi remotè & mediatè) morti sumus addicti.

III. Ex vers. 16. sic ratiocinatur. *Ἦς κρίμα*, iudicium siue reatus ex Adamo, opponitur *χάρισμα* Christi. Ergo ut *χάρισμα* non significat qualitatem aliquam nobis inherentem, sed quod in Christo est, & in Christo nobis gratis imputatur; Ita *κρίμα* aliquid significare debet, quod sit extra nos, nempe culpam ab Adamo patratam, unde reatum & condemnationem trahimus. Collige. Cuius culpa est in omnium condemnationem, eam omnibus imputari oportet. Atqui culpa Adami est in omnium condemnationem. Ergo eam omnibus imputari oportet. Nihil roboris in hoc argumento video, quod non extet in superioribus iam abundè refutatis. Quæ enim & quàm imbecilla est hæc collectio; *Ἦς κρίμα* iudicium siue reatus ex Adamo, opponitur *χάρισμα* Christi. Ergo ut hoc non significat qualitatem nobis inherentem, sic nec illud? Quid enim prohibet, vitium inherens quatenus nos facit reos & pœna dignos ei iustitiæ opponi, quæ nos ab eo reatu & pœna liberat, uti vidimus censuisse maximos viros? Id non modò nihil prohibet, sed ipsa illa oppositio exigit. Est enim *κρίμα* ex iustitia, *χάρισμα* ex gratia. Iustitia nonnisi suam cuique tribuit; gratia donat id quod alioqui nostrum non erat, sed alienum. Hoc accepi à Cha-

Lib. 1.
de hom
corrupt
cap. 14.
§. VI. &
VII.

mīero, *Si nihil, inquit, habent infantes peccati proprij, cur propria morte pereunt? Nam propter alienam culpam, quæ tantum aliena sit, non fert iustitia diuina. Habuerint sanè aliquando homines eum morem, ut patris seruitus, filijs esset hereditaria: at eiusmodi nihil erat in populo Dei, ex diuinis legibus: quanto minus in Deo: qui irascitur in eos, quibus erat in ore prouerbiū, Patres nostri uas acerbis comederunt: Filiis autem dentes stupent; Quod si excipiat quis, seruari fideles propter iustitiam non suam, sed Christi: itaque posse etiam damnari, propter alenam iniustitiam, is uerò non uidet comparari ualde diuersa. Nam damnatio est à iustitia, salus autem à gratia. Nam si esset etiam ipsa à iustitia, non posset nos aliena iustitia seruare: quare ne aliena quidem culpa damnare. Nihil, opinor, desiderari potuit disertius.*

IV. Veniamus igitur ad vers. 17. Ex eo simile, inquit D. G. argumentum emergit. *Cuius delicto & lapsu mors semper regnauit & regnatura est in finem seculi, eius delicti pœna peruadit in omnes. Mors enim certè ab Apostolo ponitur, tanquam causæ illius effectum. At uno Adami delicto mors hæctenus in omnes regnauit, & porrò regnatura est usque ad finem seculi. Igitur delicti & lapsus illius Adæ pœna in omnes peruagatur. Concedo totum arg. Quis enim nostrum vnquam negauit, lapsus Adæ pœnam in omnes esse peruagatam? Tantum contendimus, inter eam & lapsum Adæ interuenisse vitium originale cui proximè pœna debetur. Est igitur lapsus Adæ prima causa regni mortis, sed proxima est ab illo productum peccatum omnibus inhærens, quod quia regnat, etiam mors regnat. Certè peccatum quod in hominibus non modò est, sed uiuit, non modò uiuit sed regnat, cui seruiunt, cui*

obediunt, cujus lex est in membris, id non est peccatum actuale Adami, sed hujus effectum, corruptio inhærens.

V. Ex vers. 18. simili ratione ac supra colligit. *Per cuius delictum condemnatio in omnes homines venit, propter illius delictum pœna irrogatur omnibus: Atqui per unius Adæ delictum condemnatio venit in omnes. Ergo propter unius Adæ delictum, pœna irrogatur omnibus ejus posteris.* Primum negari potest major propositio. aliud enim est *per* aliquem esse aliquid, aliud *propter* aliquem; per calamum scribo, non tamen propter calamum; per judicem est condemnatio, non tamen propter judicem. Deinde distinguo *propter* ut suprâ. Nam vel causam remotam designat, vel proximam. Si illam, conceditur totum argumentum; si hanc, negatur propositio. Est enim, ut multoties inculcaui, primum Adami peccatum actuale causa nostri peccati inhærentis, & hoc causa mortis: quod autem est causa causæ, id causa est etiam effectus. Aut cum Pelagio, Pighio, & Socino negandum est peccatum inhærens ejusque reatus, aut impossibile est ex verbis Apostoli imputationem peccati Adæ actualis antecedentem seu immediatam efficere.

VI. Sed fortasse illa tandem aliquando emerget ex vers. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justii constituentur multi:* Nullo certè modo. Argumentatur ex eo D. G. non vno modo, & primò quidem sic. *Idem Apostolus agit hoc versu quod reliquis illis diffusius persecutus fuerat. Atqui hoc versu manifestè agit de imputatione. Ergo & de eadem imputatione superiora intelligenda sunt.* Respondeo ad minorem, Apostolum

hoc versu non agere de imputatione : aut si agit de imputatione , non agere de imputatione immediata seu antecedente, quam solam nego. Nam si idem agit hoc versu quod in superioribus, in quibus de ista imputatione eum non egisse patuit, consequens est, eum de ista imputatione non agere in isto versu.

*Deinde, inquit, vix disertius & efficacius poterat Apostolus imputationem Adamici peccati significare, quàm factum est his verbis, claram oppositionem continentibus inter Adamii inobedientiam, & obedientiam Christi. Quò factum est igitur, ut maximi viri versum illum exponentes, imputationem illam in Apostoli verbis non animadverterint, sed rejecerint potiùs? verùm pergat, Obedientiam Christi actualem significat, qua Christus factus est obediens Patri vsque ad mortem crucis, Phil. 2. 8. Ergo & obedientiam Adamii actualem, qua Dei mandatum violavit : ut mirum sit quàm ratione neget Vir doctus hic *παρανομίας* voce ab Apostolo designari peccatum Adamii actuale. Nam quod addit, non designari peccatum actuale præcisum à corruptione, quam in Adamo peperit, hoc parum moramur. Quid, affirmare voce *παρανομίας* solum peccatum Adamii significari, non quidem actuale præcisum ab habituali, sed simul cum habituali, quæ sunt Placei verba, estne negare, ea voce designari peccatum Adamii actuale? Cur verò id non moratur? Etenim, inquit, sius præcisum ab illà corruptione, siue coniunctum cum eà, semper tamen designari intelligitur, quod ad causam nostram satis est. Immò verò si causam defendis imputationis immediatæ, id non satis est. oportet enim sic imputari peccatum actuale præcisum à corruptione, siquidem hæc est illius imputati pœna propriè dicta. non potest enim idem peccatum esse pœna sui ipsius,*

mur

præsertim pœna propriè dicta.

Hinc duplex argumentum se posse putat colligere: primum ex vi oppositionis. *Eadem ratione constituimur peccatores in Adamo, quàm iusti constituimur in Christo. Atqui in Christo iusti constituimur per iustitiæ ipsius imputationem. Ergo & peccatores in Adamo per peccati ipsius imputationem.* Et si nobis conclusio non nocet imputationem mediatam agnoscentibus, tamen major propositio falsa est. In eo enim ipso, de quo agitur, discrimen obseruatum est à viris maximis, vti patuit ex superioribus nostris responsionibus. Constituti enim sumus peccatores propagato in nos peccato inhærente quod meretur mortem, non sumus constituti iusti iustitiâ inhærente quæ mereatur vitam.

Deinde, inquit, ex verbis per inobedientiam Adæ peccatores constituimur. *Nam per actûalem alterius inobedientiam constitui non possumus peccatores, nisi imputatiuè, quia quod alterius est personaliter, nostrum fieri nequit, neque nos inde denominari, nisi imputationis interuentu. Atqui per actûalem Adami inobedientiam constituimur peccatores. Ergo imputatiuè.* Quid est negare propagationem peccati inhærentis, si hoc non est? Audiamus ergo potius ejus Antecessorem Chamierum, *Illud etiam non omittendum: per vnius inobedientiam multos esse constitutos peccatores ἀρστωρὶς: quod vocabulum in Scripturis sumitur pro ijs in quibus est re vera peccatum contrarium legi Dei. Et paulò post. Pro verbo. Nunquam ἀρστωρὶς dicitur de simplici reatu, & absque ullo vitio aut peccato. Ergo, cum dixit Paulus multos esse constitutos peccatores per vnius inobedientiam: Nihil aliud intellexit, nisi eo Adami peccato esse etiam esse, ut*

Lib. 1.
de hom
corrup.
cap. 5.
§ VIII.

omnes homines re vera, & in se se peccatores essent. Et alio loco, *A Paulo autem doceri unicum esse numero in omnibus peccatum originale, hoc verò insigniter falsum. Nam contrà. Per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Eodem capite. Peccator autem est, qui ipse habet peccatum suum: non autem cui alienum imputatur. Et rursus. In Adamo peccauimus omnes: quia Adamus primus peccauit: & inde initium factum peccati in omnibus hominibus: at in nobis etiam peccamus: quia eius peccato constituti sumus peccatores: id est, ab eo in nos peccatum propagatum. Et illius inobedientia eodem modo sumus omnes constituti peccatores: quo nostra etiam propria iam verò sumus peccatores: alioqui falsum esset, nos illius inobedientia constitutos esse peccatores. Alio loco ait nos per inobedientiam Adami constitutos esse peccatores, non formaliter, sed causaliter, quia est causa efficiens qualitatis illius per quam sumus formaliter peccatores: Sicut, inquit, podagrici causa est parens podagricus, siue podagra in parente: que tamen non est podagra filij. Audiamus etiam Petrum Martyrem contrà argumētantem. Hic, inquit, annotabimus, cum Apostolus dicit, Per vnus inobedientiam peccatores multos esse constitutos, ex his verbis argumentum haberi aduersus eos, qui putant peccatum originis non esse cuique proprium: sed vnum tantum extitisse, illudque fuisse in Adamo, quo nos nexi, & obligati sumus ad mortem & damnationem. Quum enim dicantur peccatores constituti, oportet, vt ipsi aut peccatum habeant, aut saltem habuerint. Nam alieno vitio nemo dicitur peccator.*

Cap. vii
§ xx.

Ibid §.
xxi.

Ibid.
cap. 8.
§. 17.

Comm.
in hunc
ipsum
versum.

CAPVT IX.

*Declaratio doctrinæ de Imputatione primi peccati,
Ex Hebr. cap. 7. vers. 9. 10. de decimatione
Leui in lumbis Abrahæ, vocatur
ad examen.*

I. **D**OCTRINAM de imputatione primi peccati antecedente seu immediata nullis Scripturæ fundamentis innixam esse jam, opinor, patet. Num ea saltem illustrari possit, nam probari certè non potest, ex Hebr. VII. 9. 10. vbi dicitur Leui decimatus in lumbis Abrahæ, paucis videamus. Ait D. G. *Originalis peccati in nos ex Adamo transeuntis naturam & rationem ex hoc loco declarare Theologis solemne esse. Bene dixit originalis peccati* : Nominat enim quosdam qui imputationem immediatam non modò non docent, sed apertè damnant. Possem ex Augustino, Bucero, Martyre, Gualtero, Gerhardo, &c. multa loca proferre : sed ne in re clara æquo longior videar, vnius Anselmi his verbis ero contentus. *Non portant* (infantes qui non feruantur) *peccatum Adæ sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantum, quia differunt vt dictum est. Illud enim fuit causa, istud est effectus.* Et paulò post. *Cùm dicit Apostolus, quod supra posui, quia mors regnavit ab Adam vsque ad Mosem, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, sicut significat infantum minus esse quàm Adæ peccatum, ita apertè monstrat aliud esse.* Quapropter cùm damnatur infans pro peccato

Cap. x.
§. 1.

Lib. de
concep.
Virg. &
peccato
origina.
li.

originali, damnatur non pro peccato Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ sed suam, quamuis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati istius causa fuit.

I I. Sed quid ex decimatione Leui colligit D. Garrissolius? Sicut, inquit, Abrahamus originarium fuit principium Gentis Leuiticæ, quæ secundum rationem seminalem ab eo propagata est, ita & Adam principium est materiale totius generis humani, quod ad generationem naturalem attinet. Itaque si rectè dictum est ab Apostolo Leuiticos sacerdotes decimatos fuisse in Abrahamo, quia in ejus lumbis erant, quando scilicet Abrahamus Dei sacerdoti Melchisedeco decimas persoluit; nihil mirum videri debet, aut inusitatum, quod dicuntur omnes homines peccasse in Adamo, & in eo perditum ac damnatum fuisse, quatenus omnes in ejus peccatis lumbis fuerunt. Quid vetat me hoc totum concedere, negantem imputationem primi Adæ peccati actualis immediatam? Fayus certè verba *ἃ πάντες ἠμαρτον* vertit in quo omnes peccauerunt, ut hoc, Com in Rom. 5. inquit, intelligatur de Adamo, cujus peccatum fuit commune omnium; sicut communis est omnium pœna siue mors. Hæc autem non imputatione communis est omnium, sed propagatione tantum. Idem ergo de peccato dicendum est. itaque illud omnes peccauerunt, exponit de peccato, quod non committitur actu, sed habitu quodam in nobis adheret. Et iterum alio loco. Peccauerunt autem in Adamo: sed non in similitudinem preuaricatoris Adami: quia non propter cupiditates suas peccarunt, quas in se nullas habebant, cum essent pueruli vel infantuli: ergo propter peccatum aliud à peccato Adæ. quæ de re in Arausicano concilio sic legitur, In iustitiam D'o dat qui mortem, quæ est peccati pœna, sive peccato, quod est meritum mortis, ad nos

transisse dicit. Dicantur ergo omnes homines peccasse in Adamo, modò id accipiatur de peccato habituali seu corruptione, quid hoc juuat imputationem antecedentem? Aut quid opus est ad talem illustrationem peccati originalis nobis nullo modo nocentem, nos respondere?

Pertendit tamen Placeus in Thesisibus de statu hominis lapsi ante Gratiã, non magis inde colligi Adami peccatum nobis imputari, quàm colligi potest, aut peccata Abrahami, aut ejus fidem & bona opera eidem Leui imputata fuisse, quæ tamen ei imputata fuisse nemo dixerit. Hoc confitetur D. Garissolius: Sed negat eo sine hoc Apostolicum Testimonium à tot & tantis Theologis in hoc negotio vsurpari. *Non enim, inquit, inde directè quisquam colligit Adami peccatum nobis imputari.* Habet igitur Placeus quod voluit, imputationem immediatam (de qua sola eum agere patet ex Th. VII.) non posse probari ex hoc loco. Ille enim sic argumentabatur. Quæ doctrina ad religionem spectans non potest probari ex sacris literis, ea est reiicienda. Doctrina de imputatione immediata inobedienciæ actualis Adami non potest probari ex sacris literis. Ergo est reiicienda.

Major non potest à Reformato vocari in dubium. Minor ab eo sic probabatur. Si quæ sunt sacræ literæ, ex quibus illa imputatio probari possit, illæ petuntur præcipuè ex cap. v. Epist. ad Rom. vs. 12. & seqq. & Hebr. VII. vs. 9. 10. Sed ex illis locis non potest illa imputatio probari. Ergo non potest probari ex sacris literis.

Sed fortasse ex hoc loco colligere potest aliquis *indirectè*, peccatum Adami actuale nobis imputari ina-

mediate. *Nam*, inquit D. G. *si quod fecit Abrahamus decimas dando, fecisse censentur tot postea seculis nati Leuita, nec tamen est in eiusmodi imputatione aliquid à ratione, aut Dei iustitia alienum, nemo causam dicet, quare qui afferunt Adæ peccatum censerì posterorum peccatum, ita ut in eo dicantur peccasse ac damnati fuisse, habendi sint pro absurditatum hamaxarijs, aut rectæ rationis & diuinæ iustitiæ aduersarijs.* Rursus potest hoc totum concedi, absque vllò causæ quam ago dispendio. Fateor enim Adæ peccatum censerì posterorum peccatum ob vitium illis inhærens ab eo deriuatum. Fateor in eo dici posse posteros ejus peccasse ac damnatos fuisse, quia nimirum ab eo peccatum inhærens & per peccatum damnationem suam traxerunt. Sed nego peccatum actuale Adami ita nobis omnibus ejus posteris imputari, ut ea imputatione nostrum fiat, alioquin non nostrum, & ut sic imputatum puniatur, corruptionem hæreditariam, quæ verè peccatum est, tanquam pœnam propriedictam, ac ut iustitia fiat, infligi, nec-non mortem corporis & æternam. Hoc est quod absurditatibus cumulamus, à quibus liberari non potest per decimationem Leui in Lumbis Abrahæ. An enim ex eo quod decimatus dicitur Leui in Lumbis Abrahæ, consequitur, imputationem illam posse probari ex sacris literis, non pugnare cum oraculo, *Filius non feret iniquitatem Patris*, non facere Deum autorem peccati, & Christum peccatorem &c. ? Impedit-ne ne sint bona & solida argumenta, quibus imputationem illam oppugnamus ? Nullo modo. Quid igitur imputationem illam iuuat hæc decimatio ? Nihil prorsus. Vin' præterea ostendam quàm malè ratiocinetur D. Garissolius ? Si quis in

prætereuntem rosas projiciat , nihil sequetur absurdi : hæ enim minimè nocent. An ergo similiter , si quis in prætereuntem lapides aut lutum projiciat , nihil sequetur absurdi ? Se habet autem solutio decimarum vt rosa quæ non potuit nocere Leui : At peccatum Adami non solùm vt lapis , sed vt summum malum. Non fuerit igitur alienum à justitia , si solutio decimarum ab Abrahamo facta tribuatur Leui ; quia id ei nullo modo nocuit , aut nocere potuit : An sequitur inde , non esse alienum à justitia , si peccatum ab Adamo commissum ejus posteris tribuatur , atque ita malum maximum illis inferatur ? Non admodum opus est aliis responsionibus ; quatuor tamen alias nobis D. Garissolius tribuit, quas fortasse ex Priore, quod vocat, Manuscripto exprompsit, & prolixè admodum refellere conatur, sed, pro suo more, conatu infœlici.

Responsio igitur secunda , eo referente, est, Apostolum , quia præuidebat fore , vt durum videretur, quod dicturus erat de decimatione Leui in Abrahamo, præoccupasse dicendo, *In Abrahamo decimatus est & ipse Leui*, *ὡς ἕσως ἐπιτίθω, vt ita loquar*. Quæ ratio molliendi non usurpatur, nisi vbi locutio audacior est, aut inusitatior, quàm vt eam liceat vrgere vehementiùs, aut ex ea quippiam colligere ratiocinando. Hoc igitur non debet eò traduci, vt inde colligatur peccatum Adami omnibus imputari , aut vt tanquam fundamentum substernatur rei , quæ ipsa per se vel obscura est, vel omninò fidem ipsa sibi derogat. Huic responsioni multa reponit. 1. *Locum hunc non tanquam fundamentum substerni, sed tanquam testimonium proponi declarande & illustrande doctrinæ de imputatione peccati*

Adæ valdè appositum. An sit appositum declarandæ imputationi immediatæ partim ex superiori, partim ex hac & sequentibus responsionibus manifestum fiet. Quod jungit *fundamentum illius desumi ex Rom. V.* quàm sit falsum partim ex dictis, partim ex Manuscripto posteriore comprobatur. Quod ait Augustinum & Calvinum imputationem illam amplecti, sine dubitatione pro falso habeo. Sed pergat. 2. *Frustrà,* inquit, *confugium queritur in verbis, ^{ὡς ἔπος ἐστίν.}* *Quid enim si verti debeant, ut breuiter dicam, potius quàm, ut ita dicam?* Sic enim sanè præcludetur istud confugium. Omnino præcludetur, si probet sic debere verti hoc loco. Sed quo argumento id euincet? Nos enim nunc tantùm respondemus: ejus est argumentari: respondemus autem consentanea receptæ versionis, quæ refelli non potest. Quis etiam credat Apostolum, qui non breuiùs hoc loco quàm alibi passim loquitur, voluisse hoc vno loco verba illa vsurpare, *ut breuiter dicam*, quibus alibi nunquam utitur? nempe perpetuò breuiter loquitur. *Quid si, addit, ita veritas, ^{ὡς ἔπος ἐστίν,}* ut aliquid majus & mirabilius dicā: *Præcludetur iterum hęc disputatoris euasio.* Quomodo inquam præcludetur, nisi probetur (id quod est impossibile) sic esse vertendum? Et cum maxima mirabilissimæque passim doceant Apostoli, qui factum esset, ut hoc vno dutaxat loco hujusmodi præfatio, potius quàm alibi, vsurparetur? Dicitur ne hęc aliquid majus & mirabilius, quàm alijs aut capitis aut Epistolæ locis? Si *præmolitio* vel *correctio* est, aliquid est in sequenti sententia, vel emolliendum, vel corrigendum, nec, nisi adhibita emolitione vel correctione, vrgendum. Præmissa hac inutili velitatione, jungit, 3. *Nos ta-*
men

men facile expositionem communiorem sequimur, ὡς ἐπι-
 ἰμίμ, vt ita dicam. Verba sint ergo molliendo dicto
 Apostoli apposita. Hoc quidem cause nostrae nihil pre-
 iudicat. Illa enim molliendi ratio, non rem ipsam spectat,
 sed potius ad verbum decimandi referenda est. Non enim
 personæ propriè decimantur, sed bona, vt notum est, cum
 ex eis decima pars excerpitur. Ergo quia quadam impro-
 prietas est in eo quòd Leui decimatus dicitur, pro eo quòd
 est, decimas ex Leui acceptas fuisse, ideò existimauit
 Apostolus hanc ἀνεπίτη esse leniendam per voculas, ὡς
 ἰπὸς ἰμίμ. Miror hoc excidisse Viro docto. Non vi-
 detur inspexisse locum. Vidisset enim Apostolum
 jam bis absque vlla emollitione verbum illud eodem
 modo vsurpasse, semel Ὑβ. 5. ἀποδεχτοῦ ἢ λαὸν deci-
 mandι populū & iterum Ὑβ. 6 δεδεχάτωε τὸν ἀβραάμ deci-
 mauit Abrahamum. Non igitur decimandi verbum
 sic vsurpatum emollire voluit Apostolus. 4. Fac, in-
 quit, etiam phrasim illam ad molliendam totam sententiam
 pertinere, Leui decimatus est in Abrahamo, quid hoc
 iuuat causam aduersariam? Certè enim decimarum perso-
 lutio fuit actio propria & personalis solius Abrahami. Er-
 go cum ea Leuitis etiam tribuitur, est agnoscenda quadam
 sermonis improprietas; non enim propriè & personaliter,
 sed interpretatiuè & per imputationem eis tribuitur, qua-
 tenus illi reputantur fecisse, quod Abrahamus solus fecerat;
 Neque enim quæ præstita sunt ab alijs & nobis imputan-
 tur, ita propriè nostra dicuntur, sicut ea quæ ipsi facimus,
 iuxta illud Poëta, Et quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra
 voco. Primùm autem oblitus videtur quas agere par-
 tes debeat. Respondet enim, cum probare debeat.
 Nos certè verba illa Apostoli non afferimus; allatis
 & obiectis respondemus duntaxat, ac palam facimus

ea causæ nostræ nullo modo obesse : id quod nobis fatis est. Interim concedit quod volumus, esse sermonis improprietatem quandam egentem emollitione. Ejus igitur erat ostendere & probare hujusmodi improprietatem non impedire, quominus illius loci verba sic vrgeantur, vt ab iis fit qui nos oppugnant. Hoc verò minimè facit. Cæterum ex ejus verbis sic colligo : Si par esset ratio illius sententiæ, *in Adamo omnes peccauerunt*, ac hujus, *in Abrahamo Leui decimatus est*, par esset vtriusque improprietas seu durities, ac proinde aut neutri, aut vtrique pariter emollitio illa præmittenda fuisset. Vel igitur Apostolus non dixit omnes in Adamo peccasse; vel si dixit, dispar est propositionis illius, ac hujus, in Abrahamo Leui decimatus est, ratio. Aliud etiam Colligo. Nam; *si actio criminosa primi hominis fuit propriè actio ipsius solius, & nostra minùs propriè, nimirum per imputationem*, qui nos, æquè ac Adamum, facit propriè reos ac morti obnoxios coram Deo iustissimo iudice. Debet enim similiter nos facere reos minùs propriè? Id tamen comparatione illustrat. *Sicut peccata nostra non propriè, sed tantùm per imputationem fuerunt in Christo, & sufficit tamen ea imputatio, vt Christus peccatorum nostrorum pœnas verè ac reapse lueret.* An igitur vt nos in Adamo, sic Christus in nobis dici potest peccasse? An ei peccata nostra sunt ita imputata, vti nobis imputatum dicitur peccatum Adæ? Si ais, igitur, quod vel cogitare horret animus, peccator fuit, & quidem magis quam aliùs quisquam: quippe cui plura fuerint imputata peccata. Si negas, quid facit *apòs. 1. timo. 2.* dissimile exemplum? Potuit quidem sufficere imputatio, vt pœnas peccatorum nostrorum Christus lueret tan-

quam vas noster; at non vt eas lueret tanquam peccatorum caussa. Agitur autem hoc loco de imputatione, qua fiat vt consemur causæ peccati, quod solius Adami propriè actio fuit, & quidem causæ ita propriè & verè, vt non minùs propriè & verè quàm ipse Adamus puniri mereamur. Id quod ajo à veritate & iustitia omnino esse alienum.

Superfunt tres aliæ responsiones, quas ne nimia, nec necessaria, prolixitate tædium afferam lectori, prætermittendas duco, tantum addam, non videri, ex verbis *in Abrahamo decimatus est Leui*, concludi posse, actionem illam Abrahami imputatam fuisse Leui. Nam si fuit imputata; idque probatum est ab Apostolo ea ratione, quam, *aut nullam esse, aut hanc esse* D. G. asserit *Qui est in lumbis alterius, tanquam originarij principij sui, illi non absconum si tribuantur que facta sunt ab eo, in cuius lumbis fuit. Atqui Leui fuit in lumbis Abrahamæ tanquam originalis sui principij. Ergo rectè Leui possunt attribui, que dicuntur de Abrahamo persolvente decimas Pontifici Melchisedeço*, nulla erit patris actio, quæ imputari filio rectè non possit. Cùm enim Syllogismus sit in prima figura, valere non potest, nisi major sit vera vniuersaliter. Quo posito, manente eadem minore, concludam; *Ergo rectè Leui possunt attribui, que dicuntur de Abrahamo credente Deo, aut fugiente in Ægyptum, aut dicente de vxore soror mea est &c.* Cùm igitur ex iisdem illis præmissis conclusio effici possit, vel ipso D. Garissolio confitente cap. x. § 2. falsa, & minorem constet esse veram, necesse est vt falsa sit major, & ab Apostoli mente aliena.

Quænam igitur, inquires, est Apostoli ratiocinatio? Scopus est probare Sacerdotij Leuitici quàm

Melchisedecici dignitatem esse minorem. Argumentum ex eo ducit, quòd Melchisedeco decimæ sunt ab Abrahamo solutæ. Quod vt explicet, atque proferat in lucem, comparationem instituit inter Leui & Melchisedecum habita ratione muneris ipsorum Sacerdotalis. Leui autem nomine Sacerdotes Leuiticos, totumque eorum sacerdotium complectitur. Si Melchisedecus decimas accepit, etiam ipsi sacerdotes Leuitici decimas accipiebant. Hactenus igitur quodammodo pares erant. Sed quatuor obseruat Apostolus differentias Melchisedecum supra Sacerdotes Leuiticos, immane quantum, extollentes. Prima est, quòd his datum erat mandatum accipiendi decimas, cum de illo nullum extet eiusmodi mandatum. Altera, quòd hi decimas accipiebant à fratribus suis, egressis è lumbis Abrahæ, ac proinde natura & origine sibi æqualibus; Ille verò, cum non esset ex eodem genere, decimas accepit, non à Leuitarum fratribus, sed ab ipso eorum patre, Abrahamo, habente promissiones. Itaque hi ab Abrahamo sacerdotium ac dignitatem suam tanquam illius hæredes acceperunt; Ille suam aliunde habuit. Hi suam omnem benedictionem quam fratribus impertierunt ab Abrahamo habente promissiones traxerunt, Ille verò benedictionem non accepit ab Abrahamo, sed contra Abrahamus ab ipso, cum tamen hic promissiones haberet. Tertia, quòd hi accipiant decimas tanquam homines mortis obnoxij, ac proinde eis egentes, Ille verò tanquam is, quem perpetuò viuere, seu immortalem esse Scriptura testatur: vt non potuerint ei decimæ dari, nisi declarandæ ejus dignitatis gratia. Quarta denique quod etiam ipse Leui, qui decimas

accipit, per Abrahamum decimatum quodammodo decimatus fuisse à Melchisedeco dici possit.

Nam is adhuc erat in lumbis patris, cum Abrahamo occurreret Melchisedecus. Hoc enim euenit antequam Isaacus esset genitus. Id quod non casu, sed singulari Dei prouidentia sine dubio accidit, ne separato ab eo Leui, videretur etiam ab eo tunc separata fuisse Leuitici sacerdotij dignitas. Itaque id tempus elegit Deus, cum in vno Abrahamo nondum vlla ab eo facta hæredum separatione, omnis posteritatis ejus secundum carnem vnita contineretur dignitas, quæ suo tandem tempore inter ejus filios ita est distributa, vt sacerdotalis dignitatis Leui, regiæ Iuda hæres fieret. Quod si quis à me flagitet, vt rationem Apostoli Syllogismi forma induam: is sic poterit concipi. Qui singulari Dei prouidentia tunc est decimatus, cum adhuc in sese sacerdotij Leuitici dignitatem, nondum vllâ factâ ab eo separatione, totam contineret, in eo decimato ipsum sacerdotium Leuiticum, seu ipsi Leuitæ sacerdotes, vt ita loquar, decimati fuerunt. Atqui singulari Dei prouidentia tunc est decimatus Abrahamus, cum adhuc in sese Sacerdotij Leuitici dignitatem, nondum vllâ factâ ab eo separatione, totam contineret. Ergo in eo decimato Leuitæ sacerdotes, vt ita loquar, decimati fuerunt. Hoc enim, vt ita dicam, homagium Sacerdotium Leuiticum per Abrahamum, in quo continebatur, Melchisedeco exhibuit. Non enim aliud habuit Leui sacerdotium, quàm quod ab Abrahamo hæreditario jure acceptum, Deo attribuente & formante, ipsi indultum fuit. Hinc, opinor, Lector beneuole perspicis, cum inuictam esse rationem Apostoli, tum in

eius verbis nullam propriè dictam imputationem haberi, nisi fortè mediatam. Nam vt in Abrahamo fuit Sacerdotium Leuiticum, ex eoque ad Leui est deriuatum, sic in Adamo fuit peccatum, ex eoque in nos est propagatum. Itaque vt idem de Leui sacerdote ac de Abrahamo sacerdote faciendum, quantum ad dignitatem sacerdotij spectat, iudicium fuit, sic de Adamo peccatore & nobis ob tractum ab eo inherens vitium peccatoribus, idem, quoad reatum, faciendum iudicium est. Si diceretur aliquis Domino feudi in suo patre, cum in eius lumbis adhuc delitesceret, vt ita loquar, homagium quod vocant præstitisse, itaque Domini illius, vt loquuntur, vasallum esse, nonne rectè procederet argumentum? Et tamen non imputaretur prælitum à patre homagium filio: nam si imputaretur, non magis à filio exigi posset vt id ipse denuò præstaret, quàm id poterat à parente exigi.

C A P V T X.

Imputationem primi Adæ peccati actualis antecedentem seu immediatam nullis rationibus astrui posse.

PUtasne, Lector, hanc imputationem, cùm absit à Scriptura, rationibus posse astrui? Audiamus tamen, si quæ afferuntur, rationes. Persuasum enim est nobis perpetuò cum Scriptura rectam consentire rationem. Agnosco, *Quæ Deus Adamo largitus erat,*

non ipsi soli, sed etiam toti posteritati ipsius fuisse data; ac proinde nos in ipsius persona omnibus illis bonis spoliatos in omnem hanc miseriam & maledictionem incidisse. Quid inde pro illa imputatione rationis elici potest? Erantne posteris omnibus imputanda, quæ Deus Adamo largitus fuerat bona? Aut est-ne imputanda nobis illorum omnium bonorum Adamo conueniens spoliatio? Utinam hæc spoliatio nobis non nisi imputatiuè conueniret!

Qui, inquit, propter parentum crimen actuale aliquod, ijs beneficijs priuantur, quæ parentes illi & pro se & pro liberis suis acceperant; illi patris criminis pœnas luunt, atque adeò paternum crimen illis imputatur. Atqui posteri omnes Adami propter primam illam ejus inobedientiam qua se polluit, priuantur ijs beneficijs, quæ Adamus pro se & pro posteris sibi acceperat, nimirum, justitia & rectitudine naturali. Ergo posteri omnes naturales Adami paterni criminis pœnas luunt, adeoque paternum illis crimen imputatur. Quid si hanc conclusionem concedam? Paternum enim crimen vel vitium hæreditarium intelligitur, vel causa illius vitij, actualis inobedientia Adami. Si prius, imputatur, & quidem immediatè. Si posterius, imputatur id quoque, sed mediante inhærente vitio. Luimus pœnas proximè peccati nostri in nos propagati, remotè verò peccati ab Adamo olim admissi. Quod si dicat aliquis, nos omnes transfusori Adæ nasci innoxios, immediatè, hoc est, non propter aliquod vitium, aut culpam, aut deprauationem, quam in nobis habeamus, is meminerit sic tuisse Pighij errorem à Petro Martyre explicatum: atque his argumentis in primis confutatum: quæ considera Lector si placet, annon pugnent cum D. G. sententia &

argumentis. Verum, inquit, contra hanc sententiam in primis illud facit, quod jam bis diximus: videlicet, infantes mori. Mors enim nihil iuris habet ubi non est peccatum. Nisi dicere velimus Deum punire innocentem. Confirmatur autem hæc ratio ex argumento Pauli, quo probavit, peccatum fuisse ante Legem. Quia mors, inquit, regnavit ab Adamo usque ad Moysen. Atqui juxta Pighij sententiam hæc ratio hebetissima videri possit. Diceret enim quispiam, etsi illi mortui fuerint, tamen ex eo non sequitur, illos habuisse peccatum. Mors enim illis contigit propter Adamum, ubi cuius peccatum redditi sint mortales. Vides, Lector, & peccatum intelligi, non actuale Adami, ut vult D. Garissolius, sed habituale nostrum, & pro causa Pighij eius argumenta militare aduersus nostros. Quod ut fiat manifestius, subjungam aliud argumentum Martyris. Postremò, inquit, habemus à Paulo per inobedientiam unius hominis multos constitutos esse peccatores: quod indicat, in illis, qui nascuntur ex Adamo, esse vitium, propter quod peccatores dici possint. Sed hoc putat Pighius se posse eludere, quod peccatores interdum dicantur propter reatum, quamvis actio peccandi præterierit, neque amplius extet. Quamvis hoc ita sit, nunquam tamen ostendere potest è Scripturis, quenquam peccatorem appellari, quin aut in se ipso vitium habeat, aut certè antea admisserit: nisi dicere velit, Deum homines reos facere absque ipsorum aliquo peccato. Num quid flagitare disertius tua potest, Lector, æquitas? Sed redeamus ad Argumentum nobis objectum. Quamvis causæ nostræ non obsit conclusio, tamen Minor distingui debet. Nam si vult nos priuari iustitia naturali propter primam Adæ inobedientiam nobis imputatam, petitio est, ut loquuntur, principij: id ipsum

ipsum enim assumit quod versatur in quaestione: quare negatur minor. Sin vult nos priuari iustitia propter inobedientiam illam in nos, (non quidem secundum actum, sed secundum habitum) naturaliter propagatam, concedi potest. Nam inobedientia actualis Adamum iustitiâ priuauit, quam amissam cum posteris communicare non potuit: Nemo enim dat quod non habet. Negamus igitur nos priuari iustitia naturali ob peccatum Adami nobis imputatum: Concedimus nos ea priuari ob peccatum Adami in nos propagatum.

Instat D. Garissolius. Quid dico instat? *Respondeo*, inquit, nempe responsioni responsionem opponit. Sed quid tamen respondet? *Resp.* inquit, 1. *Non si propagatio peccati & eius transmissio per generationem naturalem concedenda est, ut est certissima, propterea imputationem negari, aut tolli consentaneum est; neque enim ab illius positione ad huius negationem consequentia ulla legitima duci potest, utraque potius in causâ peccati originalis coniungenda est, sicut à nostris Theologis communiter obseruari certum est.* Atqui, inquam, nostræ, nunc quidem, partes sunt respondere, eius probare. Poni-mus autem, id quod est in confesso, propagari peccatum Adami per generationem naturalem. An eam antecedit imputatio peccati Adamici, necne, id ipsum est quod inter nos controuertitur, quodque probandum suscepisse videbatur. Nunc probationis loco contentus est dicere ab illius positione ad huius negationem nullam esse consequentiam. Fac ita esse, an propterea imputationem illam astruxit? probet igitur non sufficere propagationem naturalem, nisi eam antecedit imputatio, alioquin aërem diuerberat. At-

que hoc est quod intendit probare.

Addit enim. 2. *Nec satis est, si dicas Adamum, quæ amiserat communicare non potuisse, eò quòd nemo dat, quod non habet, quia hîc ratio reddenda est, quare anima Adami iustitiæ originalis decoramentis ornata fuerit; & quare posterorum ipsius animæ, quæ non traducuntur propagatione naturali, sed à Deo infundendo creantur, & creando infunduntur, iisdem ornatibus ipsâ suâ creatione careant, adeoque perfectione illâ primâ patris Adami destitute in corpus à Deo inducantur, quod tamen aliter futurum fuit, si Adam in integritate suâ perstitisset. Hic enim non est simpliciter recurrendum ad propagationem, cum animæ non propagentur, aut traducantur; Neque ad legem nature, quæ morboſi morboſos generant, quia anima non generatur, & tamen ab initio sui esse, priuata est primis illis beneficijs.*

3. *Quia non benè comparatur qualitas physica in carne sola hærens, qualis est morbus aut lepra, cum qualitate morali, qualis est corruptio siue peccatum originale. Neque sequitur, si verè naturale est, ut leprosus leprosum, aut elephantiacus elephantiacum generet, ut putandum sit à sola natura propagationis esse, citra omnem respectum imputationis, quod ex Adam moraliter corrupto generantur homines moraliter itidem corrupti. Primum quod ait, rationem reddendam esse quare anima Adami iustitiæ originalis decoramentis ornata fuerit, ea ratio est in promptu: cum enim rationalis & capax iustitiæ esset, creari à Deo optimo expers iustitiæ & sanctitatis, hoc est, iniusta & immunda non potuit. Sed quare posterorum eius animæ eadem iustitia, cum producantur non ornantur? etiam obuia est responsio, quia immundus Adamus mundum generare non potuit: genuit enim sibi similes. Quid opus est, ut tibi rationē reddā,*

quare lupus lupum gignit ? *ut enim*, inquit Galternus, *lupi lupos generant, ita Adam peccator peccatores genuit. & ut luporum catuli lupinam ingluviem non obscuris argumentis produunt, ita in infantibus quoque peccatum tunc quoque vires suas exerit, quando per aetatem opus adhuc nullum possunt perficere. At inquis, Hic non est simpliciter recurrendum ad propagationem, cum anima non propagentur aut traducantur. Ego verò publicæ nostræ confessionis fidei non sum immemor. Art. 10. Nec putamus necessarium esse inquirere, quinam peccatum pesit ab uno ab alterum propagari. Præclara sunt etiam Petri Martyris, ut alios omittam, hæc verba. Res quidem, inquit, obscura est, & perdifficilis: eoque minus arbitror de ea esse laborandum. Nam cum peccatum ipsum originis extare, & ad posteros transmitti, verbum Dei luculentissimè doceat, quamvis modum, & rationem, qua transfundatur non intelligamus, tamen veritati cedendum est: de modo autem qui difficulter sciri, & sine iactura ignorari potest, non nimis sollicitè, atque anxie disputandum. Re vera constat, multa esse, quæ, quomodo producta fuerint, ignoramus. Præstat modesta ignorantia audaci & incertæ scientiæ.*

Homil.
26. in
Ep. ad
Rom.

Com. in
Rom. 5.
12.

Sed quoniam nobis per Viri docti ratiocinationem non licet ita sobriè sapere, Peto, an peccatum hæreditarium propagetur naturaliter, nec-ne? *Propagatur*, inquit, *quia mundum ex immundo nemo elicere potest, quia corruptus Adam corruptos genuit, quia Deus permisit labem illam à primis parentibus peccato contractam herere in semine, & ad posteros promanare. Ita est, neque aliquis nostrum erit, qui non totum illud prolixissimè largiatur. Hoc sanè verissimum est, & aduersus Pelagianos ab omnibus orthodoxis constanter assertum.*

Eodem
cap. xi.
§. xii.
p. 364.

Considera ergo, Lector, quid possis respondere has ipsas D. Garissolij, quibus nos oppugnat, rationes, in illam propagationem retorquenti. Quomodo propagatur peccatum hæreditarium, cum animæ, quibus inhæret, non propagentur, aut traducantur? Non potes confugere ad legem naturæ, qua morborum morbosos generant, quia anima non generatur, & tamen ab initio sui esse priuata est iustitiâ & corrupta. Quomodo etiam potest labes illa, cum non sit qualitas physica, sed moralis hære in semine? Aut ego vehementer fallor, aut non poteris his rationibus, quatenus simpliciter propagationem peccati impugnant, occurrere, quin eadem operâ nos ab eis præstes immunes. Nam si recurras ad imputationem, nihil proficies. Imputatio enim est actio non hominis generantis, sed Dei iudicantis. Deinde, vult D. Garissolius imputationem illam tunc fuisse factam, cum primùm peccauit Adamus, diu antequam propagatio seu generatio fieret: vt quomodo propagationis naturalis pars aliqua dici possit, haud equidem intelligam. Quod si per imputationem pœnæ irrogationem ob Adami peccatum intelligis, illa ipsa irrogatio Dei actio est, non autem naturæ aut hominis gignentis. Deinde illa pœna, quæ eadem peccatum est, vel producitur à gignente, vel non. Si producitur, redeunt superiores rationes, quomodo enim potest ab homine gignente produci peccatum in anima quæ ab eo non gignitur? Si non producitur, certè non propagatur. Vides ergo à D. Garissolio propagationis peccati nomen retineri, rem verò significatam tolli. Cum igitur in confesso sit, peccatum per generationem carnalem propagari, juxta illud

quod ex carne natum est, caro est; Et rationes illæ à Pelagianis aduersus orthodoxos centies sint objectæ, nihil opus est vt iis soluendis remoremur lectorem. Consuli possunt Augustinus, Martyr, Chamierus, alijque plurimi, qui de propagatione peccati diligenter scripserunt. Sic se habuit prima D. Garissolij ratio.

Adjungo, inquit, alteram. Etenim nisi ad imputationem confugas, eamque à Dei voluntate, iustoque iudicio dependentem, vix est, vt idonea ratio reddi possit, quare labe originalis peccati in naturales omnes Adami filios ab initio decurrerit, & vsque ad seculi finem dimanatura sit: siue, quare corruptio primi parentis, propagatione descendat in totam sobolem, potius quàm peccata reliquorum parentum, quibus ortum nostrum non minùs quàm Adamo debemus, imò quos propinquiùs attingimus. Nam si ea est ipsius nature lex, vt corrupti corruptos generent, sicut leprosi generantur à leprosis, vnde fit, vt parentes, qui peccatis varijs sese commaculant, inquinamenta illa peccatorum suorum non semper transmittant in liberos? Cur Adamus inobediens filios generat rebelles Deo, & naturà contumaces? Et Ahas idololatra non generat Ezechiam sibi similem? Aut cur adulteri, ebriosi, prædones, non semper progignunt filios in eadem vitia præcipites? Aut cur vitium tam vetus propagetur, non propagantur recentiora, & quæ tanto temporis spatio non distant à nobis? Aut cur denique corruptio ex primo peccato sobolescens seminatur, & quæ ex sequentibus Adami peccatis cumulari potuit, non deriuatur in posteros? Doctrinam imputationis reijce, herebit aqua, nec, quoquò te veritas, idoneam redditurus es eius differentie rationem. Doctrinam imputationis pone, crit tibi certa causa illius diuersitatis præ manibus; Nimirum discrimen inde procedit, quod primi parentis culpam voluit Deus in

omnes imputatione transire: aliorum parentum ita transmitti non voluit. Eam veram & solidam & unicam ejus rei causam agnoscunt Theologi &c. Primum satis mirari nequeo viri docti *ἀβελήων*, non animaduertentis, nos pariter à Dei voluntate hujus discriminis rationem petere posse. Quid enim facilius quàm respondere, ejusmodi esse omnis vitij contagium, vt instar pestis, vel veneni, vel fermenti sese diffundere & propagare possit, nisi Dei vel prouidentia vel gratia obicem ponat. Discrimen igitur inde procedere, quod primi parentis vitium Deus, quominus per carnalem generationem propagaretur, noluit impedire: Aliorum verò parentum alia vitia, ne similiter propagatione naturali multiplicarentur, inhibere voluit; vt in illo quæ peccati & naturæ; in his quæ Dei prouidentia & gratia vis esset, perspicui possent. Quærenti ergo, vnde fit, vt parentes, qui peccatis variis sese commaculant, inquinamenta illa peccatorum suorum non semper transmittant in liberos? Respondeo verbis Petri Martyris, quia *Deus modum præfixit, ne malum grassetur in immensum, & hanc mali propagationem suspendit.* Cur Adamus inobediens filios generat rebelles Deo, & natura contumaces? Respondeo, quia Deus voluit permittere, hoc est, non impedire lapsum Adami & lapsus propagationem. Cur Achas idololatra non generat Ezechiam sibi similem? Quia Deus, qui Ezechiam elegerat, eum à paterna idololatria Spiritus sancti virtute liberauit. Cur adulteri, ebriosi, prædones, non semper gignunt filios in eadem vitia præcipites? Quia vitia illa, vel non propagantur impediende Dei prouidentia, quæ humani generis conseruationi prospicit, vel propagata tol-

luntur regenerationis gratia. Itaque vitium tam vetus propagatur, quia Deus noluit quominus propagaretur impedire: non propagantur recentiora, quia Deus voluit ne propagarentur impedire. Vno verbo, voluit permittere propagationem lapsus Adami, non aliorum peccatorum. Vides, opinor jam æquifsiue Lector, nobis aquam nullo modo hære. Aliam ejusmodi discriminis rationem Placeus cum in Thesibus, tum in Manuscripto posteriore reddiderat ab ipsa primi Adæ peccati natura petitam, quæ suo loco ab exceptionibus D. Garissolij Deo dante vindicabitur. Nunc enim mihi satis est ostendisse, quam ipse hujus discriminis rationem reddit, eam, non minùs propagationi quam imputationi applicari posse: Est que nostra quàm eius causa melior. Nihil enim sic respondendo dicimus quod possit negari. Conuenit enim inter nos propagari peccatum originale, non perpetuò propagari alia vitia, nihilque fieri posse Deo prorsus incio & inuito. Ille verò sic respondendo, supponit imputationem antecedentem, quam nos negamus, & probare debebat, Deoque voluntatem sic imputandi primi Adæ peccati actualis tribuit: quam tamen voluntatem Deus neque per naturam, neque per Scripturam patefecit. Id quod peccato vacare non videtur. Adde quod, si *rei illius vera & solida, & unica causa* est Dei voluntas, cui sic libuit nobis omnibus primum Adami peccatum imputare; nec libuit aut sequentia Adami, aut aliorum parentum peccata imputare, fatendum est (id quod vehementissimè refugit conscientia) veram & solidam & unicam causam cur simus peccatores & perditii, Dei voluntatem esse, contra oraculum, *Ex te perditio tua.*

ô Israël. Fateor equidem cum propagatione vitij originalis imputationem, nisi Dei misericordia intercedat, cohærere, sed ea imputatio sequitur propagationem, non antecedit, nec est vlllo modo propagationis causa. At ponere imputationem, qua peccatum actuale Adami nostrum fiat, qua fiamus peccatores & rei mortis æternæ, quæ sit causa propagationis peccati, & hujus imputationis vnicam esse causam Dei voluntatem, quid est facere Deum perditionis nostræ autorem, si hoc non est? Sed fortasse exigebat iustitia, vt Deus vellet primum illud peccatum imputare potius quàm alia peccata? Cur ergo, inquam, hanc causam non attulit? cur dixit illius rei vnicam esse causam, Dei voluntatem? Aut quomodo probabitur (nos enim nunc quidem respondentium partes tuemur) id iustitiam exegisse? Si confugas ad conjunctionem quæ nobis cum Adamo intercedit, ea ne major fuit cum primùm peccaret quàm postea, aut cum eo, quàm cum propinquiioribus nostris parentibus? Si ad nescio quoddam fœdus, cuius hæc fuerit conditio, vt si peccaret, primum eius peccatum omnibus eius posteris ad duas istas pœnas imputaretur, peccatum inhærens & mortem æternam, probandum erit illud fœdus è Scriptura; id quod est prorsus impossibile. Cauendum est autem nobis quàm diligentissimè ne quid præter Scripturam Deo tribuamus, præsertim ejusmodi, quod virtutes eius obscurat; id enim non potest non graue peccatum esse.

Hac ratione sic proposita Theologorum auxilium sibi adjungit, & Vitakerum, Chamierum, Sixtum senensem, & Bellarminum nominat. Nostros cur laudet non miror: ita enim in hac causa vsuuenit, nouitatis

nouitatis suspicionem amoliendi causa: Sed cur Pontificios? cur Bellarminum? Nosne putauit eorum autoritate moueri posse? Non arbitror: Sed suis rationibus coniungere voluit ad nos oppugnandos Bellarmini rationes. Eum enim dicit *non contemnendis ad firmandam hanc sententiam rationibus fultum procedere in medium lib. 5. de Amiff. Grat. & Stat. pecc. cap. 18.* Age igitur huiusetiam soluamus rationes, eoque maiore animo quòd si quid intelligo, receptæ in Ecclesijs nostris doctrinæ de peccato originali non obscure aduersantur. *Nisi ponamus, inquit, nos in Adamo, & cum Adamo verè peccasse, nulla ratione explicari poterit, quomodo in paruulis recens natis sit aliqua vera culpa, & hoc Catholicum dogma, non tam supra rationem, quàm contra rationem esse videbitur.* Antequam progrediamur, quid est in & cum Adamo peccare? Figuratam enim profectò locutionem esse oportet. Fortasse est nobis Adami peccatum imputari. Hoc posito, propositionem illam nego. Eam probat Bellarminus, *Nam, inquit, quicquid dicamus in paruulis ex peccato herere, siue reatum, siue auersionem, siue gratiæ priuationem, siue quid aliud; nullo modo paruulis vitio dari, ac ne esse quidem poterit, nisi processerit ab actione libera, cuius actionis illi aliquomodo participes fuerint.* Nonne hoc est negare, vitium hereditarium, infantibus inhærens, esse verè peccatum ijs damnandis sufficiens, uti nostra pronunciat Confessio Artic. xi. Sed pergat. *Nam primò, reatus, cum sit relatio consequens actionem, qui fieri potest ut existat in eo, qui non est participes actionis? Valeret fanè hoc argumentum, si nullum esset peccatum nisi actuale, nullus reatus nisi proximè actionem consequens.* Nunc autem est etiam peccatum habituale, & reatus

consequens habitum. *Secundo* (recito enim has rationes vt apud D. Garissolium extant) *auersio habitualis , nisi processerit actualis , ne intelligi quidem potest.* Hoc verò insigniter falsum est, si actualis auersio ipsorum paruulorum intelligitur. Alioqui quis negat auersionem actualem Adami processisse habitualement in ipso, & hanc esse in paruulos propagatam ? Profectò auersio à Deo, in quocunque sit, hoc ipso quod est auersio à Deo, peccatum est. *Tertio, fingamus paruulum aliquem habere auersionem & reatum, & tamen non peccasse cum Adamo, quis capere poterit, eum merito reprehendi, & puniri debere. Quam culpam habet in eo, quod ita generatus est ? Num impedire potuit, ne sic gigneretur ?* Ex mente D. Garissolij peccasse cum Adamo est peccatum imputari, & quidem imputatione vitium inhærens antecedente: alioqui nos istæ rationes non oppugnant. Iam autem sublata ista imputatione, potestne auersio à Deo, in quocunque sit, non digna esse reprehensione ? Culpa quidem eius non est quod ita generatus est, sed quod ita comparatus est, quod nequam, quod impius, quod Dei aduersarius est, hæc est profectò magna culpa, non quidem, vt loquuntur, culpa actualis, sed tamen habitualis. Ab actuali inobedientia causa à qua est, extrinsecè; ab habituali verò subjectum in quo est, intrinsecè denominatur inobediens. Non est igitur paruulus reus ab actione proximè sed ab habitu: non quia malam aliquam actionem commiserit, sed quia ipse malus est, & ad malè agendum comparatus. *Quarto, non satis est ad culpam, vt aliquid sit voluntarium habituali voluntate, sed requiritur, vt processerit ab actu etiam voluntario; alioqui voluntarium illud voluntate habituali naturale esset, & misericor-*

dia, non reprehensione dignum. Immò inquam, id satis est ad culpam habitualem. Non enim vitium originale dicitur voluntarium, quia est à voluntate, sed quia est in voluntate: illo modo voluntarius est actus, isto habitus: Nimirum vitium illud est ipsius voluntatis malitia & prauitas, à qua, licet naturalis sit, mala dicitur. Quo magis autem naturaliter mala est voluntas, eo est peior, & odio dignior. Cæterum quis non videt has rationes posse retorqueri? Reatus enim est relatio consequens actionem eius cuius est reatus, non autem alterius: & habitus sequi solet actionem eius cuius est habitus, non autem actionem alterius: Et, Num impedire potuimus, aut debuimus ne peccaret Adamus? Et, quomodo est voluntarium respectu voluntatis nostræ, quod tanto tempore, antequam vllam haberemus voluntatem factum est? Et, facit-ne illa imputatio, vt peccatum illud actuale Adami processerit ab actu voluntario nostro? aut sumus-ne minùs necessariò rei, quàm corrupti? Num sumus commeriti, vt tales gigneremur? Legantur Theologi nostri, aduersus vel Pelagium, vel Pighium, vel ipsum Bellarminum disputantes, præsertim cùm tractant controuersiam de peccato originali & concupiscentia, an sit peccatum, etiam post susceptum baptismum.

Supereest vltima eius ratio ducta ab imputatione Iustitiæ Christi. Eam sic concipit. *Quod doctrinam de imputatâ Christi iustitiâ vel conuellit, vel labefactat, neque admittendum, neque tolerandum est, sed amolendum omnino ac rejiciendum. Atqui dogmate de Non imputatione peccati Adæ, doctrinam de imputatione iustitiæ Christi, non parùm labefactari certum est, cùm ex nega-*

tione prioris facillimus sit lapsus ad posterioris negationem. Nam cum in Christo tanquam secundo Adamo, remedium habeamus certissimum aduersus ea mala & damna, quae sunt in genus humanum à primo Adamo inuecta; Remedium autem morbis, quibus sanandis paratum est, iustâ proportionem respondere debeat; qui præter natiuam corruptionem, nihil nos damni ex Adamo trahere existimabit, & huic corruptioni considerabit ex aduerso respondere donum sanctificationis, faciliè in eam sententiam deueniet, cum nullus sit in nobis propter Adæ inobedientiam reatus labæ nostræ originali prior, neque opus esse ullâ iustitiæ Christi imputatione, quæ sanctificationem ordine naturæ præcedat: quia ubi nullum est malum, nullo etiam opus est remedio. Nego dogma de Non-imputatione peccati Adæ antecedente seu immediata villo molo doctrinâ de imputatione iustitiæ Christi labefactare; mihi quæ valdè dolet, quod videam virum doctum, vt id probet, deserere doctrinam de corruptionis natiuæ reatu, publicis fidei confessionibus Ecclesiarum protestantium declaratam, & confirmatam. Corruptio natiua duobus modis spectari potest: vno forensi, altero morali. Priori modo consideratur vt peccatum nobis damnandis sufficiens: Posteriori verò vt qualitas nos sua inhaerentia polluens. Quatenus est peccatum nos iræ Dei addicens, ei respondet iustificatio: quatenus verò est qualitas foeda nobis inhaerens, ei respondet sanctificatio. Tolli autem ista qualitas non potest, nisi prius tollatur ejus reatus. Itaque sanctificationem ordine naturæ iustificatio præcedit. Cum igitur corruptio duplicem illum respectum habeat, vnum forenses; quo fit, vt, nisi condonetur, imputetur ad mortem; alterum moralem seu philo-

sophicum, quo subjectum reddit habile ad peccandum, duplici nobis remedio opus fuit, imputatione iustitiæ Christi, quæ mederetur reatui corruptionis, & vi Spiritus, quæ è subjecto reuelleretur. Nonne orthodoxa est hæc doctrina, & ab omnibus purioribus Ecclesiis confessa? Miror igitur eam doctrinam à D. Garissolio hoc loco fuisse negatam. Quanquam id non est admodum mirandum. Vix enim fieri potest, quin in hunc scopulum incurrant ij, qui antecedentem imputationem probare student. Cæterum necessaria est imputatio iustitiæ non modò vt à reatu vitij inhærentis, verùm etiam vt ab omnibus aliis nostris peccatis iustificemur. Id enim quod Deus gratificatur *est ex multis lapsibus ad justificationem.* Rom. 5. 16. Possem etiam hanc rationem in suum autorem retorquere. Nam si vbi nullum est malum, nullo opus est remedio, & nullum sit malum, si nullus sit in nobis propter Adæ inobedientiam reatus labe nostra originali prior, & cur sit in nobis iste reatus vera & vnica causa est Dei voluntas, non intelligo quæ sit imputatæ iustitiæ necessitas. Abstineat modò Deus ab imputatione primi Adæ peccati quemadmodum sibi temperat ab aliorum peccatorum, vel ipsius Adami, vel nostrorum majorum, imputatione, nullum erit malum, nec opus erit remedio. Nulla enim est causa, si D. Garissolio fides habetur, cur Deus illud peccatum nobis potius quàm alia peccata, vel Adami, vel aliorum parentum, imputet, præter vnâ eius voluntatem. Cùm ergo id pendeat ab eius voluntate vt imputet, vel non imputet, quid opus fuit, Christum tam dira pati, vt posset nobis illud peccatum non imputari? Possem etiam hoc loco contradictionem

Domino Gariffolio objicere. Ait enim, si nullus sit reatus prior corruptione, non esse opus imputata Christi iustitia, & tamen alibi fatetur esse imputationem, & reatum corruptione posteriorem. Huic reatui qui corruptionem sequitur, quod justâ proportionem remedium respondet? sanctificatio? non opponitur propriè reatui. Iustitia Christi imputata? Hæc igitur, posita imputatione consequente seu mediata, nobis necessaria est. Itaque non labefactatur à Placæo doctrina de iustitia Christi imputata: agnoscit enim imputationem & reatum consequentem; atque adeò peccatum originale, & satisfactionis Christi necessitatem, nihilque habet cum erroribus Socinianorum, Arminianorum &c, conjunctum.

C A P V T X I.

A Pelagianorum, Socinianorum, & Remonstrantium in hoc negotio sententia Placæum esse alienum.

Cap. xxi
§. 1. &
seqq.

VT nos reddat exosos, & grauissimis obruat præjudiciis, dolet nos cum Pelagianis & Socinistis paria facere. Sed dolendi causa nulla est: Nam ab hujusmodi hominum erroribus abhorremus, ut qui maximè.

Vetustissimorum, addit, hæreticorum (Marcionitas puto, & Manichæos, qui legem antiquam malam esse summâ cum impietate asseriebant) sententia fuit, nullam esse posse justam alieni peccati imputationem. Quid hoc ad rem?

Nos ne idem cum illis hæreticis sentimus ? Imò eis contradicimus. Aliquam enim esse posse justam alieni peccati imputationem credimus, & docemus; ipsiusque primi Adæ peccati imputationem admittimus consequentem seu mediatam. Adde quod non in ea sententia, sed in dogmate, quod inde probare satagebant, absurdissimo eorum sita erat hæresis. Itaque quos duos testes laudat D. G. Origenem hom. 8. in Exod. & Hieronymum Comm. in Ezech. xviii. 1. 2. eos ambos laudat contra se. Cùm enim Origenes protulisset illa verba, quæ D. G. recitat. *Videamus quomodo reddi dicantur peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. In hoc enim sermone solent nos hæretici suggillare, quòd non sit boni Dei sermo, qui pro peccatis alterius alterum plecti dicat.* Respondet-ne, id quod D. G. respondisset, hoc minimè esse injustum ? Imò cùm injustum id putaret, minimèque Deum decere, confugit ad sensum metaphoricum, & per parentes intelligi voluit Diabolum & angelos eius, per filios ac primam generationem eos quos Diabolus immediatè seducit, per secundam eos qui ab his proximè seducuntur, per tertiam & quartam eos quos hi vel socios, vel ministros peccati sibi adjungunt. Hos autem homines filios diaboli corripit & puniri in hoc seculo, vt seruentur: diabolorum verò, qui sunt eorum parentes, supplicium differri in futurum seculum. Ad Hieronymum autem quod attinet, eius quidem ea sunt verba, quæ D. G. laudat. Sed quomodo nodum illum soluit ? quomodo verba Decalogi, *qui reddo peccata patrum super filios &c.* interpretatur ? Num ea, sicut D. G. de imputatione immediata accipit ? Nullo modo. *Scandalum*, inquit ibi-

dem, patiebamur occultum, quod injustitia videretur Dei, alium peccare, & alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrum super filios in tertiam & quartam generationem, injustum videtur ut alius peccet & alius puniatur. Sed ex eo quod sequitur: His qui me oderunt, comminationis sine præcepti scandalum soluitur. Non enim ideò puniuntur in tertia & in quarta generatione: quia deliquerunt patres eorum: cum patres potius qui fuerunt peccatores, puniri debuerint: sed quia patrum extiterunt emulatores & oderunt Deum, hereditario malo & impietate in ramos quoque de radice crescente. Quid potuit dici nostræ sententiæ accommodatius? Habet idem Hieronymus paulò post hæc verba. Scriptum est in Proverbiis: Sicut una acerba dentibus noxia est: & fumus oculis: sic iniquitas his qui vivuntur ea. Ex quo perspicuum est non aliorum dolere dentes & obstupere, sed eorum qui unam acerbam comederint. Est autem loci istius hic sensus: Quomodo si quis velit dicere: Patres unam acerbam comederunt, & dentes filiorum obstupuerunt: ridiculum est, & nullam habens consequentiam: sic iniquum est atque peruersum peccare patres, & filios nepotesque cruciari. Quid contra imputationem antecedentem dici potuit difertius?

His ergo missis sibi non fauentibus accedit D. G. ad Pelagianos, & miratur Aegidij Hunnij àiscopiar, pertendentis hanc fuisse Pelagianorum sententiã, Adami peccatum posteris imputari. Miratur etiam hallucinatum in eadem re virum doctum (Placeum designat) ita de hoc negotio in priuatã quãdam Epistolã loquentem. Qui primi immediatam (nota immediatam: hanc enim solam, minimè verò mediatam, Placeus constanter improbauit.) imputationem peccati Adæ commenti sunt,

ij Pelagiani fuerunt , qui hac ratione conati sunt anathematatum aduersus Pelagium vibratorum impetum declinare. Negarunt enim corruptionem hereditariam , id est , originale peccatum : & ad præsfringendos Ecclesie oculos , hoc nomine donauerunt reatum imputati primi Adæ peccati. Hoc D. G. falsum esse clamat. Fatetur tamen eos qui totam rationem peccati originalis solâ imputatione peccati Adæ definierunt , Pelagianis accensendos esse : sed accensendos , non quia imputationem posuerint , sed quia corruptionem negauerint , &c. Id quod Ægidij Hunnij & Placei sententiam confirmat potius quàm euertit. Non enim dogma de imputatione primi peccati immediata ipsi Pelagio aut omnibus Pelagianis ascripserunt : Sed illis duntaxat , qui cum essent reuera Pelagiani , voluerunt non Pelagiani videri : quam ad rem inutile fuisset dogma de imputato Adæ peccato , si id Pelagius aperte protulisset. Cum enim viderent , qui negarent peccatum originale pro hæreticis haberi , professi sunt se peccatum originale credere : sed hoc nomine non peccatum propagatum , vt reliqui omnes orthodoxi , sed peccatum actuale Adami omnibus imputatum intelligebant. Certè illi ipsi , qui aduersus Placeum imputationem immediatam vrgent , imprudentes quidem , sed tamen euitare non possunt , quin pelagianis accedant ; vti jam in ipso D. Garissolio aliquoties obseruaui. Posito enim peccato propagato seu inherente , quod verè peccatum sit , ac nobis damnandis sufficiat , quid opus est alio peccato nobis imputato ? posita imputatione primi Adæ peccati actualis mediata , quid opus est immediata ? & quomodo potest immediata ex Scripturâ probari ?

Hic D. Garissolius multis verbis, ac prolatis aliquot testibus, confirmat Pelagium nullam imputationem Adamici peccati credidisse. Quorsum? nescio. Quis enim negat? An propterea Placeus paria facit cum Pelagio? Nonne Placei sententia Pelagianæ contradicit apertissimè? Pelagius omnem imputationem peccati Adæ damnabat, Placeus non omnem, sed immediatam duntaxat. Ille nullam imputationem peccati Adæ justam esse putabat, Placeus nonnullam esse arbitratur justam, nempe mediatam. Ille peccatum originale negabat, Placeus contrà peccatum originale confitetur & probat. Qui tantopere opponuntur, quomodo paria facere dicuntur? At negat Pelagius imputationem immediatam, quam etiam Placeus negat. At, inquam, in ea negatione nunquam sita fuit hæresis Pelagiana. Non quicquid aut negavit, aut affirmavit Pelagius, continuò hæreticum est. Percurramne illa omnia quæ D. Garissolius Pelagianis tribuit § VI? *Illi, inquit, 1. Iustitiam originalem deperditam fuisse negabant.* Placeus contrà deperditam fuisse affirmat. *Imò iustitiam nullam originalem agnoscebant.* Placeus iustitiam originalem agnoscit. *Sentiebant nos ut sine virtute sic sine vitio nasci.* Sentit Placeus nos penitissimè imbutos vitio nasci. *Itaque infantes in illo statu esse in quo fuerat Adam ante prævaricationem.* Itaque infantes non esse in eo statu in quo fuerat Adam ante prævaricationem, sed in multò deteriore. *2. Naturæ humanæ aliquam ab origine corruptionem inesse negabant.* Placeus contrà affirmat. *3. Necessitatem moriendi non habebant pro pœna peccati, sed pro sequela & conditione naturæ.* Docebant enim Adamum *sive peccasset, sive non peccasset, moriturum.* Pla-

Deus habet necessitatem moriendi pro necessitate subeundi poenam, non autem pro sequela & conditione naturæ. Docet enim Adamum, si non peccasset, non fuisse moriturum. *4. pœnis aternis infantes ullos damnari negabant, eas quippe non aliunde quàm ex propria uniuscujusque injustitia prouenire.* Placeus id non negat, quippe qui sciat pœnas aternas etiam ex innata injustitia prouenire. Denique *nullam omnino pœnam propter Adæ peccatum posteris irrogari putauerunt.* Placeus contra aliquam pœnam propter Adæ peccatum posteris irrogari putat, nempe mortem. Itaque imputationem agnoscit immediatam peccati Adæ habitualis propagati ac intra nos existentis, & mediatam peccati Adæ actualis extra nos olim producti. Vides igitur, Lector, Placeum nullo modo esse Pelagianum: Quorsum ergo D. G. hoc loco patientia lectoris ad id probandum quod nemo negat, Pelagium negasse imputationem peccati Adami, abutitur, ejusque errores enumerat, quasi illorum Placeus esset particeps?

Interim quia obiter laudat ex Augustini opere imperfecto contra secundam Iuliani responsionem Lutetiæ edito anno hujus sæculi decimo septimo, locum, *Qui, inquit, vel solus, si alius non extaret apud Augustinum, satis docet quid de hac imputatione & ipse & Ecclesia Catholica senserit*, eum locum inspiciamus: Augustinus enim, si sibi constat, totus noster est. *Quid est ergo quod clamas & dicis non posse Deum & dimittere peccata majoribus propter propria, & imputare paruulis aliena.* (Videtur & delenda vox *propter* inutilis eo loco & incommoda, & sententia alio quodam mendo laborare. Non dicebat enim Iulianus Deum non posse

majoribus, hoc est, adultis propria dimittere peccata; sed dicebat non decere Deum, qui dimittit peccata majoribus propria, imputare paruulis aliena) *Nec vis attendere quod non nisi in Christo renatis, utraque; non renatis autem in Christo neutra dimittantur. ipsa sunt enim Christiana & gratiæ sacramenta abscondita sapientibus & prudentibus & reuelata paruulis. In quibus, o si esses, nec quasi magnus in tua virtute consideres profecto intelligeres, sic imputari generatis paruulis iniustitiam primi hominis ad subeundum supplicium, quemadmodum imputatur paruulis regeneratis iustitia secundi hominis ad obtinendum regnum cælorum. Nobis hic locus minimè nocet. Imputationem enim intelligit, quæ generationem, atque adeò ingentiam corruptionem sequitur; cùm imputatio, quam negamus, ut corruptionem sic generationem antecedere putetur; causa enim creditur esse, cur gignamur corrupti. Adde quod nihil prohibet per iniustitiam primi hominis, iniustitiam intelligere habitualement, quam ad paruulos primus homo per generationem transmisit. Certè enim cùm Augustino obijceretur à Pelagianis, *Quis fieri possit, ut Deus, qui pro sua bonitate nostra ipsorum peccata remittit, velit imputare aliena?* Respondit, teste Martyre, *Deum summè bonum esse, neque, quod isti assument, in culpa originis imputare nobis alienum peccatum, sed nostram ipsorum iniquitatem, quæ nostræ naturæ adhaeret iam inde ab ipsa origine.* Addam aliud eiusdem Martyris de Augustino testimonium. *Augustinus, in Enchiridio ad Laurentium capite 46. probabile ait esse, peccata etiam proximorum parentum communicari cum filijs. Ad quod probandum componit inter se duo loca Scripturarum à nobis antè tractata: Quod Deus ait, se velle persequi peccata pa-**

trum in filios in tertiam, & quartam generationem : quum alio loco dicat, Filium non portaturum iniquitatem patris. Si filius, inquit, non portat iniquitatem patris, sed suam, & tamen Deus persequitur in eo peccatum patris, oportet, ut filius ipse peccatum illud in se habeat : Alioqui hæc loca inter se non conuenirent. Num hæc dixisset Augustinus, si peccati paterni imputationem antecedentem seu immediatam credidisset, qua scilicet filius fit peccator & reus, alioqui non peccator, nec reus ?

De Socinianis, cum nihil differant à Pelagianis, quid opus est dicere ? Ad Arminianos autem quod spectat, ab eorum etiam erroribus, Dei beneficio, abhorret Placeus. Qui autem pro Clariss. Molineo Respondit Coruino doctissimus VValæus, is non dubitauit imputationem immediatam disertis verbis negare, uti à nobis obseruatum est supra, pag. 22. nec propterea partibus Remonstrantium fauere existimatur. Atque hæc fuerunt argumenta D. Garissolij.

C A P V T X I I.

Imputationem antecedentem seu immediatam non esse probatam argumentis Dom. Daubuz.

VN A cum libro D. Garissolij prodijt ad eum Epistola & carmen propempicicum Caroli Daubuz V. D. in Ecclesia Neracensi Ministri, quibus vehementer eum laudat, & in Placeum inuehitur. Afferit autem pro imputatione peccati Adamici argumenta eadem, sed verbis paulò diuersis. Orditur autem à fœdere inito cum Adamo, idque supponit non pro-

bat : Aitque nos cum Adamo fuisse ; & ut cum eo, ac per eum agentes & consentientes , pari pœna plectendos. At, amabo te , quomodo cum Adamo fuimus , qui tunc nulli fuimus ? Prius enim est nos esse, quàm esse cum alio. Quomodo cum eo egimus ? Non enim agit nisi qui est, & quidem persona vel suppositum : actiones enim sunt suppositorum. Quomodo cum eo & per eum consensimus ? Est enim consensus nostra voluntatis nostræ , quatenus ab Adamo differimus , actio. Quod si hanc consensionem nihil aliud vult esse quàm corruptionem hæreditariam nobis ingenitam, ex ea nihil conficietur præter imputationem mediatam, quam Placeus probat. Addit pro ratione , *Quandoquidem ex Iurisconsultorum placitis , qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.* At, inquam, id erat non supponendum sed probandum, Nos per Adamum id fecisse, quod fecit Adamus. Auscultavitne voci vxoris suæ loco nostro ? nos ne illi fuimus autores vt peccaret ? aut peccavitne vt minister noster , nos vt causæ principales ?

Sed his missis argumentatur ex Scriptura, & primò ex verbis εἶπ' ὁ πᾶντες ἡμᾶστον. *Peccauimus*, inquit, *in Adamo*, Ergo illius peccati participes, rei; ergo imputabile iure, & imputatum delictum illud. Primùm esto, imputetur, modò id fieri intelligatur mediante corruptione, quid hoc contra nos ? Deinde, nego verba εἶπ' ὁ ᾧ verti debere *in quo*. Id probare conatur autoritate eorum qui sic verterunt, quibus nominatis concludit, *Hinc patere, quàm precipitanter, aut quàm oscitanter non nemo scripserit, nec εἶπ' ὁ ᾧ verti debere in quo, sed eò quòd.* Quæ accusatio vna cum Placeo eos omnes petit, qui maluerunt *eo quòd, vel quatenus, vel quoniam, &c,* quàm

in quo, vertere : qui haud dubiè, si putassent verti debere *in quo*, versionem illam retinuissem; si non putassent verti debere *è quòd &c.*, non *è quòd* vertissent. Cæterùm & nobis respōdentibus satis est posse verti *è quòd &c.*, & sic debere reddi probatum est supra pag. 70. & seqq. Denique, vt dicamur peccasse in Adamo satis est, si peccatum Adami causa fuerit peccati nostri, sicut eius esse nostri esse causa fuit.

Demus tamen, inquit Vir doctus, *illud gratis, an eius loci vim penitus infringunt? Nequaquam certè* : nam *illud τὸ* peccarunt *in infantibus verissimum*, peccatum quoddam actuale designat euidenter. Hoc nego, negaruntque ante me plurimi viri maximi, inter quos Caluinus & Martyr : ac, si me decet recriminari, de peccato actuale illud peccarunt exponebant Pelagiani. *At quòd quæso peccatum peccauerit infans in matris utero latens, in cunis vagiens?* Peccauit certè non actu sed habitu, non peccatum actuale sed originale. *Originale quidem*, inquit, *habet, sed τὰ ἐν πικῶς potius & subjectiuè, quàm ἐν ἐργῶν πικῶς*. Nimirum non est actio sed qualitas potius : sese enim habet ad modum habitus. An propterea minùs verè peccatum est, nos reatu, nisi condonetur, obstringens? Ergo, addit, *quòd morimur à teneris annis, ab ipsis unguiculis* : imò *quòd vix nati denascimur, idcò fit (& fatemur) quia peccauimus; at peccare nisi in Adamo tunc non potuimus*. Quid est negare vitium originale esse verè peccatum toti generi humano damnando (vt habet art. xi. Confessionis Fidei) sufficiens, si hoc non est? Causam profectò Pighij vir hic doctus agit imprudens. Quid enim? Annon ab ipso utero materno peccatores in nobis ipsis sumus? inhærente peccato inuoluti ac contaminati? incre-

dulitate, malitia, &c, penitus imbuti, ac propterea iustificationis & regenerationis gratia egentes? Si fateris, quomodo negas nos peccasse, nos esse peccatores in nobis ipsis? Si negas, iisdem tecum argumentis agere necesse erit, quibus olim aduersus Pelagium, & superiore seculo aduersus Pighium disputatum est. Quod tamen subjungit, *Illam mortem culpam actualem mediatè sultem præsупponere*, ambiguum est. Si culpam actualem habituali opponit, quid inde sequi potest, nisi culpam actualem Adami mediatè nobis imputari? id quod damus libenter. Sin culpam actualem opponit potentiali, etiam peccatum originale culpa actualis dici potest: est enim in nobis non potestate sed actu, eiusque reatus eo sensu non minùs actualis dici potest quàm reatus peccati actualis. Affirmanti igitur D. Daubuz, nec probanti oppono Theodoretum, *Ad omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauerunt: Non enim propter primi parentis peccatum: sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit*. Oppono etiam Augustinum, *Propter hoc ergo vitium, sicut in eo libro cui resistis, à me scriptum est, humana natura damnatur, & propter quod damnatur, damnabili diabolo subjugatur, quia & ipse diabolus spiritus immundus est*.

Lib. vi.
contra
Iulium
Pelag.
cap. ix.

Vt tam debili argumento colorem aliquem conciliet obuiam it cuidam responsioni Placei. *In eo, inquit, quod addunt illi, quibus ab aduersis partibus hic stare placuit, & fallendo falluntur, & ne hilum quidem proficiunt. Non est, inquit, cur in Adamo aliter peccasse, quam fuisse aut mori dicamur. O nodum ἀδιάλυτον! Atqui in Adamo fuimus dupliciter ἠδυνῶς & οὐκ ἠδυνῶς, scilicet representatiuè & naturaliter; & tota quidem natura humana, qua*
citra

citra dubium fuit in Adamo (ut ait Thom. in cap. 5. ad Rom. Lect. 3. circa finem; Nos fuimus in Adamo secundum corpulentam substantiam & secundum seminalem rationem) & per personam peccavit in Adamo, rea fuit & culpæ tunc commissæ, & pœna futura. Primum non argumentatur Placeus, sed respondet. Est-ne igitur illud quod respondet verum, an falsum? Si verum, non *fallendo fallitur*. Si falsum, falsitas ostendenda fuit. Id quod à viro docto non fit. Latebat autem in responsione illa Placei duplex argumentum, vnum ab existentia, alterum à morte. Illud sic potest concipi; Non aliter in Adamo peccasse quàm fuisse dicimur. Atqui in Adamo non dicimur fuisse *imputatiuè*; eius enim esse nobis non imputatur: sed tantum eius esse in nos est propagatum. Ergo nec peccasse dicendi sumus in Adamo *imputatiuè*, sed reali peccati eius per propagationem naturalem communicatione. Item sic; Non aliter in Adamo peccauimus quàm fuimus. Atqui non fuimus in Adamo proximè seu immediatè, sed mediantibus parentibus nostris intermediis ab eo propagatis. Ergo non peccauimus in Adamo proximè seu immediatè, sed mediantibus parentum nostrorum ab eo propagatis originalibus vitiis. Argumentum verò ductum à morte, sic potest formari. Non aliter in Adamo peccauisse quàm mori dicimur. Sed morimur in Adamo, non imputata nobis Adami morte, sed morte reapse in nos propagata. Ergo peccauimus in Adamo, non imputato eius peccato, sed peccato reapse in nos propagato. Probat-ne, aut respondet aliquid Vir doctus, quod huiusmodi argumenta destruat, aut aliquomodo infirmet? Nihil prorsus. Negat-ne an fatetur, nos non aliter

in Adamo peccasse, quàm fuisse, aut mori dicimur? Nescio. Tantùm ait nos fuisse in Adamo *dupliciter, representatiuè & naturaliter*. Aitne ergo, an negat esse Adami nobis imputari? Saltem explicasset quid sibi voluit illa distinctione; & an similiter peccauerimus in Adamo repræsentatiuè & naturaliter, ac itidem in eo dupliciter mortui simus! Probatne igitur duplicem illum modum? Nequaquam. Tantùm Reformatus apud Reformatum agens pro testimonio Scripturæ, pro ratione, Thomam Aquinatem laudat dicentem, *Nos fuisse in Adamo secundum corpulentam substantiam & secundum feminalem rationem*. Hoccine est esse in Adamo dupliciter, repræsentatiuè scilicet & naturaliter? Et, an similiter peccauimus in Adamo? Illustrat tamen hoc similitudine, *Et si quondam verè dixit ille, in vno Cæsare plures inesse Marios, quàm verius nobis dicere licet, in vno Adamo peccante plures, imò omnes (excepto Christo $\text{\textcircled{\scriptsize \text{δευδρῶπῳ}}$) fuisse Adamos*. Quid potuit afferri minùs appositum? Num inde potuit colligi, aliquam Cæsaris actionem pluribus Marijs imputandam fuisse? Num fuerunt plures Marij repræsentatiuè & naturaliter, vel secundum corpulentam substantiam & feminalem rationem, in Cæsare? Non miseret te mei, Lector prudentissime, cui cum talibus disputatoribus tanti momenti negotium est?

Porro, inquit, adeant illi Docti viri, qui nonnisi nimiam subtilitatis & scientiæ opinione nunc errant. Erremusne, necne, tuum esto, quisquis hæc legis, iudicium. Nobisne insit nimia subtilitatis & scientiæ opinio, is nouit qui corda scrutatur: Nos certè, quantum possumus, abiecta eiusmodi opinione, ab eo vno pendemus. Sed pergat. *Adeant, inquam, consulant tribunalia iudi-*

um, subsellia Iuriconsultorum. Annon actores publici, legati, tabelliones, & eiusmodi homines, qui pro alijs stant, eos etiam absentes referant, ceu presentes sistant, representent, ut hoc, etsi ambiguo, nunc utar verbo. Et quanto magis in hoc fœdere dicitur *omnes*, pater, stirps, caput, actor totius generis humani, posteros omnes in publico & communi pacto representauerit? Egregia consequentia! scilicet Adamus erat legatus noster, aut tabellio noster! Erat saltem pater, stirps, caput nostrum, nimirum postquam nos genuit: antequam enim inciperet gignere profectò pater non fuit. Decet ergo nos potius adire oracula diuina clamantia, neque patrem filij, neque filium patris iniquitatem laturum.

Ad fœdus quod spectat, qualenam intelligit? Gratia? Legale? Non arbitror. Naturæ? Id quale intelligitur velim mihi exponi. Videdò enim duplicem latam fuisse Adamo legem: Vnam per signa naturaliter significantia, Alteram per signa ex instituto significantia; illam naturæ insitam, hanc verbo reuelatam. Sub illa fuit Adamus, quatenus homo ac mundi incola; sub hac verò, quatenus incola paradisi. Vtra fœdus illud fuit? Non ista, ut opinor. His enim verbis concepta fuit, *De omni arbore horti comedendo comedes. De arbore verò scientiæ boni & mali non comedes ex ea: Nam quocunque die comederis ex ea moriendo morieris.* Quæ lex nec fœderis præ se fert naturam, & tunc lata est Adamo, cum defectu vxoris (quæ supernaturaliter creanda erat) pater esse non posset. Dices illam legem toti generi humano latam fuisse. Omnino lata fuit toti generi humano quod tunc extabat: at non ei, quod neque erat, neque paradisi vnquam incola fuit. Fuerit tamen lata toti generi humano,

num illius prima violatio actualis profecta ab vno homine, omnibus illius hominis posteris, à quibus violata non est, imputari debuit? Nonne lex Mosai- ca toti populo Israëlitico lata fuit? Et tamen prima illius legis violatio non est omnibus posteris eorum, quibus primùm lata est, imputata. Nonne foedus di- uinitus cum Abrahamo percussum fuit? Idque pro se & semine suo Abrahamus accepit? Num ergo Abra- hami actio vel vna, vel plures, omnibus eius posteris imputatur? Estne quicquam in illa lege, vnde eius- modi imputatio elici possit? Non est ergo lex illa tale foedus, quod talem imputationem importet. Sed neque etiam huiusmodi foedus est lex seu foedus quod vulgò naturæ appellatur. Sub ea quidem nas- cuntur omnes homines: Sed in ea nihil potest depre- hendi, vnde primi Adæ peccati actualis antecedens seu immediata imputatio colligi possit. Non magis enim pertinent ad omnes homines eius comminatio- nes quàm mandata: Nec minùs tenentur posterì Ada- mi pro se quisque eam obseruare, quàm tenebatur olim Adamus. Sed fortasse diutiùs, quàm par est, in nudis assertionibus, ac, vt loquuntur principij peti- tionibus refellendis immoror.

Transit ille Vir doctus ad vers. xix. Exeoque sic argumentatur. *Constituti sumus peccatores per inobedien- tiam Adami; Ergo nobis imputata fuit.* Mediante cor- ruptione hereditaria, Concedo: Immediatè, Nego. Videtur probare velle consequentiam. *Nam qui qua- so,* inquit, *illa πρεβασις, illa ἑδραίων, illud πρεβασίωμα, nos po- tuit reos constituere, κρίμα, κατὰ κρίμα Rom. vers. 18. (quod quidem est actus iudiciarius, iustitiæ Dei effectum, & esse- ctum, damnatio, condemnatio) in nos inducere citra pecca-*

rum actuale, vel proprium, vel imputatum? Apage hoc delirium. Facilis est responsio. Potest nos reos constituere, ut loquitur Chamierus, *causaliter, producto & propagato in nos peccato originali.* Neque id est delirium; sed constans Ecclesiæ doctrina, quam veram esse Scriptura & experientia contestantur. *Quomodo, subjungit, constitui peccatores, scilicet actu, sine peccato? Quod cum non possit esse originale, quippe quod tantum adhuc habituale, præsertim in recens conceptis aut natis, superest ut sit quoddam actuale peccatum.* Respondeo, constitui peccatores non sine peccato: nam peccatum originale est verè peccatum. At non est actu. Imò est actu peccatum habituale: actu inhæret infantibus: actu nos facit reos iræ diuinæ. Hoc si negas, à Pighij opinione vix distas.

Suggillat etiam nostram responsionem, *In re sitam esse similitudinem oppositionis, non in rei modo;* ac dicit nos *Socini potius quàm Caluini partes tueri:* cum tamen ipse reuera discedat à Caluino, cui nos arctè adhæremus. Quomodo autem illam responsionem, quam supra & autoritate & ratione comprobauimus, refutat? petit, *cur ergo nostrates iustificationis nostræ modum, nempe per imputationem iustitiæ Christi hinc eliciunt?* Hæc est scilicet egregia refutandi ratio! Quinam verò sunt illi nostrates qui id hinc eliciunt? Calvinus? Martyr? Bucerus? Bullingerus &c? Nequaquam certè; sed recentiores, ab eorum vestigiis ea in re deflectentes. At, inquit, *non vident quantum communem causam ledant, qui hoc sibi inuictum argumentum non solum eripi patiuntur, sed & nobis, ut aduersæ causæ faueant, quantum in eis situm est, eripiunt. Et si cur hunc locum ita luxent, anquiramus; id in gratiam Pelagianorum, Armi-*

nianorum, Socinianorum, Anabaptistarum fieri certò comperiemus. Imò verò videmus quantum causam communem lædant, qui benè argumentari, vel nesciunt vel nolunt, argumentaque nullius roboris pro inuitis obtrudunt, & interim fratres suos calumniis obruunt. Hoc certè & videmus & dolemus. Cætera prætermitto, nudas sine ratione affirmationes: illud tantùm subiungam, quod & speciem aliquam præ se fert argumenti, & quàm à publica fidei nostræ Confessione recedant & ad Pighianismum accedant illi qui nos accusant, prodit. *Si peccatum, inquit, primi parentis non imputatur, quid opus imputatione meritorum Christi?* Si vel peccatum originale intelligeret, vel imputationem mediatam, nihil diceret causæ, quam agimus repugnans, diceret tantùm aliquid falsum, & Theologo indignum, ne dicam Christiano. Opus enim nobis est imputatione iustitiæ Christi, vt etiam ab aliis peccatis nostris, quæ nimium multa sunt, iustificemur: Sed cùm peccatum actuale Adami intelligat, illiusque imputationem immediatam, quis non videt ab eo peccati originalis reatum negari? Idque peccatum, quantum ad condemnationem vel justificationem attinet, pro nullo haberi? *Sufficit, addit, sanctificatio quæ tollat illum morbum.* Est-ne igitur, inquam, ita morbus vt non sit peccatum? vt non damnet? Confer quæso cum huiusmodi hominum doctrina articulum xi. Confessionis fidei; *Credimus hoc vitium esse verè peccatum, quod omnes & singulos homines, ne paruulis quidem exceptis adhuc in utero matrum delitescentibus, aternæ mortis reos coram Deo peragit. Affirmamus quoque hoc vitium, etiam post baptismum esse verè peccatum, quod ad culpam attinet, quamvis*

qui filij Dei sunt, minime idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia illud ipsis non imputat. Dicimus præterea hanc perversitatem semper edere fructus aliquos malitiæ & rebellionis, &c. Vides hoc vitium esse verè peccatum, omnes homines æternæ mortis reos coram Deo peragere, nisi condonetur, imputari, & negabis nobis opus esse imputatione meritorum Christi vt justificemur ab hoc vitio? Ita qui nobis in hac causa aduersantur ejus culpæ rei sunt, cujus nos falsò accusant: discedunt enim à recepta doctrina. Quod ergo addit, & sic tota illa nostræ justificationis evangelicæ doctrina, quàm eximia, quàm admiranda! ex horum vitiis aut corruet tota, aut saltem inutilis reddetur; cernis, vt opinor, Lector, quàm falsum & calumniosum sit.

Idem accidit Clarissimo viro D. Steph. Blanco, cujus Disputatio Theologica de animæ humanæ origine, & modo quo propagatur peccatum originale prodiit in lucem eodem anno 1648. Is enim Th. XLII. sic disputat. *Omnes peccauerunt peccato scilicet illo, quod per vnum hominem introiit in mundum; at non peccauerunt peccato illo in sua persona, quia non extiterunt. Ergo peccauerunt in Adamo, quippe in quo mortui sunt 1. Cor. 15. 22.* Quanquam enim admitti posset conclusio, si rectè intelligeretur; tamen minor propositio nihil aliud esse videtur, quàm eius negatio, quod articulo illo XI. ab Ecclesiis nostris asseritur. Negat enim vitium illud esse peccatum quod per vnum hominem in mundum, id est, in omnes homines introiit, quod tamen vitium in illo articulo & verè peccatum esse, & omnes & singulos homines reos mortis æternæ coram Deo peragere dicitur; quod efficere non posset, nisi

in omnes & singulos homines introiisset. Quod etiam subjungit, *quippe in quo mortui sunt*, confirmat nostram sententiam: non enim cum in Adamo mori omnes dicuntur, mors ipsius Adami intelligitur, vna numero, omnibus imputata; sed mors secundum hominum numerum multiplicata, ac sua cuiq; propria.

Addit, & *mortui vnus illius hominis offensam Rom. 5. 15. unde*, inquit, *promptum est colligere, illam offensam fuisse omnium offensam, puta imputatione: repugnat enim justitiæ diuinæ vt quis alienæ pœnæ sit particeps, & non sit vlllo modo particeps culpæ.* Si quis similiter diceret, nos fuisse productos vnus illius hominis operatione vel virtute, num inde sequeretur, illam operationem vel virtutem fuisse omnium communem imputatione? Si repugnat justitiæ diuinæ, vt quis alienæ pœnæ sit particeps, & non sit vlllo modo particeps culpæ, certè eidem etiam justitiæ repugnat, vt fiat particeps culpæ iudicis imputatione, is, qui alioqui non esset culpæ particeps. Si iudex facit injustè ei pœnam irrogans, qui nullo modo est particeps culpæ, quanto major erit injustitia, si non modò pœnam irroget, sed eum faciat etiam sua actione & iudicialia imputatione participem culpæ, atque adeò peccatorem & reum, alioqui non peccatorem nec reum? Miror hoc à viris piis & doctis non considerari. Quis enim innocens puniri justè non poterit, si facit imputatio commune esse peccatum quod alioqui non fuisset commune, & esse verè peccatorem & reum, qui alioqui peccator non fuisset?

Tandem, ait vir doctus, vox illa ἡμῶν in loco Paulino non significat habitum peccati, seu habitualement corruptio-
rem, que ipsas etiam infantibus inest, sed actum peccandi,
cumque

cúmque præteritum, quo non potest intelligi aliud præter primum Adami peccatum. Hoc verò est Caluino & aliis viris maximis, quos sequimur, contradicere, illud peccauerunt de vitio originali exponentibus. Affert tamèn rationes, *Quia* i. inquit, loquitur Paulus de peccato quod introiit in mundum. i. in omnes homines, per Adamum, quem vocat unum hominem. Supponit vitium originale, aut non esse peccatum, aut non introiisse in omnes homines per vnum illum hominem naturaliter procreatos. ii. quia, hoc peccato inuoluuntur etiam infantes: sunt enim in censu hominum, & ex eorum numero, in quos mors transit, nec moriuntur propter aliud peccatum actuale quàm imputatum, quia aliud actuale in eos non cadit: actuale autem imputatum non est aliud præter primum Adami peccatum. Non moriuntur quidem infantes propter aliud peccatum actuale quàm primum illud Adami: sed cur non moriuntur proximè propter vitium illud habituale, quod omnes & singulos homines reos mortis æternæ coram Deo peragit? Hoc est quod jam non semel obseruavi, non posse imputationem immediatam primi Adæ peccati actualis astrui, nisi negato habitualis vitij reatu. iii. inquit, cum Paulus dicit vers. 17. mortem regnasse per vnã offensã & vers. 19. multos esse constitutos peccatores vnus hominis inobedienciã; verba ista vnã offensa, & vnus hominis inobediencia, non possunt aliud respicere quàm ipsam factum Adami. i. diuini mandati violationem. Etto, quid tum postea? Num inde sequitur; verbum ἡμῶντος non significare habitum peccati? aut primum Adami peccatum actuale nobis imputari immediatè, seu priùs quàm nascamur corrupti? Mors regnat per vnã offensã ita secundum habitum

propagatam in omnes, vt in omnibus regnet mors, quia regnat peccatum. Vnius hominis inobedientia secundum habitum propagatâ & multiplicatâ multi sunt constituti peccatores. Cur proximam mortis nostræ causam in alio quærimus, cum se prodat ipsa in nobis, in corpore nostro, ac membris nostris, inhærens nempe illud peccatum, quod nisi crucifigatur gratia Christi, tam impotenter in nobis regnat?

Subjungit th. XLIII. *Mortem illam, que per unum hominem in omnes homines pertransiit &c, includere sue significationis ambitu mortem spiritualem, seu animæ, que nihil aliud est, quàm priuatio iustitiæ originalis cum positione contrariæ corruptionis habitualis &c*: Hoc qua facilitate affirmatur, eâdem negari potest; itaque probandum erat: quod vir doctus ne conatur quidem. De sola corporis & æterna morte Confessio Heluetica, omnesque melioris notæ interpretes mortem illam accipiunt, esseque accipiendam probabitur alio loco. Quod subjicit, sine imputatione inobedienciæ Adami *deriuationem habitualis nature humane corruptionis non posse esse justam*, id quomodo verum esse possit considerare oportet. Deriuatio enim illa, cum sit aliud nihil quàm contagium peccati & propagatio iniustitiæ, ipsa per se iusta non est, nec esse potest. Non enim iustum est propagare & multiplicare iniustitiam. Sed illius deriuationis permissio seu non impeditio diuina iusta est, nihilque habet iustitiæ repugnans. Quam adjungit rationem, *Quâ enim iustitiâ & æquitate sustineremus omnes illius peccati pœnam, nempe mortem spiritualem, si peccatum illud nobis non imputatur?* Ea primùm supponit, id quod inter nos controuertitur, vitium originale nobis à Deo infligi, & esse pœnam propriè dictam. Deinde imputatio pec-

cati alieni, qua nostrum fiat, non tollit injustitiam, sed auget potius: quasi Deus æquissimus & sanctissimus omnibus hominibus primùm imputaret alienum peccatum, quò eos faceret imputatiuè peccatores & reos, deinde vt illud imputatum puniret eos faceret inhærenter peccatores. Ita vnum tantùm hominem Diabolus tentatione sua fecisset peccatorem, Deus sua actione, id est, imputatione, fecisset omnes homines peccatores & perditos. Quomodo fieri potest, vt pia conscientia tale dogma non detestetur?

Nihil ampliùs argumenti apud hunc autorem reperio, quod non sit jam satis refutatum, vt nihil opus sit inani repetitione fastidio esse Lectori. Tantùm, quod penè præterieram, illud sine aliqua censura dimittendum non videtur, quod ait Th. xli. *Palam est, quicquid delinquit aliquis vt caput alicuius societatis, aut multitudinis, illud iuste toti communitati imputari.* Nam si id verum est, malè omnino agebatur cum Romanis, cùm eorum caput esset Nero aut Caligula: quippe quibus omnibus & singulis iustè imputari poterat quicquid scelerati illi imperatores delinquebant: ita nullus erat in toto imperio Romano, qui non esset parricida, siquidem parricidium à capite commissum omnibus Romanis iustè imputabatur.

C A P V T X I V.

Nullam extare in Manuscriptis libellis rationem quæ peccati Adamici imputationem immediatam seu antecedentem probare possit.

DE Argumentis typis excusis, quæ mihi legere contigit, dictum est, vt ego arbitror, satis. Manuscripta

vidi complura: Sed in quibus nihil fere animaduerti, quod non legatur in scriptis Typographorum operâ publicatis; si primum illud excipias, cui Placeus manuscripto illo respondit, quod D. Garissolius posterius appellauit, & in quo refellendo magnam partem libri sui consumpsit. Quare nihil mihi videtur consultius, quàm vt manuscriptum illud Placei tibi, Lector, exhibeam (Cur enim in illis argumentis vel proponendis, vel refutandis operam meam ponerem, cum id jam fuerit ab ipso Placeo præstitum?) ac, quando id refutare voluit D. Garissolius, ejusque passim frustula & lacinias transcripsit in suum librum, &, quantum potuit, confutauit, subjiciam singulis illis particulis viri illius reprehensiones, hisque ipsis Placei defensiones. Ita poteris, Lector æquissime, admodum facile, & citra errandi aleam, de tota hac causa cognoscere, & judicium ferre. id quod alioqui difficile, ne dicam impossibile, foret. Vix enim quamente, quo sensu quidque dictum fuerit, benè perspicere potest, cum laceræ tantum, & suis locis reuulsæ, ac veluti luxatæ & dissipatæ partes sermonis legenti offeruntur. Neque est quòd quisquam propterea offendatur. Si quid enim in eo scripto reprehensione dignum est, id in iis potissimum partibus habere locum putandum est, quæ jam sunt à D. Garissolio vulgatæ. Non eo quidem consilio à Placeo compositum fuerat vt ederetur, & ex nimia festinatione irrepsere fortasse nonnulla, si per otium licuisset auctori, emendanda atque expolienda: tamen ne vocolam quidem tollere, addere, aut mutare volumus, ne quis de nostra fide vel sinceritate conqueri posset. Qualecunque est, Tu æquissime Lector, illud æqui bonique consules, quodque ejus integri legendi, totiusque istius controuersiæ dijudicandæ copiam tibi facimus, aut habebis nobis gratiam, aut saltem non iniquo animo feres.



MANUSCRIPTVM

POSTERIVS, HOC EST,

EXAMEN

Traëctatus singularis, De peccato originis, In quo demonstratur primum primi hominis peccatum omnibus hominibus imputari, oppositi Thesibus de statu hominis lapsi ante gratiam, disputatis Salmurij die 16. Martij An. 1640. sub Præsidio Josue Placei S. Theologiae Professoris in Academia Salmuriensi.

CAPVT I.

Capita doctrinae de Peccato originali de quibus inter nos conuenit.

LICEAT mihi, quaeso, Vir reuerende, te, perinde ac si coram sermone res ageretur, compellare & alloqui: Sic enim, uti spero, tua, velut oculis meis obuersantis praesentia me torpentem excitabit, & ad tui majorem reuerentiam componet.

Tu quidem pro tua singulari prudentia voluisti tibi

viam ad statum controuersię constituendum munire, præstratis iis de quibus inter nos conuenit. Quod tuum consilium valdè probo; sed (quod cum tua bona venia dictum velim) visus es mihi neutrum præstitisse satis accuratè & enucleatè. Patere igitur vt vtrumque tuo exemplo faciam breuiter quidem, sed ita tamen, vt ab hac nostra amica collatione omnis, si fieri possit, tollatur confusio, omnis ambiguitas.

Ego arètè teneo, accuratèque defendo quicquid de peccato originali Ecclesia verè Christiana aduersus veteres nouosque Pelagianos, & Semipelagianos cum definiuit olim, tum his postremis seculis suis publicis confessionibus se credere professã est. Id autem vniuersum Daniel Chamierus, vir suo merito magni apud Ecclesias nostras nominis, statum controuersię inter nos & Pighium ac Salmeronem constituens ad tria capita reuocauit. *Catholici*, inquit, (Protestantes intelligit) *certis argumentis docent, ipsè humane nature inesse corruptionem, seu prauitatem cuiuslibet homini propriam, aliam ab actibus peccati. Secundò, etiam nascenti homini cuiuslibet eandem inesse. Tertio eandem ab Adamo ortum ducere, & per propagationem derivari in posteros.* Quamvis autem subjungat, *hec tria capita continere vniuersam peccati originalis naturam. Itaque iis demonstratis nihil fore reliqui factum;* tamen vberioris explicationis causa duo addam: vnum, hanc corruptionem omnes animæ nostræ facultates ita deprauasse, vt nisi ex aqua & Spiritu renati fuerimus, neque vllum fructum verè bonum proferre, neque ad Deum conuerti valeamus. Alterum, hanc corruptionem verè peccatum esse, omnes Adami posteros,

Pastr.
Tom 3
lib. 1. de
homine
corru-
pto cap.
3. §. 1.

solo Christo , in quo nunquam fuit , excepto , mortis aternæ reos peragens.

GARISSO LIVS. Chamierus duo in Peccato originali manifeste distinguit, quòd pœna est peccati primi, & quòd vitium est internum in nobis hærens. Sed prius non veniebat in controuersiam cum Pighio, & aliis quos eo libro refutat; itaque eam considerationem non vrget hoc loco. Sed quarebatur tantum, an peccatum originale veram haberet rationem vitij & corruptionis. Affirmat Chamierus, & probat; Et peccatum originale considerans jam, qua vitium est, haud immeritò ejus naturam in illis tribus constituit.

CAP.

XXVII. §

29. P²g.

805.

PLACEVS. Quorsum spectet ista distinctio, nescio? Quis enim vnquam peccatum originale dixit esse duplex: vnum, pœnam peccati primi actualis, alterum, vitium inhærens; aut duas esse peccati originalis partes: vnam pœnam peccati primi, alteram peccatum internum in nobis hærens? Sed qui imputationem primi Adæ peccati actualis immediatam docent, illi, vel duplex esse dicunt peccatum originale: vnum imputatum, alterum inhærens; vel duas peccati originalis partes; primariam & præcipuam peccatum actuale Adami imputatum, minùs præcipuam corruptionem hæreditariam. In qua opinione si fuit Chamierus, quomodo in illis tribus, quæ commemorauit, vniuersam peccati originalis naturam contineri asseruit? Quomodo addidit; Itaque iis demonstratis nihil erit reliqui factum? Omisisset enim præcipuam peccati originalis partem. Adde quod si hæresis Pelagianæ in imputationis illius negatione pars sita fuit, vt voluit D. Garissolius, decuit Catholicos eam imputationem inprimis demonstrare, præsertim cùm à Stapletono, aliisque nonnullis Pontificiis, apertè negata fuisset. Sed de Chamiero, si opuserit, alibi disputabitur.

Tu quidem, obseruãde Symmysta, superiora credis. Sed de hoc vltimo quid sentis? Conceptum est verbis cõfessionis Ecclesiarum nostrarũ Art. xi. quæ tu ipse laudas Cap. vii. *Credimus hoc vitium esse verè pecca-*

tum, quod omnes & singulos homines, ne parvulis quidem exceptis adhuc in utero matrum delitescantibus, aeterna mortis reos coram deo peragat. Affirmamus quoque hoc vitium, etiam post baptismum, esse verè peccatum, quod ad culpam attinet. Hoc ego ex animo credo ut sacris literis consentaneum, immò rationi, neque euerti potest, quin eo ipso thesium mearum quas oppugnās compactio & contextus luxetur. Tu verò num id credis? videris tale quid affirmare Cap. 1. & 2. tui tractatus, & aliis aliquot locis: sed vereor ne ita loquaris occultandæ opinionis tuæ gratia: Id enim aliis quibusdam locis exsertè negas, eaque negatione tanquam fundamento pars non contemnenda hujus tuæ disputationis nititur. Recognosce tua verba: non enim grauabor huc transferre. Cap. v. sic colligis, *Vbi mors regnat, nec est reatus ex peccato proprio actuali, ibi necessario est imputatio reatus primi peccati.* Item, *mors regnavit in infantes. Ergo infantibus reatus primi peccati necessario fuit imputatus.* Cùm autem videres tibi responderi posse, *reatum, in illis esse à vitio inherente & depravatione hæreditaria*, tu hanc responsionem *cauillum* appellasti, & contrà sic conclusisti, *si pueri in utero matrum, aut recens nati, sunt peccatores, idè sunt, vel quòd actu peccauerint, vel quòd primum peccatum primi parentis ipsis imputetur. Tertium siquidem dari non potest, quod illos constituat peccatores. Nam peccator quis dicitur ob peccatum; Nec ullum aliud peccatum potest imputari, nisi illud primum.* Relege, si placet, quæ sequuntur. Cap. ix. mentem tuam plenius aperis. *Non video, inquis, quid sit peccatum originis si negetur ejusmodi imputatio.* Potuisset-ne Pighius suam sententiam exprimere clarius? Subjicis rationem, *nam qui-*

nam

nam mors regnavit tunc in eos quoque qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adam, si hoc peccatum Adami non fuit illis imputatum? Finge puerum recens natum vel in utero ipso matris morientem, quid in illo est quod peccatum dici possit? voluntas in ipso ab omni actione vacat, nec potest propria voluntate peccare. Habet in se, inquires, semina peccati, valeat, sed nondum peccatum proprie, nisi peccatum illud originis, quia: in Adamo peccavit. Ergo peccatum illius non in ipso, vel ex seipso, sed in prima origine, id est, in primo parente querendum est: Nec est aliud peccatum illud quam inobediencia illa voluntaria Adami &c. Tu igitur nullum peccatum originale agnoscis præter primum illud peccatum actuale Adami nobis imputatum, nullum reatum in infantibus præter eum qui immediatè ex illa imputatione existit. Quo ergò vel animo, vel sensu, corruptionem in hærentem modò simpliciter peccatum, modò cum epitheto peccatum originale appellas? sic enim in hanc tuam disputationem ambiguitatem & confusionem intulisti, noxiam mihi futuram nisi eam deprehendissem, ac, quod facio, sustulissem. Hic subit animum meum mirari, vir reuerende, qui, cum tam apertè à confessione Ecclesiæ nostræ abeas, potueris inducere in animum tuum, ut mihi, qui illi religiosè adhæreo, quasi ab ea descivissem, grandem dicam scriberes. Dolet etiam mihi quod te aliis doctrina & sanctitate præluentem, & quem ex animo diligo, tueri non possim vel ab inconstantia, vel à dissimulatione: ab inconstantia quidem si corruptionem in hærentem verè peccatum esse, reatum mortis æternæ ex sese fundens modò sensisti, modò non sensisti; à dissimulatione verò, si cum sentires constanter non

esse peccatum , tu tamen peccatum esse aliquot locis dixisti & inculcasti , perinde ac si reuera & propriè peccatum esse crederes , nec eo contentus , affirmasti inter nos ea de re nullam esse dissensionem , cùm te fugere non posset , non solum me , quem refutandum sumpseras , sed Ecclesias etiam nostras vitium illud formaliter & propriè , & , vt loquitur confessio fidei , *verè peccatum esse* statuere ; & eos ipsos , qui tecum imputationem primi peccati vrgent , solitos esse peccatum originale in duo peccata dispescere , imputatum & inhærens , ac suum vtrique proprium Mortis æternæ reatum attribuere. Laudarem testimonia nisi libri omnibus noti essent , omnium triti manibus. Hic igitur aut consentis corruptionem hæreditariam , seposito peccato Adami imputato , esse verè peccatum damnando generi humano sufficiens , aut dissentis. Si consentis , reuoca eas rationes & solutiones , quas in progressu hujus tui tractatus contrariæ hypothese superstruxisti. Si dissentis , hæc erit inter me teque vnum singularis controuersia , quam libentissimè suscipiam pro tuenda confessione Ecclesiarum nostrarum , quæ mihi videtur verissima.

C A P. I I.

Status Quæstionis.

VENIO nunc ad statum quæstionis. Eum non incommodè constituisses si *pæna* nomini , quod in eam introduxisti , ambiguitatem vel non inclusisses , vel sustulisses. Enimverò pænae nomine corruptio-

nem hæreditariam complecti vel voluisti, vel noluiſti. Si noluiſti : debuisti id ſignificare, alioqui erraturo lectori, quippe cum hoc primo capite innuas, & ſecundo clames, & aliis inculces, corruptionem illam pœnam eſſe primi peccati. Si voluisti; vel putaſti corruptionem illam eſſe pœnam propriè dictam primi peccati, non ſolùm quatenus in ipſo Adamo fuit, ſed etiam quatenus ineſt in nobis; vel non: Si prius, quæſtionem non admitto: Præſupponit enim vt certum, vt inter nos conſeſſum, id quod ego theſibus meis refutaui, quodque verſatur in quæſtione, nimirum corruptionem hæreditariam eſſe, propriè & ſtriçtè loquendo, pœnam primi peccati, non ſolùm quatenus fuit in Adamo ſed etiam quatenus nobis propagata ineſt. Si pœnam quidem eſſe voluisti, ſed non propriè dictam, nec ſtriçta hujus vocabuli ſignificatione, ſaltem quatenus eſt in nobis, decuit te mentem tuam explicare, quoniam apparet ex multis hujus tui tractatus locis te corruptionem illam putare pœnam eſſe ſenſu ſtriçtiſſimo, maximèque proprio. Miſſo igitur pœnæ nomine, potuiſſes ſic quæſtionem inſtituiſſe ſine vlla ambiguitate, Cur naſcamur obnoxij miſeriis hujus vitæ, morti corporis, & morti æternæ? an quia nobis imputetur proximè & immediatè primum peccatum actuale Adami? aut quia ſine ejuſmodi imputatione, vitioſitas eius ab eo in nos deriuata eſt, & per propagationem naturalem tranſuſa? Tu prius affirmas, ego poſterius. Vel ſic, Cur trahimus ab Adamo corruptionem moralem hæreditariam, quæ peccatum originale dici ſolet? An quia nobis à Deo Iudice primum peccatum actuale Adami imputetur, ac in eius imputati pœnam, vt

vindicetur, & iustitiæ satisfiat, infligatur illa corruptio moralis, quæ & ipsa peccatum est, & fons aliorum peccatorum? Aut verò quia, sine ejusmodi imputatione, hæc est naturæ lex ante peccatum constituta, vt sui quæque res similem gignat, homo hominem, corruptus corruptum, vitiosus vitiosum, leprosus leprosum? Tu rursus prius asseris, ego posterius. Quamvis autem status quæstionis, ita propositus accommodatè ad mentem tuam, non prorsus incommodus sit, nondum tamen mihi omni ex parte satisfacit: exprimit enim potius partes quæstionis, quàm ipsam quæstionem vniuersam.

Vt igitur, quando de mea sententia agitur, quid sentiam distinctè aperiam, atque statum quæstionis, quoad eius fieri à me poterit, dilucidè & enucleatè cõstituam, eam diuidam in duas, quarum altera est de imputatione primi peccati Adami, altera de pœna, qua imputatum vindicari dicitur. Quæritur enim primum, Vtrùm primum peccatum Adami omnibus eius posteris, Christo excepto, imputetur? Deinde, Vtrùm corruptio hæreditaria nobis infligatur à Deo Iudice, vt fiat iustitia?

Priori quæstioni, quia laborat homonymia, non possum per simplicem affirmationem, aut negationem respondere. Distinguendum enim eius est cum *subjectum*, tum *attributum*. *Subjectum* est primum peccatum Adami: in quo duo distinguenda, Actio tam interna quàm externa, qua diuinum interdictum violauit, & Corruptio moralis, quam illa actio in Adami naturam intulit. Quæ corruptio ipsa quoque spectari potest duobus modis, vno vt fuit in Adamo; altero, vt est in nobis profecta ab Adamo. Hinc fit

vt primum peccatum Adami vsurpetur quatuor modis. 1. pro actione qua dei legem est transgressus, quæ primum fuit peccatum actuale. 2. pro eadem illa actione non præcisè accepta, sed simul cum habituali corruptione quam peperit: habent enim se hæc duo velut calefactio & calor, actus & habitus, mutatio actualis & mutatio habitualis. Itaque vtrumque conjunctim idem nomen peccati Adami, vel primi peccati nonnunquam complectitur. 3. pro corruptione, quam actualis inobedientia genuit in Adamo, quæque fuit eius primum peccatum habituale. 4. denique pro eadem illa corruptione in nos transmissa & propagata, quæ nostrum quidem peccatum est, quia nobis inhæret, nos afficit, & denominat; dicitur tamen peccatum Adami vt authoris, vt primi veluti possessoris, vt fontis vnde ad nos defluxit. Si hoc ultimo modo sumatur primum Adami peccatum, aio illud omnibus Adami posteris (vno, in quo locum nullum habuit, Christo excepto) imputari, donec ab eo per Christum justificentur, eorumque sententiam jure damnatam à Synodo Carentonenſi arbitror, qui hoc quidem peccatum agnoscere se profitentur, nulli tamen imputari, quantumvis infideli: esse enim hoc sæculo qui id doceant editis libris testatur & deplorat paulò ante obitum suum in quadam Epistola doctissimus VValæus. Similiter si tertio modo sumatur, fateor nobis imputari, non tamen quâ hæsit in Adamo, sed qua in nos transit, ac, vt verbis vtat Caluini, *quia intra nos est*: est enim nostra corruptio hæreditaria eadem specie cum illa, quæ olim fuit in Adamo; ac quàm suam naturam, tam suam corruptionem moralem nobiscum Adamus communica-

uit. Idem de secundo modo dicendum : quàm enim verè dicitur peccatum Adami in nos transiisse, deriuatum, transmissum, propagatum esse, tam verè etiam dicitur nobis imputari. Propagatum est autem, non quâ fuit actio transiens, sed quâ fuit vitiositas permanens, non quâ fuit peccatum personæ, sed quâ fuit peccatum naturæ, non quâ olim esse desijt in rerum natura, sed quâ naturæ humanæ adheret, cumque ea multiplicatur & propagatur. Porrò vt natura mea propagata & deriuata ab Adamo differt numero à natura Adami, sic peccatum ab Adamo deriuatum & propagatum differt numero à peccato Adami. Hactenus, nisi me fallit animus, inter nos summus est consensus, modò nolis negare corruptionem hæreditariam esse verè peccatum irrogenitis imputabile, vel potius imputandum ad condemnationem. Quod si id neges, hæc tertia exorietur inter me & te controuersia, quæ quamvis proprijs argumentis confici poterit, tamen ijs nihil opus erit : nam refutatis (quod feci in Thesisibus) exceptionibus Socini, Pelagij, & Pighij, necesse est fateri, vniuersam illam condemnationem, quam Apostolus ad Rom. v. 12. inculcat, ex sola illa corruptione, quæ à lapsu Adami fluxit, proximè enasci.

PLAC. Has tres vltimas peccati Adamici acceptiones D. Gar. mirum in modum exagitat : qua mente ? nescio. Nihil enim id iuuat statum quæstionis, aut causam quam agit, & Lectorem inutiliter moratur. Quid enim in ea nominis distinctione reprehendit ? Num eam falsitatis arguit ? minimè. Num negat in ea re consensum esse ? nequaquam. Quid ergo agit ? ipsum audi.

GAR. *Primùm quidem est, quod suam præstanti Theologo confessionem gratulemur, qui, etsi negat imputari posteris primam illam Adæ actionem, qua Dei mandatum violavit, si eam præcisè ac scorsim spectemus; agnoscit tamen illam imputari, acceptam simul cum corruptione quam peperit. Hoc enim inde certò consequitur, ergo ipsam criminiosam Adami actionem posteris imputari: quoniam quod simul & conjunctim cum alio spectatum imputatur, non eo tantùm minùs imputari censendum est. Iam verò si Adami actio, non præcisè sumpta, sed simul cum corruptione consequenti, imputatur; nemo non videt, eas omnes rationes unâ veluti liturâ expungendas, quibus aduersus actionis Adamicæ imputationem hætenus Viri Docti disputarunt. Illa enim omnes id efficiunt, si quid efficiunt, nos nullo modo esse posse reos propter inobedientiam & actionem injustam alterius nobis imputatam, siue præcisè, siue una cum alio vel actu, vel habitu illam considerare libeat. Illud autem si fixum maneat, actionem Adami simul cum corruptione, quam peperit acceptam unicuique posterorum imputari, pax facilè componetur.*

PLAC. In elogio præstantis theologi, quo me ornat indignum, iudicium charitatis agnosco. In reliquis eius verbis quatuor mihi apparent *σφάλματα*. Primùm enim sententiam mihi tribuit, quæ mea non est. Nunquam enim negavi ipsam criminiosam actionem Adami posteris eius imputari. Nunquam affirmavi nos nullo modo esse posse reos propter inobedientiam Adami. Tantummodò negavi illam actionem posteris imputari *immediatè*, & nos esse reos propter illam *immediatè*. Nam illam imputari *mediatè*, propter illam nos esse reos *mediatè*, id est, mediante corruptione ab illa in nos descendente, ego toties dixi, repetiui, inculcaui, vt mirum sit virum doctum ad has meas voces toties iteratas absurduisse. Deinde, non modò perdit operam in eo contra me probando quod passim affirmo, sed, quod deterius est, id inde elicere conatur, vbi non latet. Etsi enim verba mea prima fronte fauere videantur eius collectioni, tamen ei præscindit omnem ansam, quæ continuò sequitur explicatio, quam ipse libri sui pag. 33. sic contraxerat, quia, quàm vere peccatum Adami in nos transit,

tam verè nobis imputari dicitur. Atqui transit & propagatum est, non quâ fuit actio transiens, sed quâ fuit vitiositas permanens, nec quâ fuit peccatum persone, sed quâ fuit peccatum nature, quod scilicet nature humana adheret, & cum ea multiplicatur atque propagatur. Tertio, falsum est nostras omnes rationes, si quid efficiunt, efficere nos nullo modo esse reos propter inobedientiam Adami: Eas enim imputationem illius inobedientie mediatam nullo modo impugnare tam clarè ostendi datis ad eum literis, vt ab eo responsionem nulla efflagitatione impetrare potuerim. Quarto denique falsum est, id quod ait, si fixum maneat, actionem Adami simul cum corruptione, quam peperit, acceptam vnicique posterorum imputari, pacem facilè compositum iri. Restabit enim integra quæstio, vtrum illa actio præcisè sumpta immediatè imputerur, hoc est, ita, vt illius imputatæ corruptio sit pœna propriè dicta. Id quod vnum duntaxat & constanter negaui, & negatum volui. Præcisam enim à corruptione, quæ in Adamo & nobis hæsit, imputari oportet, si quidem illam imputationem corruptio sequitur vt pœna.

Cap. II.
§ XII.

GAR. *Obseruo deinde, nulla necessitate, vel magna utilitate compulsus Virum Doctum, vt ita anxie & scrupulosè subiectum in quatuor significata distingueret; cum quicumque hætenus de primi peccati imputatione locuti sunt, nihil aliud eo nomine intellexerint, vt ex ipsorum scriptis satis patere potest, quàm ipsius primi hominis actualem illam transgressionem, quâ Dei mandatum de non gustando fructu arboris interdicta violauit. Vt quid igitur opus erat per operosas ambages lectoris animum circumducere, & de peccato in nobis inhirente, sine corruptione nostra originali, deque imputatione ac pœna reatu ipsam consequente verba facere, de quâ in hac disputatione nequaquam agi satis notum est? Non enim queritur, vtrum nobis omnibus inrita sit corruptio, propter quam Deus pœnas à nobis exigere meritò possit, aut eam nobis imputare, quod nemo Evangelicorum vnquam reuocauit in dubium: Illud vnum in Quæstionem hodie vocari quibusdam volupe est, vtrum ex primo illo actuali Ada peccato aliquis reatus, & aliqua pœna dignitas posteris incumbat.*

PLAC.

PLAC. Primùm esto ; nulla necessitate , vel magna utilitate compulsus peccatum Adæ sic distinxerim , modò distinctio non sit falsa , nec noxia , nec profus inutilis , mihi fatis est. Vtinam in eius libro nihil minùs verum , minùs vtile occurreret ! Deinde verum non est , quod ait , quicumque de peccati Adæ imputatione locuti sunt , eos nihil aliud eo nomine intellexisse , quàm ipsius actualem transgressionem : cujus rei etiam admonere debuerunt verba illa mea , *ac vt verbis utar Caluini , quia intra nos est* , quæ , quia causæ suæ oberant , consultò omisit. Habentur autem illa Caluini verba Comm. in Rom. 5. v. 17. integrum locum habes suprâ p. 92. Perit enim differentia quam illic obseruat inter Christum & Adamum , nisi peccatum Adæ , quod nobis imputatur , intra nos sit , seque habeat vt qualitas nobis inhærens. Tertio , Quod addit de peccato inhærente ejusque imputatione in hac disputatione non agi , id ipsum dico hoc loco , ac vt dicerem distinctionem illam adhibui. Separandum enim fuit id quod non est inter nos controuersum ab eo quod controuersum est , remouendaque ab hac quæstione omnis ambiguitas & confusio. Quo neglecto qui mihi in hac causa aduersantur non me oppugnant , sed umbram suam. Denique quod dicit in quæstionem vocari , vtrum ex primo illo actuali Adæ peccato aliquis reatus & aliqua pœnæ dignitas posteris incumbat , vel falsum est , vel ad me non spectat : Doceo enim constanter ex illo peccato aliquem reatum & aliquam pœnæ dignitatem , si tamen dignitas appellanda est , posteris incumbere : tantùm volo non immediatè sed mediante corruptione quam peperit , incumbere.

GAR. Dicant verò , qui eam pre se ferunt in explicanda Quæstione diligentiam , annon iudificationi deputaturi sint , & præstigiatarum loco habituri , si quis ex Novis illis Pontificiorum Doctores , qui pacificationis studio prouincias & vrbes obire credi volunt , blandulus accedat , & in causa momentosa , iustificationis putà negocio , consensum cum Evangelicis profiteatur : se nimirum haud inuito animo doctrinam amplecti de iustificatione per imputatam Christi Domini nostri iustitiam , dummodo distinctione adhibi-

ta rem explicare liceat; Quia scilicet iustitia Christi variis modis accipi possit. 1. Pro actionibus illis ad legis diuina regulam exactissimis, quibus Christus & uiuens & moriens plenissimum Patris sui mandatis obsequium præsstitit. 2. Pro habituali illa & inhaerente iustitia, qua Christi anima splendidissime enituit. 3. Pro iustitia interna & habituali, qua unicuique fidelium subjectiuè inest, sed qua iustitia Christi meritò dici possit, quoniam à Christo, Christique Spiritu, tanquam autore, in nos defluit. Hoc ergo ultimo sensu, agnoscere se, in controuersia justificationis, imputationem iustitiæ Christi: at verò si prima & secunda significatione Christi iustitiam accipiamus, se iustitiæ Christi imputationem nullam agnoscere, sed tanquam absurdam rejicere. Consensum certè in hoc negotio ita explicatum, nemo est, qui non conqueratur ludibrium esse, potius quàm consensum. &c.

PLAC. Hoc simile non est appositum, sed oppositum. Huic enim blandulo præstigiatori tam sum dissimilis quàm album nigro. Primò ille se enumerasse præ se ferret omnes acceptiones iustitiæ Christi, cùm tamen vnã omitteret in justificationis negotio maximè momentosam, qua iustitia Christi accipitur pro singulari illa obedientia quam præstitit patiendo mortem, inquam, crucis; qua vulgo iustitia passiuã appellatur, & imputari fidelibus ab omnibus Protestantibus sine dubitatione creditur, cùm de imputatione iustitiæ actiuæ, quam solam D. Gar. commemorauit, sit aliqua sententiarum discrepantia, quæ pacem Ecclesiæ non turbat. Ego verò primi Adæ peccati acceptiones omnes recensui, nullam præterminisi. Secundò ille Christi iustitiam eo sensu acceptam imputari diceret, quo sensu accepta imputari negatur constanter ab omnibus Protestantibus. Ego verò peccatum Adami eo sensu posteris imputari affirmavi, quo sensu iis imputari omnes Protestantes constanter tenent. Itaque ille consensum fingeret cum Evangelicis planè falsum: Quis enim vnquam Evangelicorum docuit iustitiam inhaerentem, quam habemus à Christo, nobis ad justificationem imputari? Quem autem ego profiteor consensum, is verus est, neque negatur, aut negari potest à quoquam non Pelagiano. Tertio denique;

Ille præ se ferret tertiam illam justitiæ Christi acceptionem pro justitia nobis inhærente, esse eam, quæ intelligitur, cùm quæritur, vtrum justitia Christi nobis imputetur, necne? Id quod falsum est. Opponitur enim justitia Christi in ea quæstione nostræ justitiæ nobis iasitæ. Ego verò contrà istas acceptiones peccati Adamici, quibus illud imputari dixi consensum esse, remouî à statu quæstionis inter nos agitandæ, & quidem disertissimis verbis. Quare ab omni ludo alienissimus fui.

GAR. *Quod si aliqua esset in voce peccati Adæ, homonymia & ambiguitas, illa tamen omnino sublata est, cùm imputatio primi peccati Adæ nuncupatur. Ita enim vnusquisque per se facile intelligere potest, cùm plura fuerint Adami peccata, de vno illo quæri, quod inter omnia primum fuit, & quo non aliud est in genere humano prius. Vbi enim de numero vel ordine agitur, primum illud dici omnes intelligunt, vnde ducitur numeri ordinisque principium, & quo prius nihil est in illo ordine. Itaque non erat hic istis distinctionum argutiis distincendus, id est obturbandus magis, quàm instruendus Lector.* § XIV.

PLAC. Parum abest quin credam, hanc primi peccati Adæ distinctionem Viro Docto commouisse bilem: ad eam omni ex parte adoritur & sollicitat. Quid autem probare instituit? illam non necessariam fuisse. Fac ita esse; modò non sit falsa, non sit absurda, non sit causæ meæ noxia, causam non video, cur tantopere debeat exagitari. At distinet & obturbat Lectorem. Distinet fortè, sed non diu. Obturbat autem neminem, nisi si quis me damnatum velit & confutatum. Lux distinguit & recreat: tenebræ confundunt & turbant. Præterea nego non fuisse necessariam illam distinctionem. Ita enim distinctis subiecto & attributo quæstionis irritus sit eorum labor, qui meam sententiam tanto molimine oppugnant: quæ causa videtur esse, cur hæc distinctiones eis tantopere ingrata fuerint. Sed, inquit, vnusquisque per se facile intelligere potest, cùm plura fuerint Adami peccata, de vno illo quæri, quod inter omnia primum fuit. Ergo id expressi, quod quisque per se facile intelligere potest: Grande scilicet crimen, & quod magnam

reprehensionem meretur! At, inquam, hoc non sufficit. Progredi longius oportet. Peccatum enim Adami inter omnia primum duo complectitur, peccatum actuale, & peccatum habituale: illud omnium peccatorum actualium, hoc omnium habitualium primum: illud transit, hoc mansit, & in posteros propagatum est, & quin nobis proximè seu immediatè, cum intra nos sit, imputetur, nemo non Pelagianus ambigit. De altero illo an imputetur immediatè, omnis est inter nos excitata controuersia. Hæc distinctio, quia audientis nominari primum Adæ peccatum non statim veniebat in mentem, multumque habebat ad decidendam quæstionem momenti, constituenda fuit ob oculos Lectoris.

§ xv. G A R. *Sed & in hac subiecti distinctioe nonnulla continentur, quæ benè perpendenti vix est vt probari valeant. Nam 1. Quo fructu secunda peccati Adæ significatio distinguitur à tertia, cum quicquid de peccato Adæ in secunda significatione hîc dicitur, ei reapse conuenire asseratur, non quatenus est actio transiens, sed quatenus est corruptio habitualis & permanens? Ita enim peccatum Adæ secundo & tertio modo dictum in idem reuera coincidunt.*

P L A C. Magnas habeo Viro docto gratias non patienti quicquam à me dici absque fructu. Quanquam fructu, vti spero, non carebit hæc distinctio suo tempore & loco. Coincidunt quidem secunda & tertia acceptio in eandem imputationem, sed differunt modo loquendi, & sunt eiusdem nominis acceptiones diuersæ. Distinguere autem nomen, non rem ipsam, volui. Si quis dicat, id quod verum est, peccatum Adæ diuidi posse in primum peccatum actuale, & primum peccatum habituale, diuidendum erit peccatum Adæ acceptum secundo modo: diuisi primum membrum erit peccatum Adæ sumptum primo modo, & secundum membrum erit peccatum Adæ tertio modo. Quibus si addas propagatam in nos corruptionem, quæ vetus Adam solet nuncupari, etiam peccatum Adæ vocari posse, habebis omnes illas acceptiones quas enumeravi, nihil vt sit, quare tanto conatu rejiciantur.

G A R. 2. *Quomodo ista componi possunt inter se? Peccatum*

Adæ imputatur nobis, non quâ hælit in ipso, & peccatum Adæ imputatur nobis qua fuit vitiositas permanens in ipso: *nam hære in Adamo, & esse permanens in Adamo, quid hîc differant, ego quidem non video.*

PLAC. *Propositio, Peccatum Adæ imputatur nobis, non qua hælit in ipso, mea quidem est; sed illi opposita, Peccatum Adæ imputatur nobis qua fuit vitiositas permanens in ipso, mea non est.* Voces enim *in ipso*, quæ contradictionem efficiunt, non inuenit in meis scriptis, sed de suo Vir doctus addidit hoc loco: neque verò illæ comparent in sententiæ meæ expositione quam ipse præmiserat § x. Contradictionem igitur istam ipse fecit ac finxit, mihi quæ falsò tribuit.

GAR. 3. *Quando dicitur primi nostri parentis corruptio nobis posteris illius imputari, non quatenus hælit in ipso Adamo, sed quatenus transit in nos? quanam est illa, quæ statim proferitur, hujus rei ratio; quòd scilicet corruptio nostra hæreditaria, sit ejusdem speciei cum corruptione, quæ fuit in Adamo? An igitur specifica illa duarum corruptionum identitas id efficit, ut prior nobis imputetur? Quòd si est, nihil cause dici potest, cur non omnium nostrorum majorum corruptio nobis imputari dicenda sit &c.*

PLAC. Hic quoque monstrum sibi fingit, quod debellet. Meam enim istam rationem & truncat, & perperam interpretatur. Truncat: omittit enim & verba immediatè præcedentia, *ac ut verbis utar Caluini, quia intra nos est, & sequentia, ac quàm suam naturam, tam suam corruptionem moralem nobiscum Adamus communicauit.* Malè interpretatur: Non enim verbis illis, *Est enim corruptio nostra hæreditaria eadem specie cum illa quæ olim fuit in Adamo,* rationem reddere volui, cur peccatum Adami tertio modo acceptum nobis imputetur; sed cur dicatur *intra nos esse.* Quare imputetur ostendi, cum dixi, *ac ut verbis utar Caluini, quia intra nos est:* id quod causalis quia monere eum potuisset, si voluisset attendere. Dixi ergo cum Caluino ad Rom 5. 17. idèd imputari, quia intra nos est: Possè autem intra nos dici, quia corruptio nostra hæreditaria est eadem specie cum illa quæ fuit in Adamo. Idque illustravi similitudine ducta ab ipsa natura nostra, quæ, quia specie eadem est cum natura Adami,

& ab ea propagata, indefit vt dici possit Adamus naturam suam nobiscum communicasse : non minùs autem nobiscum communicauit corruptionem suam , seu peccatum. Potest igitur dici peccatum Adami in nos propagatum, in nos introiisse , intra nos esse. Hæc est ratiocinij mei vis : a qua vides , Lector , quàm aberret D. Garissolius.

Est igitur quæstio inter nos instituta duntaxat de primo peccato Adami sumpto primo modo , hoc est, de *actuali* ejus inobedientia , de actione illa interna & externa, qua Dei legem transgressus est actu, præcisâ ab habituali corruptione , quæ actionem illam sequuta est; num ea nobis nascentibus imputetur ? Cui quæstioni nondum negatione simplici , sed distinctione rursus satisfaciendum videtur. Est enim ejus distinguendum *attributum*. Potest enim animo concipi duplex imputatio. *Immediata* & *Mediata* , vel (vt idem alijs verbis dicam) Antecedens & Consequens. Immediatam voco eam, quàm solam thesibus , quas tu refutandas tibi sumpsisti , negare volui ; qua putatur *actio* illa Adami , hoc est , vetiti fructus Manducatio ejus posteris omnibus (Christo excepto) proximè , immediatè , hoc ipso quod filij sunt Adami , imputari ad duas istas pœnas propriè dictas , priuationem justitiæ originalis quam mortem spiritualè appellas, & mortem æternam. Hanc solam imputationem actionis illius ego negaui , quia non docetur in sacris literis adæquatâ fidei nostræ normâ , quia pugnat cum sacris literis , quia Deum facit authorem peccati, quia Dei justitiam dehonestat , quia sequitur ex ea Christum esse naturâ sua peccatorem , quia alia nonnulla trahit secum absurda , mirabilem religionis Christianæ puritatem & splendorem obscurantia, quæ vtinam

fratres & conferui nostri à me per theses moniti, aut non profus contempſissent, aut non contemptim expendissent!

Mediatam seu consequentem appello eam, quæ hæreditariæ corruptionis in nos ab Adamo deriuatæ intuitum consequitur, eaque mediante fit. Hujus enim corruptionis participatione communicamus peccato Adami, eique, vt ita loquar, habitualiter consentimus; ac propterea digni sumus, qui Adamo peccatori annumeremur. Id me Chamicrus docuit Panſtr. tom. 3. lib. 6. cap. 4. de pœnis peccati § xvi. & xvii. Locum, si placet, quære & lege. Huc transcripsissem (nam est insignis) nisi consulerem breuitati. Sed tenere me non possum quin Ægidij Hunnii Augustanæ confessionis Theologi celebriſſima verba subiiciam, quibus hanc imputationem mediatam docet & explicat, *Ostendit ergo (Apostolus Paulus) lapsum Adami non immediatè & per se, sed mediatè & propter aliud nobis ejus posteris imputari, quia videlicet per lapsum illum polluta est natura primorum parentum, vt non nisi peccato corruptos & vitiatos liberos procreare possent, sicut scriptum est, genuit Adam filium ad imaginem suam Gen. 5. Alias si fieri potuisset, vt in posteros non vitium proprium deriuaretur à primis parentibus, tum lapsus ille tanquam peccatum alienum eis planè non imputaretur. Palam igitur ostendit Paulus vnum illud delictum nobis ad condemnationem cedere tantum Mediatè, quatenus per delictum illud actuale introducta est in naturam horribilis corruptio, quam per carnalem generationem propagauit in ipsos posteros. Ita vt à lapsu corruptio Nature, à corruptione nature in nos deriuata mors & damnatio perueniat, quat: omnes peccauimus, inquit, id est quat: ipsi in possessionem illius hereditariam deuenimus.*

Vt igitur rem verbo absolvam, quæritur, *utrum primum peccatum actuale Adami præcisè sumptum nobis ejus posteris imputetur à Deo Iusto Iudice proximè, immediatè ac ordine nature priùs quàm inherenter corrupti sumus?* Tu venerande frater affirmas: Ego Nego. Vter rectiùs, sequens disputatio, vti spero in Domino, planum faciet.

Cap. II.
§ XVI.

G A R. *Distinguitur imputatio peccati in Priorem, siue Antecedentem, aut Immediatam; & Posteriolem, siue Consequentem, aut Mediatam. Haud incommodè sanè; nec dubito, si modò recta explicatio adhiberetur, consensum hic facile stabiliri posse: si nempe utraque imputatio eodem referretur, id est, si intelligeretur de peccato Adami eadem significatione accepto, siue de actione, qua primum Adamus reum se fecit læsæ Divinæ Majestatis.*

P L. Cur ergo consensus non stabilitur? Cur oppugnor? utramque enim illam imputationem eodem retuli, ac non nisi de illa actione qua primum Adamus peccavit, intellexi. Id sole meridiano clarius est, & miror vocari potuisse in dubium. Illa enim ipsa distinctio, ut alia omittam, hoc clarum facit: non potest enim de peccati habitualis seu corruptionis imputatione accipi. Quis enim dicat corruptionem ante corruptionem, aut post corruptionem; mediante corruptione, aut ea non mediante imputari?

G A R. *Ita enim paria ferre faceret cum ea, quam premisimus, imputationis distinctione in communem & singularem: ut priorem & immediatam intelligeremus, communem illam quam diximus; posteriorem & mediatam quam propriam siue singularem nominavimus. Nam certè communis illa siue immediata, quemadmodum posterior fuit prima actuali Adæ transgressione, ita prior fuit personali cujusque hominis ex Adamo prognati existentia, atque adedè etiam corruptione illa, que in singulos naturali generatione descendit; quatenus ab initio rei fuerunt omnes communiter in Adamo, quo sensu dictum est à Bernardo, Adamum & Euam fuisse priùs nostros peremptores quàm parentes, At imputatio singularis, propria, personalis & mediata, rectè dici possit corruptione nobis inherente poste-*
rior,

rior, quatenus nemini personaliter imputari potest peccatum istud, nisi filius sit Adami, adeoque nisi personaliter existat: neque potest aliquis personaliter existere, & pro filio Adami haberi, nisi postquam anima & corpus in unam personam coaluerunt: qua partium hominis essentialium coalitio atque conjunctio, sine dubio conceptione posterior est &c. Ergo in conceptione primâ nondum adest anima, nondum homo est, nondum filius Adami: & tamen ab ipso conceptionis momento inest vitiositas in semine, quippe quod habet fomitem illum peccati, quem desiniunt, inordinatam carnis qualitatem ex peccato primorum parentum traductam in posteros, &c.

PLAC. Si paria facit, cur non contentus illa distinctione jam recepta & commoda excogitavit nouam & incommodam? Melior enim est imputationis distinctio in *immediatam* & *mediatam*, quàm in *communem* & *singularem*. Primò quia illa jam fuerat vsurpata ab Ægidio Hunnio & VValæo, hæc verò à quo fuerat vsurpata? Deinde, quia illa est in membra non re modò, sed nomine etiam opposita; quæ bonæ distinctionis nota in hac desideratur. Nam imputatio illa *singularis* dici potest *communis*, & vice versa *communis singularis*. Quid enim? nonne humana natura, corruptio hæreditaria, existentia, &c sunt omnium hominum communes? Atqui imputatio *singularis*, *propria*, *personalis* non minùs communis est quàm natura humana, quàm corruptio, quàm existentia (Christum semper excipio) quomodo ergo imputationi communi opponitur? Nam membrorum oppositorum alterum alterius negationem importat. Rursus imputatio communis potest etiam ipsa dici *singularis*, *propria*, *personalis*, siquidem communis dicitur *distributiue*: de singulis enim personis posterorum Adæ singularim prædicatur. Quod si dicitur communis *collectiue*, utraque dici debuit communis, altera *collectiue*, altera *distributiue*. Deinde quod commune est *collectiue* posteris Adami, id quidem de tota collectione posterorum ejus prædicari potest, sed de ijs singulis, nullo modo; sicut Apostolis commune fuit *collectiue* esse duodecim; ac propterea eorum nullus fuit duodecim. Præterea, cum per imputa-

tionem vir doctus intelligat, vel actum Iudicis declarantis aliquem reum, pœnâque dignum, vel ipsam pœnâ inflictionem, palam est inflictionem pœnâ esse singularem: seu enim illa sit corruptio, seu mors corporis vel æterna, infligitur singulis. Si igitur imputatio communis est pœnâ inflictio, vtique singularis est. Inflictioni autem pœnâ respondet condemnatio, seu declaratio Iudicis aliquem esse reum & pœna dignum. Quæro etiam, quo sensu imputatio dicitur communis & opponatur singulari? An quo sensu solet commune seu vniuersale opponi singulari? Non differt ergo imputatio communis à singulari, nisi vt species ab indiuiduo suo. Non est autem species nisi in aliquo indiuiduo suo. Extra aut ante indiuidua sua frustra queritur. Attamen vult Vir doctus imputationem communem diu antequam esset singularis, adedque extra singularem fuisse. Mitto alia discrimina. Quod si alio sensu, quàm fert vsus, communem singulari Vir doctus opposuit, singularitatem, ipse & obscuritatem affectauit, sibi que potius quàm Lectori scripsit. Adde quod *communis* videtur magis communis esse debere quàm singularis: alioqui cur id nomen huic opponitur? Attamen non est magis communis, nisi velis etiam iis communem esse hominibus, qui nunquam fuerunt, nec futuri sunt. Plura non addam; nisi hoc vnum, quod prætermitti non debet. Ex ratione Viri docti, qua probat imputationem *singularem, propriam, personalem corruptione nobis inhaerente posteriorem esse*, sequi, imputari posteris peccatum Adæ imputatione illa *communi, antequam sint filij Adæ, & profiliis Adæ habeantur*. Quod quomodo verum & iustum esse possit, tibi prudens Lector, considerandum relinquo.

. GAR. *Eam existimo fuisse mentem illis Theologis, qui peccatum Adæ docent nobis imputari mediata, siue mediante corruptione & vitiositate nostra. Agid. Hunnius artic. de pecc. Quæst. 7. Valans Defens. Molin. cap. 8. Enimvero longè alius Doctis Viris sensus, qui hac prioris & posterioris imputationis distinctione vtuntur. Quandoquidem 1. eam, quam diximus communem, priorem & immediatam, absolute negant &c. 2. Quia posteriorem & mediatam siue singularem longè aliter exponunt, ita scilicet*

vt eam pertendant nulla ratione ad ipsum actuale & personale Adami peccatum respicere, sed ad nostrum ipsorum duntaxat originale vitium nativamque & hereditariam corruptionem referri debere.

PLAC. Vtrumque hoc discrimen apertè falsum est. Et primum quidem: Negarunt enim imputationem immediatam Ægidius Hunnius & VValæus tam disertè, vt disertius non potuerint. Ille ait *lapsus Adami non immediatè & per se, sed mediatè & propter aliud nobis ejus posteris imputari.* Item, *unum illud delictum nobis ad condemnationem cederet tantùm mediatè.* Quid sibi vult illa negatio, *non immediatè & per se?* Quid exclusiva, *Tantum mediatè?* Quid est negare imputationem immediatam, si hoc non est? Hic verò imputationis illius possibilitatem negat, suamque negationem firmat ducto à Dei justitia argumento. Locum habes supra pag. 22. vti superiorem pag. 20. Secundum etiam tam apertè falsum est, vt satis mirari non possim, quomodo à se vir Doctus impetrare potuerit, vt id proferret. Contrà enim pertendo imputationem mediatam *ad ipsum actuale & personale Adami peccatum respicere;* nec de alio peccato à me vnquam vsurpatam fuisse, aut, quod amplius est, vsurpari potuisse.

GAR. *Tum in nomine imputationis peccati variè Iuditur.* § XIX.
Nam disputationis initio consenseramus, per imputationis vocem in hoc negotio intelligendum, vel actum judicis declarantis aliquem reum pœnaque dignum, vel ipsam pœnæ inflictionem. Nunc in alia omnia itur. Queritur enim, an ipsius Ada actuale peccatum posteris imputetur. Agnoscunt Viri Docti verbotenus; sed explicationem audi: ita scilicet, inquiunt, vt imputari dicatur illa transgressio eodem significatu, quo dixit Apostolus, præputium imputari in circumcissionem, id est, eodem loco haberi ac si circumcisum esset: Nos enim, ob peccatum nobis ab origine inherens, dignos esse, qui eo loco habeamur, ac si actualem ipsam inobedientiam commissemus. Quod aliquis sanè haud immeritò tergiversationi deputari debere pertenderit. Conuenerat enim, imputare peccatum hoc loco non aliud esse, quàm alicui peccatum ita adscribere, vt propter illud, & ejus consideratione reatum

subeat, & vel pœnas det, vel certè pœnis dignus existimetur. At quàm remotum sit illud ab eo imputationis significatu, quem hic proponunt, nemo non videt.

PLAC. Quod ait me, in nomine imputationis variè Inuisse, ab eo longissimè abfui, & quàm maximè potui serió egi, vt veritatis & pacis decebat studiosum. Abhorruì etiam ab omni tergiuersatione, & nihil mihi prius fuit quàm vt statum quæstionis purgarem ab omni impedimento, & clarum facerem & liquidum, ne vllus vel tergiuersationi, vel dissimulationi, vel declinationi locus esse posset. Quod autem me accusat, quasi conuentis non steterim, satis mirari nequeo. Quomodo enim consenseramus Disputationis initio, aut conuenerat inter nos de vocis *imputationis* significatu, qui nunquam ea de re inter nos disputaueramus? Virum enim Doctum mihi nunquam datum est, videre, aut coram alloqui. Vt autem de hac quæstione mecum conferre vellet, impetrare nulla ratione potui. Cùm autem dicit, *Nunc in alia omnia itur*, putas fortasse, Lector, cum hoc meum manuscriptum *posterius* aut saltem tempus quo scriptum est, designare. At non ita est. Quæ enim subjungit verba mea non petuntur ex hoc meo Manuscripto, sed partim ex Thesisibus meis de statu hominis lapsi ante gratiam, quinquennio, antequam inciperet ista controuersia, publicatis, partim ex duarum epistolarum quas solas ad eum scripsi, posteriore, duobus aut tribus à Synodo postrema Nationali mensibus: In priore autem nihil disputabam, tantùm ex ipso quærebam modestè, qua de imputatione Decretum Synodi esset intelligendum, de Mediata, an de Immediata? In posteriore verò breuiter ostendebam, nec rationes à me in thesisibus allatas mediatam oppugnare imputationem, nec defuisse magnos Theologos qui immediatam negarent confessâ mediatâ. Illud enim vtrumque rescripserat ostendendum esse, quod vbi à me factum est, aliquamdiu respondere mihi renuit; tandem verò datis ad me secundis literis protestatus est se mihi ea de re non responsurum, neque necum aut cum alio vllò eo de negotio disputaturum, nisi in proxima Synodo Nationali. Atque

ita finem scribendarum inuicem literarum fecimus. Vbi igitur aut quando inter nos ea facta fuerit conuentio, diuinare non possum. Fac tamen fuisse factam, quid dixi, quod ei vocis imputationis significatui repugnet?

Scripsi in Thesisbus supra dictis § VII. *Actualem inobedientiam Adami dici posse nobis imputari, hoc sensu, quòd ob peccatum nobis ab origine inherens digni sumus, qui eodem loco habeamur, ac si inobedientiam illam admisissimus.* Est-ne id verum, an falsum? Si falsum, debuit ostendere falsitatem. Si verum, utique non repugnat imputationi mediatae, quam esse veram ipse vir doctus non diffitetur: verum enim vero non repugnat. Imò nihil aliud est quàm descriptio imputationis mediatae, quam opposui opinioni Pighij, *culpam originis unicam statuentis transgressionem Adami.* Cui vni, inquit Martyr, *nos omnes vult nasci obnoxios, non propter aliquod vitium, aut culpam, aut depranationem, quam in nobis habeamus.* Dixi in Epistola, *cum vitium hereditarium nos aequè morte dignos ac Adamum faciat, nihil ob stare, quominus peccatum Adami nobis eo sensu dicatur imputari, quo dixit Apostolus, si quis legem seruauerit, illius præputium in circumcisionem imputari.* Est-ne id verum, nec-ne? Neque ait, neque negat D. Garissolius. Quid igitur facit? eum audi.

Rom. 2.
26.

G A R. *Dixerit ergo Paulus, imputari præputium in circumcisionem, quia eodem loco habeatur ac si circumcisum esset. At hic non de imputatione cuiusuis rei agitur, sed de imputatione peccati alieni. Quis autem hætenus vel docuit, vel sibi persuasit, per imputationem illam peccati, intelligendam collationem diuersorum peccatorum à diuersis personis patratorem, vel paritatem inter diuersa peccata ratione pœnæ aut reatus? Hoc neque Scriptura, neque communis ipse loquendi vsus admittit.*

P L A C. *Sumpsitne verbum imputandi eo sensu, quo illud Paulus sumpsit, cum dixit præputium imputari in circumcisionem, nec-ne? Non negat Vir doctus. Ergo in eo verbo non lusi, nisi velit in eodem verbo similiter lusisse Apostolum. In ea enim significatione illud vsurpauit, cuius grauiissimum habeo autorem, ipsum Paulum. At hic, inquit, non de imputatione cuiusuis rei agitur, sed de imputatione peccati*

alieni. Quid tum postea? Est-ne aliquid quod prohibeat illud verbum, quo sensu de alia aliqua re vsurpatur, eodem etiam vsurpari de peccato? At per imputationem peccati non est intelligenda *collatio* diuersorum peccatorum à diuersis personis patratorum vel *paritas* inter diuersa peccata. Quid hoc ad me? An per imputationem inobedienciæ Adami talem intellexi vel collationem, vel paritatem? Non certè. Diuersa peccata à diuersis personis patrata sunt ambo peccata actualia; vitium nobis ab origine inhærens non est peccatum actuale, sed habituale tantum. Illorum peccatorum diuersorum vnum non est causa alterius: cum tamen inobediencia actualis nobis inhærentis habitualis causa fuerit. Itaque conferuntur illa diuersa peccata, tanquam vt, ita loquar, coordinata, hæ verò inobedienciæ tanquam subordinatæ. Cum ergo inobediencia Adami sit causa vitij nobis inhærentis, & hoc sit causa reatus nostri, necesse est inobedienciam Adami causam esse nostri reatus, saltem mediatam. Itaque nos esse reos ob vitium nobis inhærens immediatè, eoque mediante ob inobedienciam illam actualem Adami, cuius vitium illud inhærens habitualis quædam est consensio & approbatio, & communitio: vt ob eam causam magis propriè nobis in peccatum dici possit imputari, quàm præputium in circumcissionem, ob seruata Legis *singulorum*. Cæterum quod ait in Scriptura nullibi ostendi posse *imputationem peccati* eo sensu vsurpatam, conturbare nos non debet: nam phrasis *imputare* vel *imputari peccatum* admodum rara est in Scriptura, nec fortè nisi cum negatione adjuncta vsquam occurrit. Considera autem, humanissime Lector, quo sensu phrasis æquipollens ab ipso Domino nostro Iesu Christo vsurpata fuerit Matth. 23. 34. *Propterea ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, & scribas, & ex ipsis quosdam trucidabitis & crucifigetis, & ex ipsis aliquos flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini ex urbe in urbem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus effusus super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zacharia filij Barachia, quem occidistis inter templum & altare: hoc est, exponente Luca cap. xi. 50. vt à gente ista requiratur sanguis omnium Pro-*

phetarum effusus à jacto mundi fundamento. Quin enim illis verbis significata fuerit imputatio peccati negari nequit. Itaque sic in verba illa commentatus est Calvinus, *Tametsi Abel non à Judæis occisus est, ejus tamen necem ipsis imputat Christus, quia inter ipsos & Cain quadam erat impietatis cognatio.* Facit autem vitiositas inhærens, ut nobis cum Adamo peccante non qualiscunque cognatio peccati, sed consanguinitas interfit. Imò vitium nostrum inhærens nihil aliud est quàm peccatum Adami secundum habitum in nos propagatum, vel instar pestis aut veneni naturali contagio diffusum. Quid est igitur, cur ob illud vitium nobis imputari dici non possit? Videerge, Lector, an me potius hoc loco quàm ipsum Dominum, Vir Doctus impugnet.

G A R. Denique Socinista imputationem peccati Adæ exerte negant, & agnoscunt tamen nos propter nostrum peccatum eodem loco haberi, ac si Adami actualem inobedientiam commississemus, quia nimirum imputationem peccati sic explicatam agnoverunt, nullam esse veri nominis imputationem.

PLAC. Hic quoque nos traducendi cupido tenebras offudit animo Viri Docti. Ait enim Socinistas agnoscere nos propter nostrum peccatum eodem loco haberi, ac si Adami actualem ipsam inobedientiam commississemus. Id quod falsum est. Volunt enim nos quidem eodem cum Adamo loco haberi, at non propter peccatum nostrum, (peccatum enim ab origine nobis inhærens nullum agnoscunt) sed quia sumus ab eo procreati, & de liberis idem quod de patre judicium fit. Itaque ab eorum sententia abest nostra toto cælo. Cæterum imputationem peccati Adami Socinus verbis negat, re ponit. Nam si idem fit de filio quod de Patre judicium, & hic judicatur peccator & dignus pœna, judicatur etiam pœna dignus esse filius: Ille quidem quia ipse peccavit, hic verò quia ejus pater peccavit. Id quod, ipso Viro Docto teste, est peccatum patris filio imputare, & quidem imputatione immediata; quippe cum hæreditariam corruptionem neget Socinus, sine qua mediata imputatio esse non potest. Adde quod eadem mors infligitur posteris Adami & Adamo. Ipsa autem pœna inflictio est Viro Docto

peccati imputatio. Reuera igitur Socinus negat imputationem mediatam quam agnosco; immediatam quam impugno verbotenus tantum negat, re autem ipsa affirmat.

GAR. *Alio deinde colore hanc posteriorem suam imputationem pingunt, cum addunt, nihil ob stare, quominus Adami peccatum nobis imputari dicatur, quatenus vitium nostrum hereditarium habitus est, quem primum actuale peccatum reliquit in Adami anima; deinde inclinatio ad similia peccata; tertio consensus habitualis ad illud peccatum.* Hæc verba ex secunda, quam ad eum scripseram, epistola vir Doctus deprompsit: sed de suo addidit voces *quatenus, deinde, tertio*, diuidens ea quæ conjunxi, ac ex vna ratione tres conficiens præter mentem meam. Locum ex illa epistola Gallicè scripta integrum ex scribam. Peccatum Adami dici potest nobis eius posteris imputari tribus modis. Primò, quia (vt innuit Calvinus, vitium quod ab Adamo in nos defluxit peccatum Adami vocans) intra nos est. Secundò, quia cum vitium hereditarium nos æquè morte æterna dignos ac Adamum faciat, nihil obstat, quominus peccatum Adami nobis eo sensu dicatur imputari, quo dixit Apostolus, si quis legem seruauerit, illius præputium in circuncisionem imputari, hoc est, eodem loco eum haberi ac si fuisset circuncisus. Tertio, quia corruptio hereditaria est habitus, quem primum peccatum in Adami anima reliquit, & peruersa inclinatio ad simile peccatum; ac proinde consensus habitualis ad illud peccatum, nihil video quod impediatur, quominus nobis imputari dicatur. Hunc vltimum modum, hanc vltimam rationem, Vir Doctus in tres discerpit, ac mutat quia in *quatenus*. Sed eum audiamus.

GAR. *Vbi primum illud mirari subit, quod imputari agnoscunt peccatum Adæ, quatenus corruptio nostra est habitus in Adami anima relictus. Hæc enim verba præferre videntur imputationem ipsius habitualis peccati Adæ. Quid autem horridius aut absurdius est, in eo quod dicimus, imputari nobis peccatum Adami actuale, quam quod hic verbis fatentur, imputari peccatum habituale; præsertim cum imputatio potius ad actus videatur referenda quam ad habitus?*

PLAC. Primum non dixi, imputari peccatum Adæ, quatenus corruptio nostra est habitus in Adami anima relictus. Tantum dixi, quia corruptio hæreditaria est habitus quem primum peccatum in Adami anima reliquit, & perterfa propensio ad ejusmodi peccatum, atque adeò consensus habitualis ad illud peccatum, causam me non videre, cur non possit dici nobis imputari, nimirum primum illud peccatum, quod corruptionem, quæ hæreditaria vocatur, in Adami anima reliquit. id autem aliud esse non potest quam primum illud Adæ peccatum actuale. Aliud enim nullum illam depravationem in Adami anima reliquit. Vides Lector, me imputationem illam, quam mediatam appello, referre ad peccatum Adæ actuale, ac rationem reddere, cur ob hæreditariam illam corruptionem dici possit nobis imputari. Sed quandoquidem Vir Doctus probat corruptionem, quatenus in Adami anima fuit, nobis imputari, vide quæso quid consequatur. Primum illa nostra erit, vt peccatum actuale, per imputationem; hoc enim est illius sententiæ consentaneum. Vultne igitur posteros Adami corruptos esse, vt loquitur, *interpretatiuè*, seu *imputatiuè*? Deinde, peto an corruptio, quatenus nobis inhaeret, nobis imputetur, necne? Si negas; igitur non est verè peccatum, non peragit nos reos. Si ais; igitur bis corruptio nobis imputatur, semel quatenus fuit in Adamo, iterum quatenus est in nobis. Ita magis rei sumus quam Adamus. Quis hoc credat? Denique peto an corruptio, quatenus hæsit in Adamo, imputetur nobis immediatè, an mediante corruptione? Si hoc, cur idem non dicitur de peccato actuali? Si illud, Ergo illius corruptionis Adæ, nostra corruptio pœna est: Cur enim non æquè imputati habitualis pœna sit, ac imputati actualis? Si ergo illius imputati pœna est, magis punitur in nobis peccatum habituale Adami, quam in ipso Adamo punitum est. In nobis enim, si viro Docto fides habetur, punitur inflictà corruptione, cum eâ pœnâ non fuerit corruptio Adami in Adamo punita. Postremò, Si nobis imputatur corruptio vt fuit in Adamo, vel nobis imputatur simul cum eius peccato actuali, vel ante,

aut post illud peccatum. Cur ante aut post illud imputetur, causa dici non potest. Si nobis simul imputatur, etiam simul cum actuali imputata fuit Adamo, cur non enim æquè simul illi ac nobis duo illa eius peccata imputata fuissent? Si ergo simul imputata fuerunt ipsi Adamo, eius corruptio non fuit pœna peccati actualis: fuisset enim semetipsa prior: antecedit enim imputatio pœnam; & prius imputata fuisset Adamo, quàm in eo fuisset. Id quod non obscurè contradictionem implicat. Sed pergat.

GAR. *Deinde, quâ ratione habitus ille in Adami anima relictus, dici potest peccatum nostrum hereditarium? habitus ille in Adami animâ, nonne diù est cum esse desijt? Quomodo igitur esse amplius potest, aut nobis subjectivè inharere? Imò quâ fieri potest, ut unus habitus, id. unum idemque numero accidens, in tam diversa, adeòque infinita pœnè subjecta transeat?*

PLAC. Dixi in genere corruptionem hereditariam esse habitum, quem primum peccatum in Adami anima reliquit; nempe ut in suo fonte, unde ad nos omnes propagatione naturali manavit. Nonne hoc verum est? Atqui diù est cum esse desijt, nempe in Adamo. Sed nondum esse desijt in Adami posteris. At quomodo habitus in Adami anima relictus dici potest peccatum nostrum? Eo modo, inquam, quo peccatum Adami dicitur à Caluino *intra nos esse*, & peccatum hereditarium dicitur *vetus Adam*, & natura Adami dicitur natura nostra, & quod seminatur esse id quod metitur. Nimirum habitus ille in Adamo relictus ab eo in nos propagatus est. Differt igitur numero peccatum nostrum ab Adami peccato, sed est idem specie, nec id tantùm, sed ab eo ducit originem quodam quasi naturali contagio. Si dixerò naturam humanam esse illam quæ creata est in Adamo, num inde sequetur, naturam humanam Adami, & nostram non differre numero?

GAR. *Est inclinatio ad peccata similia peccato illi primo Ada. Sanè vcrò; Sed & ad alia Adami peccata. An ideò dicemus, reliqua itidem Adami peccata nobis imputari? Imò nequaquam sufficiens est alieni peccati imputationis causa, ut nostrum peccatum eodem animum nostrum inclinet & flectat. Multi enim inclinationem, &*

naturalem quendam impetum habent ad similia aliorum peccata, sine omni omninò illorum imputatione. &c.

PLAC. Primò tribuit mihi argumentationem non meam. Hoc enim, vt dixi, conjunxi cum superiori, vt ex duobus illis tertium colligerem, in quo ratio imputationis potissimùm consistit. Id quod ex tertia illa ratione, quam ex literis meis se collegisse profitetur hoc eodem cap. 2. § x. pag. 35. 36. liquere potest. In ea enim copulantur ista tria quæ hoc loco diuisit sic vt duplex mutatio notari possit. Primò enim pro *corruptione hereditaria* reposuit *vitium in nobis inexistens*. Deinde omisit conjunctionem causalem *proinde*, adeò, aut similem, respondentem eo loco vocibus gallicis *par consequent*, quibus in illa epistola vsus fueram, & ex quibus apparet, rationem imputationis me petere à consensu habituali ad illud peccatum in corruptione hæreditaria incluso: hunc autem consensum ex eo colligere, quòd illa corruptio nihil aliud est quàm primi illius peccati actualis prauitas habitualis, quam in Adami anima reliquit, & quæ in nos propagata nos ad simile peccatum inclinat. Cæterum nescio, annon etiam hoc loco aduersus ipsius Domini verba disputare videatur, quæ habentur Matth. 23. 34. & Luc. xi. 50. 51. *Quid est enim, cur, exempli causa, non possint aliquomodo crudelia facinora Neronis ei, qui sit animo æquè crudeli & immani, imputari, quando quidem quominus eadem perpetret per ejus voluntatem non stat, æquè videlicet crudelem?*

GAR. *De habituali consensu quod ultimo loco dicitur, ad rem præsentem magis pertinet, sed tale tamen est, vt Virorum Doctorum causam euertat potius quàm stabiliat. Contendunt enim acriter ipsam Adami actualem inobedientiam nemini posterorum imputari, neminem ejus pœnas ferre, neminem propter eam reum haberi posse, & tamen fatentur esse in omnibus Adami posteris consensum habitualem ad illud peccatum. Quis non inde consequi videt, eam igitur inobedientiam primi parentis meritiò posse posteris imputari? Nam consensus in peccatum alterius, iuxta dictum Apostolicum, esse dignos morte, non modò qui mala ipsi patrant,*

sed & qui mala patrantibus consentiunt. Rom 1-32. *Vnde colligitur hæc argumentatio. Omnis consensus in alienum peccatum, iusta causa esse potest imputationis illius peccati. At consensus habitualis omnium posterorum Adæ, est aliquis consensus in peccatum actuale primum Adami. Ergo consensus habitualis, iusta ratio & causa esse potest, quare primum Adami peccatum omnibus ipsis posteris imputetur.*

PLAC. Itane argumentatio, quæ tota mea est, causam meam euertit? Itane contendo acriter ipsam Adami actualem inobedientiam nemini posterorum imputari, neminem ejus pœnas ferre, neminem propter eam reum haberi posse? Quid clarius, quàm me potiùs contendere eam Adami posteris imputari, eos eius pœnas ferre, propter eam reos haberi? Alioqui, quorsum seposui corruptionem hæreditariam à statu quæstionis? Cur imputationis immediatæ & mediatæ distinctionem attuli? Cur sic distinguendum censui attributum quæstionis, *Vtrum actualis inobedientia Adami nobis nascemibus imputetur?* Cur constituens statum controuersiæ ei limitationem ab illa distinctione petitam adhibui? Quorsum etiàm pertinent istæ ipsæ rationes, quas coniunctim proposueram & Vir Doctus disjunxit? Volui certè rationem reddere, cur peccatum aliquod nobis imputetur, nonne? Nimis diferta sunt verba mea quàm vt id possit negari. Quod ergo peccatum intellexi? Nullum potui, præter actuale primum Adami. Dixi corruptionem hæreditariam esse habitum, quem primum peccatum reliquit in Adami anima. nonne vides me aliud primum peccatum intelligere non posse, quàm actuale illud primum? Dixi illam corruptionem esse propensionem ad similia peccata, nempe similia illi primo actuali, alia intelligi non possunt. Dixi eam esse consensum habitualem ad illud peccatum. Quis non videt per illud peccatum me corruptionem non intelligere, sed actuale illud primum quo se ipse Adamus corripit? Eandem rationem, imputationis mediatæ in hoc ipso Manuscripto proposui his verbis. *Hujus enim corruptionis participatione communicamus peccato Adami, eique, vt ita loquar, habitualiter consentimus.* Quis non videt me peccatum Ada-

mi cui communicamus, cui habitualiter consentimus, distinguere à corruptione quâ ei communicamus & consentimus? Id autem aliud esse non potest quàm primum illud actuale Adami. Hoc igitur volui nobis imputari, & quidem ob istum ipsum habitualement consentum. Non igitur me mecum committit Vir doctus, sed cum animi sui figmento.

Posterior quæstio de hujus peccati imputati pœna etiam ipsa aliquam explicationem desiderat. Primum autem pœna distinguenda est; deinde separandus à nobis Adamus. Pœna dicitur vel propriè, vel impropriè. Propriè rursus multipliciter: sed nihil opus est omnia pœnarum genera quæ te nosse arbitror, enumerare, id enim cum longum esset, tum ad rem quam agimus inutile. Satis est tenere quo sensu corruptio hæreditaria pœna dicatur à te aliisque fratribus nostris, quorum sententiam aduersus me tueri vis. Nempe statuis esse pœnam strictissimè ac propriissimè sic dictam, cujus hæ sunt conditiones. 1. Lex eam comminatur. 2. Iustitia vt infligatur à Iudice exigit. 3. Iudex eam infligit vt fiat iustitia, siuè vt iustitiæ satisfiat. Itaque Vrinus in explicat. Catechet. Cum sibi objecisset *non debuisse Deum culpam Adami teli pœna punire*, respondit *fiat iustitia & pereat Mundus*. Ego verò talem esse pœnam & negavi in The-sibus & non possum impetrare à conscientia mea vt nunc quoque non negem. Scio hanc corruptionem seu cõcupiscentiam pœnam à Patribus appellari, nec non alicubi à Calvino, sed nego sensu ita proprio, ita stricto. Sed ob similitudinem quandam pœnæ nomen ei accommodatur. Vt enim pœna sequitur culpam & cum ea cohæret, sic corruptio hæreditaria secuta est culpam Adami atque ex ea nata est. Vt non

est in eius qui punitur potestate pœnam admittere, vel non admittere aut etiam excutere, sic ab alio corruptione ista afficimur, nec in nobis situm est eam non admittere, aut excutere. Vt pœna ejus cui infligitur conditionem mutat in deteriorem, sic hac corruptione inquinatus Adamus deterior, ignobilior, fœdior, miserior, quàm alioqui fuisset, euasit. Denique vt qui inflictam pœnam sentit, ingemiscit, & ab ea liberari percipit; sic qui hanc in se corruptionem deprehendunt & agnoscunt seriò, vehementer indolescunt & ægrè ferunt se hujus mali vinculis illigari. Has ob similitudines meritò tetrum istud & horrendum malum pœna dici potuit & dicitur à multis? Sed queritur inter nos duntaxat, num sit pœna sensu illo, quem explicauit, maximè proprio & stricto. Has duas quæstiones, quia tu non separasti, vt feret occasio, tua sequens vestigia, Deo fauente, tractabo.

C A P. I I I.

*Observata quedam in primo & secundo Capite
Tractatus, & alia laudata, alia refutata.*

PRIMO Capite tui tractatus statum quæstionis constituisti. Eo constituto Capite secundo digrederis ad probandum, *omnes homines esse infectos peccato originali, & idè omnibus hujus vite miseris & morti obnoxios.* quo consilio, equidem nescio. Nam tu ipse fateris extremis verbis cap. 2. nullam ea de re inter nos esse controuersiam: Et verò id ipsum The-sibus quas oppugnans probaueram, paucis quidem

verbis, sed argumentis multis & validis, robore & numero præstantibus, quorum quædam expoliuisti, quædam prætermisisti. Notavi autem inter legendum nonnulla digna obseruatu, vel quia vera sunt, sed causæ quam agis repugnantia, vel quia tam veritati quàm meæ sententiæ aduersari mihi videntur.

Laudo in primis quæ scripsisti non procul à fine Cap. 2. *peccatum illud Adami omnium malorum scaturigo, actuale & PERSONALE fuit in ipso, sed infecit naturam: & omnes homines eo inficiuntur, quia sunt ab eo secundum ordinem nature &c.* Dic mihi, amabo te, si peccatum illud personale fuit in Adamo, quo jure illud idem numero quod in Adamo fuit nobis omnibus imputetur? Tu Cap. x. dicis Deum in verbis illis Ezechielis, filius non feret iniquitatem Patris, *loqui tantum de peccatis externis & actualibus, & cum ejusmodi peccata sint personalia, personam tantum spectare.* Iam autem tu affirmas hoc loco peccatum illud Adami fuisse actuale & personale. Quis non inde concludat ergo peccatum illud tantum Adami personam spectabat, nec illud ferre filij eius debent? Quid sibi etiam volunt illa verba *in ipso*? opponunturne his *in ejus posteris*, vel *in nobis*? certè in nobis peccatum Adami non est personale, sed totius generis humani, (vno excepto Christo) commune: sed in nobis nihil aliud est quàm hæreditarium illud vitium, quo omnes infecti nascimur, quodque omnibus, nisi condonatum fuerit per Christum, imputatur.

Minus commodè idem dixeras. Cap. 1. *hec culpa vnus hominis fuit, sed pœna omnibus hominibus est communis &c.* Hoc discrimen obseruas inter culpam Adami & pœnam, quod culpa vnus hominis fuit, pœna

verò communis omnibus. Nonne vides quid sequatur, nimirum poenam non respondere culpæ; quippe, culpam enim non cōmunem vindicari poena communi: poenam ijs irrogari, quorum non sit culpa. Certè si poena est omnium, culpa tantum vnus, omnes, vno excepto, culpa vacant, quomodo igitur puniuntur iustè? Si culpa vnus hominis est, nec est communis omnibus, cur omnibus imputatur? Si eam dicas, cum vnus sit, imputatione fieri communem omnibus, non euades, primum enim quæ mea culpa non est, ea mihi imputari non debet. Non enim ideo mihi imputatur vt sit mea, sed contrà quia mea est, idcirco mihi imputatur: alioqui mihi imputatur falsò & iniustè. Deinde si culpa Adami mea non est nisi imputatione, fecit me Deus Iudex (cogitans horresco) sua imputatione peccatorem, non inuenit: est enim imputatio iudicis actus, non meus. Tolle imputationem, culpà illà vaco; mea etiam non est, sed fuit vnus hominis Adami: me igitur (vide quo ducat, ista imputatio & mecum cohorresce) iudex, hoc est, Deus fecit peccatorem ac reum, & causa est primi mei peccati, primi mei reatus. Denique de jure non magis ad me poena Adami pertinet quàm culpa. Si igitur culpa eius mea non est re ipsa, sed tantum imputatione, idem etiam de poena dicendum est. His ego absurdis non vrgeor, qui culpam volo esse tam communem omnibus, quàm poenam: communem inquam reapse, non imputatione sed propagatione, ac nobis imputari, quia intra nos est. Culpa autem illa est vitium originale nobis singulis inhærens, quam ipsam nolo propriè loquendo poenam esse ob eas causas, quas mox aperiam cap. sequente.

Laudo etiam hæc tua verba, *Quemadmodum fons infectus riuos etiam inficit, & sicut radix producit furculos secundum speciem suam, malos scilicet, si mala est, EODEM PRORSVS MODO primus homo corruptus & peccator genuit & protulit filios corruptos & peccatores.* Subsumo, atqui fons infectus inficit riuos & radix mala profert malos furculos ea tantummodò lege Naturæ, qua sibi quodque simile gignit. Cur igitur non idem statuis de primo homine, si nos *codem prorsus modo* corruptus corruptos genuit? Si lex ista naturæ sufficit ad peccati originalis propagationem ante peccatum constituta & sancita, quid est quamobrem eam dei iustitiæ, dei iudicis sententiæ imputes non sine magno meo scandalo, qui sic magnam Dei iustitiæ fieri iniuriam queror? atque huius rei ipsum propagationis nomen admonere potuit: est enim propagatio opus naturæ, quæ suas in ea leges sequitur, Deo, vt est naturæ author & conseruator, Leges illas suo concursu conseruante & constabiliente, pendent enim ex decreto, quod ordine naturæ decretum de lapsu permittendo mihi videtur antecessisse. Itaque posteriore decreto rescindi nec potuerunt, nec debuerunt.

Placet etiam mihi valdè, quod hanc labem & corruptionem in omnes homines transfusam & transmissam fuisse *clare nos doceri* affirmas Rom. 5. 12. 14. 15. 16. 19. quibus versibus græcè & latinè pro tuo more citatis, concludis *hæc manifestè probare primum illud hominis peccatum in omnes homines transfusum, & transmissum vniuersos infecisse, & morti addixisse.* Nam si illis versibus clarè docetur in omnes homines transfusa corruptio, contendo ex ijsdem illis versibus nulla ar-

te concludi posse, primum Adami peccatum actuale toti eius posteritati *proximè & immediatè* imputari. Id quod hæc nostra disputatio, Deo fauente, faciet liquidum. Interim quid est primum illud primi hominis peccatum in omnes homines transfusum & transmissum, nisi inherens omnibus ab ipso ortu labes & corruptio ab ea, quæ fuit in Adamo, numero differens? nam, neque ejus actio, quæ simul ac commissa est esse desit, in nos transfundi, neque imputatio, extra nos in dei mente facta, transfusio & transmissio in nos dici, neque inherens Adamo corruptio de subiecto in subiectum eadem numero migrare potuit. Memineris igitur te primi Adæ peccati nomine hereditariam corruptionem insigniuisse.

Laudo denique quod hoc vitium, & peccatum appellas, & sic vocatum ab Apostolo agnoscis, & morti homines vniuersos addixisse fateris, teque hortor vt in ea doctrina, quam Scriptura, & secundum scripturam Ecclesiæ omnes protestantium vnanimi consensu docent, perseueres constanter.

C A P V T IV.

*Rursus quædam obseruata & reprehensa
in eodem Cap. II.*

LAUDAUI quædam, Reuerende & dilectissime in Christo Frater, in secundo Capite Tui tractatus, Patere me etiam quædam refellere. Dicit enim quædam de spiraculo vitæ, de ligno vitæ, deque morte interminata Adamo, quæ, nec probo, nec quid mo-

menti ad id conferant, quod tu eo capite probare instituisti, satis assequor, refutata autem meam causam juuare possunt. Rem ab ovo vt aiunt exorsus obseruas, Deum inspirasse homini spiraculum triplicis vitæ, animalis, quæ est corporis per vnionem animæ illud viuificantis, spiritalis, quæ est animæ per vnionem Spiritus sancti illam sanctificantis, & beatæ, quæ est animæ & corporis per vnionem cum Deo vtrumque beatum reddentis. Idque hoc vno argumento probas, quia textus hebræus habet in plurali Numero חיים *vitas*. Quod mihi videtur debilissimum: passim enim vsurpatur plurale illud pro singulari, pro ea vna vita, quam tu animale[m] vocas: obuia sunt exempla: vide Gen. 3. 14. & 23. 1. & 25. 7. 17. & 27. 45. Ps. 17. 14. & 31. 11. Eccles. 2. 17. & 9. 9. Et passim alibi. Immo pro ea imperfecta, qualis est brutorum vt Gen. 7. 15. 27. quibus locis etiam brutis animantibus tribuitur חיים *spiraculum*, vt tu loqueris, *vitarum*, nec tamen, opinor, alia vita quam animalis, & quidem destituta ratione. Itaque interpretes omnes quos viderim, *vitam* verterunt non *vitas*, & vel nihil mysterij in plurali חיים quesierunt, vel putarunt eo innui eas *vitas*, quæ ad hominis essentiam & naturam sunt absolutè necessariæ, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, quæ Zanchij & Parei opinio est non contemnenda: quàm enim formatio Corporis, tam hæc quoque חיים inspiratio ad hominis fabricationem & compositionem, ac constitutionem pertinebat, ad quam etiam sanctitatem & beatitudinem, introductione Adami, postquam creatus fuit, in paradysum, auctam, libenter refero. Habebat enim se sanctitas ad animam, vt sanitas ad corpus. Itaque quem-

admodum in corpore non erat duplex vita, quarum altera posita esset in sanitate, sic non arbitror sanctitatem animæ augere numerum vitarum, quibus præditus fuit Adamus. Magnum enim discrimen observo inter Adami & nostram in Christo sanctitatem. Illa naturalis fuit simul cum natura humana & creata, & nisi amissa fuisset, propaganda secundum leges naturæ, ac propterea mutabilis: hæc verò pendet ex dono supernaturali Spiritus Sancti à Christo capite in nos eius membra delapsi, quo regeneramur, vivificamur, & veluti animamur ac regimur. Sanctitas Adami conditio erat eius vitæ Adami, quam animalem appellas, sine qua creari non potuit à Deo justissimo sanctissimoque, & qua fiebat ut Adamus esset bene comparatus ad objecta naturalia. Nostra tota pendet à revelatione supernaturali, tota tendit in objectum supernaturale, nosque supra conditionem illam naturalem & animalem & mutabilem Adami longè euehit. Itaque natura diuina à Petro appellatur, & imago gloriæ Christi à Paulo. Sed hæc obiter: nihil enim faciunt ad rem quam agimus.

2. Pet.
1. 4.
2. Cor.
3. 18.

Eodem nixus plurali \equiv non vis arborem vitæ certam spem fecisse Adamo harum vitarum continuandarum. Atqui non potuit certam spem fecisse continuandæ sanctitatis, in qua vitam spiritualem ponis. Hanc enim continuationem Deus ab Adamo exigebat, non ipsi promittebat: qui si eam promississet: fecisset procul dubio Adamum impeccabilem: fuisset enim promissio ridicula, efficiam ut perseueres in sanctitate & iustitia, modo ne pecces.

Huic triplici vitæ triplicem opponis priuationem seu mortem denunciatam à Deo Adamo ut pœnam

verbis, *morte morieris*, asserisque *hominem*, prout *Deus minatus fuerat*, mortuum esse. Ego verò (pace tua & aliorum, qui sic tecum sentiunt,) non possum verba illa *morte morieris* ad mortem spiritualem seu priuationem iustitiæ & sanctitatis transferre. Audi, si placet, rationes meas, & expende: nam, nisi me fallit animus, non sunt de nihilo.

Prima ratio. Comminatio opponitur tacitæ promissioni, poena præmio, mors denunciata vitæ promissæ. Atqui vita tacitè promissa Adamo non erat iustitia seu sanctitas, nisi velis promissionis conditionem cum re promissa confundere. Ergo mors denunciata non erat priuatio iustitiæ.

GAR. Resp. *Minorem non esse simpliciter veram, si audiatur* Cap. 8:
Cameropraelect. de verbo Dei cap. 7. Summum hominis bonum est § 31
 » *animi & corporis, adeoque totius hominis status perfectus atque* pag. 274
 » *omnibus numeris absolutus, nihil ut ultra requiri vel debeat, vel*
 » *possit amplius. Hic verò status & conditio est imago Dei. Caterum*
 » *imago Dei in duobus sita est, in sanctitate, & qua sanctitatem se-*
 » *quitur, beata immortalitate. Si vita promissa Ada erat status ipsius*
 » *perfectus, & ea vita consistit in sanctitate. Ergo vita promissa con-*
 » *sistebat in sanctitate. Nec aliter Clar. Amyraldus, De trib. fæder.*
 » *Thef. II. Promissio fæderis illius primi consistere debuit in vitâ*
 » *perpetuâ, & affluente omni bonorum genere, qua tum in animum,*
 » *tum in corpus hominis competere potuissent. Iustitia autem & san-*
 » *ctitas nonne inter animi bona censeri debent?*

PLAC. Quis non videt à præstantissimo Camerone describi eo loco, non vitam quatenus promissa Adamo sub perfectæ obedientiæ conditione fuerat, sed absolutè summum hominis bonum, quale Dei verbo seu Euangelio promittitur? Differt autem admodum id quod fædere gratiæ promittitur, ab eo quod fædere naturæ promittebatur Adamo. Quis etiam non videt, Clariss. Collegam D. Amyraldum bona intelligere, ut ita loquar, physica, non autem ea quæ merè moralia erant, quorumque continuatio exi-

gebatur ab Adamo? Itaque inseruerat hæc verba, *in statu integra natura constituti*, & subjunxerat *ista eaque in paradiso Terrestri fruenda*, quæ cur sint à Viro Docto omissa, aliis iudicandum relinquo. Innuunt certè supponi integritatis moralis Naturæ conseruationem, promitti reliquorum omnium bonorum in paradiso Terrestri fruendorum continuationem. Nam, vt Minorem negatam probem, si comminabatur Deus Adamo tanquam pœnam, amissionem seu priuationem iustitiæ originalis, certè pollicebatur tanquam præmium, non-amissionem seu conseruationem iustitiæ originalis, quomodo igitur fieri potuit vt eam Adamus amitteret? Pollicebatur, inquires, sub conditione. Quanam? si perseueraret in integritate & iustitia? Si permaneret in obedientia erga Deum? Si non peccaret? Quocunque nomine eam voces, idem erit cum re promissa, & conditio promissionis cum re promissa confundetur.

GAR. *Hoc iterum insciamur. Quia iustitia & sanctitas Adami duplex constitui potest. Altera naturalis, altera supernaturalis: altera viæ, altera patriæ; altera hominis creati, altera hominis glorificati. Iustitia naturalis & hominis creati que iustitia viæ dici potest, erat conditio promissionis; sed supernaturalis, & hominis glorificati, quam dicimus iustitiam patriæ, erat res promissa.*

PLAC. Hac responsione sibi Vir Doctus apertè contradicit, & cùm videatur respondere, non respondet tamen, sed dat manus. Agebatur enim de iustitia originali, vt patet ex meo argumento. Vtra igitur duarum illarum, quas distinxit, iustitiarum est iustitia originalis? Num illa *supernaturalis, patriæ, hominis glorificati*? Non certè. Non enim illa Adamus priusquàm peccaret præditus erat: non illam erat propagaturus in posteros. Est igitur iustitia *naturalis, viæ, hominis creati*, iustitia originalis de qua agebatur in argumento? Atqui Vir doctus confitetur hanc iustitiam fuisse conditionem promissionis. Confitetur ergo non fuisse promissam: id quod probare institueram, & ipse negauerat. Quod si non fuit promissa, eius priuatio non fuit mors comminatione denunciata. Id quod mihi probandum in-

cumbebat. Caterum libenter quæsiuerim, vnde habuerit Vir Doctus fœdere naturæ, cujus conditio fuit iustitia naturalis, promissam fuisse iustitiam supernaturalem? Id ne alicubi dicit Scriptura? An potest ratiocinando ex Naturæ contemplatione colligi? Quæro etiam vnde habuerit, Adami, qui è terra fuit, terrenus, & cujus paradysus fuit in terra, patriam non fuisse terram? Tollere certè videtur discrimen inter fœdus naturæ & fœdus gratiæ, primum hominem & secundum, & aliquid docere, immò Dei voluntatem quandam & promissionem confingere præter Scripturam. Id quod omni Christiano, præcipuè inter Reformatos Theologiæ professori summâ curâ vitandum est.

Secunda; Hoc potest illustrari & confirmari promissione & comminatione fœderis legalis. Pollicebatur vitam, *hoc fac & viues*. Quam? ipiritualem illam positam in iustitia & sanctitate? nihil minus: eius nec initium, nec progressum, nec continuacionem lex promittebat, sed exigebat. Promissiones fœderis legalis erant conditionales. Conditio erat perfecta Iustitia perpetuò conseruata. Sub hac conditione promittebatur vita. Quare vita promissa non potuit sita esse in præsentia iustitiæ. Iam autem mors, quam lex comminabatur, opposita erat formaliter non conditioni, sed vitæ promissæ: non consistebat igitur in absentia seu priuatione iustitiæ.

PLAC. Hanc secundam rationem D. Garissolius alto Silentio præterit.

Tertia; violatio conditionis siue præcepti non est pœna transgressori denunciata. Sed priuatio iustitiæ est violatio conditionis seu præcepti. Ergo non est pœna transgressori denunciata. Major probatione non eget: Minorem sic demonstro. Quod lex prohibet, id legis violatio est. At lex prohibet absentiam

justitiæ in homine (tàm certè quàm jubet hominì justitiam inesse.) Ergo absentia justitiæ (quæ tibi mors est spiritalis) violatio est legis.

GAR. Respond. De majore litem hîc non moueo : disputabitur inferius, an violatio præcepti diuini, quæ peccatum est, possit esse pœna peccati. Ad minorem dico, distinguendam esse priuationem justitiæ, ut aliam actiuam nominemus, aliam passiuam. Actiua est, quâ homo ipse malè agendo justitia seipsum spoliatur, qua Deus illum impertinuerat : passiuam qua Deus hominem justitia priuat, & donis quibus ipsum cumulauerat. Si ergo agnoscimus priuationem actiuam justitiæ idem esse cum violatione legis ; de priuatione tamen passiuâ id meritò negabitur.

PLAC. Quod de majore litem hîc non mouet, prudenter facit : nam præter tres illas rationes, quæ sequuntur in Manuscripto, ad quas nihil respondit, violatio conditionis seu præcepti prima nec antecedentis peccati pœna esse potest, cum sit peccatum primum, nec sui ipsius, cum non possit posterior esse seipsa : & ridiculè apponeretur præcepto comminatio, quæ minaretur fore ut violetur præceptum, si violetur. Minorem argumento confirmaueram, quod illi visum est tutius silentio tegere, quàm attingere. Potest etiam sic probari. Peccatum est violatio legis. Priuatio justitiæ in homine, est peccatum. Ergo priuatio justitiæ est violatio legis. Quid clarius ? At ille distinguit priuationem justitiæ in actiuam & passiuam : illam qua homo ipse malè agendo justitia seipsum spoliatur, hanc qua Deus hominem justitia priuat : illam fatetur esse violationem legis, hanc negat. Ex quo sequitur, hanc, non illam, legem esse suo violatori comminatum. Consideremus igitur paulò attentius illam distinctionem. Rectè sanè priuatio justitiæ *actiua* dicitur respectu priuantis se justitiâ hominis : actiua enim dicitur respectu agentis. Sed *passiua*, cur non similiter dicitur respectu priuati seu patientis hominis ? Nam ut priuans respondet priuato, agens patienti, actio passioni, ita videtur priuatio actiuè sumpta esse priuantis, passiuè verò priuati ? Cur ergo passiuam tribuitur Deo, qui priuat hominem justitiâ, non priuatur vllò modo ? Hoc primum. Deinde

de si se homo ipse priuat iustitia, nonne hoc satis est vt sit iustitia priuatus? Quid opus est, vt postquam sese ipse priuauit iustitia, Deus eum priuet iustitia? oportet enim hanc priuationem illâ posteriorem esse, siquidem illa est violatio legis, hæc illam violationem consequens pœna. Præterea, quæro, priuatio iustitiæ originalis quatenus fuit in Adamo, aut est in nobis omnibus, qualis sit priuatio? si est actiua, habeo quod volo, est violatio legis, non autem pœna lege denunciata. Si est passiuæ, non est violatio legis, non est peccatum, sed pœna tantum. Id quod est negare peccatum originale. Denique, Docet-ne alicubi Scriptura Deum priuasse Adamum iustitiâ? Quomodo ergo ausus est Vir Doctus id asserere? Certè, qua ducor erga Deum reuerentia, ferre non potest mea conscientia illam assertionem. Nam qui priuat hominem iustitia, facit eum injustum ejusque iniustitiæ causa est. Id quod vel suspicari de Deo mihi nefas esse videtur. Sed secundam affert Vir Doctus responsionem, qua tollit id quod dedit: eam audiamus.

GAR. 2. *Si rem diligenter attendimus, patebit priuationem actiuam iustitiæ, qua scilicet homo amittit iustitiæ & eam seipsum spoliatur, non esse formaliter idem cum violatione præcepti diuini. Itaque verum quidem erit in sensu causali violationem diuini præcepti esse iustitiæ priuationem, quia scilicet ex violatione consequitur illa priuatio; quo sensu dicitur dolor esse solutio continui, quia ad solutionem continui sequitur: sed in sensu formali non erit verum, ita scilicet vt reapse vnum idemque sint, nec differant, nisi nominibus.*

PLAC. Ego verò existimo, priuationem pro distinctione termini seu formæ, cujus est priuatio, distingui debere. Est autem iustitia duplex, actualis nempe, & habitualis. Forma mali moralis, seu peccati collocari solet in priuatione boni. Iustitiæ igitur actualis priuatio est formaliter peccatum actuale; iustitiæ verò habitualis priuatio est formaliter malum seu peccatum habituale. Nonne? Cùm ergo actualis violatio legis formaliter opponatur iustitiæ actuali, hoc est, inobedientia obedientiæ, necesse est vt actualis violatio legis sit formaliter actualis priuatio iustitiæ, & cùm

habitualis violatio legis seu inobedientia formaliter opponatur habituali iustitiæ seu obedientiæ, necesse est ut ipsa quoque sit formaliter priuatio iustitiæ habitualis, atque aded peccatum habituale. Sed contrà disputat Vir Doctus tribus rationibus.

GAR. *Etenim 1. non unum idemque sunt, quorum unum idem homo eodem tempore velle potest, & alterum nolle. At ita habet in hac causâ. Adamus enim de fructu interdito comedens, volebat violare Dei præceptum, sed nolebat iustitiam suam & prerogativas amittere.*

PLAC. *Vtraque propositio est falsa; Major quidem; potest enim unum idemque homo idem eodem tempore ob diuersas rationes velle & nolle. Idque euenit frequenter: inde hæsitatio, & deliberatio, & pugna nonnunquam inter cogitationes volitionesque nostras. Deinde est voluntas rectæ rationi conformis, & est voluntas errans & rectæ rationi repugnans: hæc secum ipsa nonnunquam pugnat. Denique nemo vult malum quâ malum formaliter, hoc est, quatenus est priuatio boni. Itaque mirum videri non debet, si Adamus priuationem iustitiæ formaliter non voluit. Ita enim peccatû suum voluisset sub ratione mali. Quod etiam in Minore ait, Adamum, voluisse violare Dei præceptum, Materialiter tantum, ut sic loquar, non formaliter verum est. Voluit enim id quod erat violatio præcepti Dei, sed non sub ratione violationis præcepti diuini, sed sub ratione magnæ cuiusdam bonitatis sibi falsò apparentis. Quod si formaliter volebat violare Dei præceptum, & tamen nolebat iustitiam suam amittere, stultus erat, putans separari posse, quæ separari nullo modo poterant.*

GAR. *2. Ea non sunt unum & idem, quæ reapse possunt separari. Atqui potest aliquis violare legem, qui tamen propterea iustitiâ suâ habituali actu non priuabitur, quod patet exemplo fidelium, qui subinde peccant, nec tamen priuantur eâ iustitiâ, quam Deus spiritu suo in ipsorum cordibus operatus est.*

PLAC. *Conclusionem non expressit: haud enim ex duabus illis præmissis cõcludi potest id quod ei probandum incumbbat. Agitur enim non de omni violatione legis, sed*

de tali, nempe prima illa Adami, nec de qualibet priuatione iustitiæ, sed de priuatione iustitiæ qua præditus erat ante lapsum Adamus. De hac enim violatione & priuatione intelligenda est argumenti mei propositio minor. Aut igitur vniuersalem esse oportebat Viri Docti Minorem, aut nominatim de illa priuatione & violatione intelligi. Neutrum cum sit factum, nihil potest concludi mihi repugnans. Deinde simili argumento possent infinitæ propositiones verissimæ refelli, etiam ista, homo est animal. Nam ea non sunt vnum & idem quæ reapse possunt separari. Atqui potest aliquid esse animal, nec tamen esse homo. Distinguo tamen vt supra iustitiæ priuationem. Est enim priuatio iustitiæ actualis & priuatio iustitiæ habitualis? illa est violatio legis actualis, hæc habitualis. Sed rursus distinguenda est iustitia: accipi enim potest vel forensi significatione vel morali. Vtraque rursus vel est legalis vel euangelica. Iustitia forensis legalis, quia consistit in perfecta totius vitæ conformitate cum lege, vel vnica legis violatione amittitur. Vna enim ad condemnationem sufficit. Euangelicæ dispar est ratio: cum enim in remissione peccatorum consistat; Palam est violationem legis non excludere remissionem peccati. Iustitia verò morali sensu accepta opponitur, vt dixi, violationi legis, hoc est, iniustitiæ, actualis quidem actuali, habitualis verò habituali. Sed quæritur an violatio actualis inducat necessariò priuationem iustitiæ habitualis? Distinctione opus est. Dispar enim est ratio habitus iustitiæ naturalis seu legalis, qualis ponitur esse in Adamo, & habitus iustitiæ supernaturalis seu euangelicæ. Illa enim nec spem includit remissionis peccatorum, nec aliundè pendere videtur quàm à facultate hominis naturali. Itaque violatione legis amittitur. Hæc verò quia fidem ac spem remissionis peccatorum includit, & pendet ab alio principio quàm humano, nempe à Spiritu regenerationis Sancto, & Decreto electionis, simplici legis violatione non excutitur. Est etiam violatio legis duplex: vna est vniuersalis à Deo *ἀνομία*, seu mutatio finis vltimi, altera, particulare quodvis peccatum. Illam habitum iustitiæ delet, hæc lædit qui-

dem, at non destruit. Cùm ergo iustitia Adami legalis ac naturalis esset, ejusque peccatum vniuersalis quædam à Deo apostasia, seu finis vltimi mutatio, fieri non potuit, quin simul ac peccauit iustitia priuaretur, nec opus fuit, vt Deus iudiciaria aliqua actione eum iustitia priuaret.

- G A R. 3. *Denique sicut actus illi, quibus habitus comparatur, non sunt ipsa habitus acquisitio, sed ad eos consequitur acquisitio: ita etiam actus, quibus excutitur habitus, non sunt ipsa habitus priuatio, sed ad eos consequitur illa priuatio. Frustra ergo jactat Vir Doctus in Thesisibus suis de statu hom. lapsi ante Grat.*
- 23 *Th. 24. Nos hoc ipso iustitia priuari, quod legem transgredimur,*
- 23 *& hac ipsa mutatione, qua corruptio introducta est in Adamum,*
- 23 *ab eodem expulsam esse iustitiam. Etenim si intelligit transgressionem legis esse causam meritoriam priuationis iustitie, facile agnoscimus. Si putat transgressionem legis & priuationem iustitie, nihil inter se differre omninò, non probamus: quia transgressio legis est actio, priuatio iustitie passio est: at pati & agere plusquam verbis differunt: Et Deus animas hominum creat iustitie originalis decoramento destitutas, qui tamen creando non facit legis preuaricantes. Sic expulsio iustitie est antecedens ad corruptionem, & corruptio consequens ad expulsionem iustitie: antecedens autem & consequens, nonnihil differunt inter se, vt opinor: Et Deus hominem concessis creatione donis spoliauit, quem tamen non corrupit.*

P L A C. Aberrat etiam hæc responsio ab argumenti mei propositione minore, Cùm enim dixi, priuationem iustitiæ esse violationem conditionis seu præcepti, id ita accipi debuit, vt priuatio iustitiæ actualis esse intelligeretur violatio actualis, & priuatio iustitiæ habitualis, violatio habitualis. Sed videtur habituale peccatum Vir Doctus nullo ferè loco habere. Itaque non frustra est quod me jactasse dicit in Thesisibus: quo verbo, seu jactationem seu jactantiam significet, cur vteretur quam ei ansam præbuerim non possum videre. Diuisi autem quæ conjunxit, hocque dilemmate sum vsus. *Si iustitia sumitur sensu forensi, nonne cā priuamur hoc ipso quod legem transgredimur?* In hoc dilemmatis membro quid reprehendat, aut reprehendi possit, non intelligo. Sequitur alterum; *Si sensu morali: Annon hac ipsa*

*mutatione, qua corruptio contraria iustitiæ in Adamum introdu-
 cta est, ab eodem expulsa est iustitiæ, haud aliter quàm obtene-
 bratione aëris expellitur lumen, aut frigefactione calor?* In his
 quoque verbis meis quid reprehendit? Si intelligo trans-
 gressionem legis esse causam meritoriam priuationis iustitiæ
 facile agnoscit. Hoc verò si intelligerem mecum ipse pu-
 gnarem, qui hoc, de quo agitur, argumentum assero, ut
 probem priuationem iustitiæ originalis non esse pœnam
 propriè dictam. Certè transgressio legis iniustitiæ seu pri-
 uatio iustitiæ est; Iustitiæ, inquam, actualis si est actio vel
 actionis omissio, habitualis verò si est habitus: transgre-
 dimur enim legem non solùm actione, sed etiam habitu.
 Si puto transgressionem legis & priuationem iustitiæ nihil
 inter se differre omnino, non probat. Ego verò nihil aliud
 volo, quàm ut propositio mea vera sit, siue attributum &
 subiectum nihil omnino differant, siue differant nonnihil.
 Nam propositiones, homo est animal, homo est risibilis,
 veræ sunt, quamvis subiectum & attributum plusquàm no-
 minibus differant. Sed quomodo probat differre? trans-
 gressio, inquit, legis est actio. Omnisne transgressio? non
 habitualis, ut opinor, nec ea actualis, quæ in omissione
 actionis consistit. Sed pergat. Priuatio iustitiæ passio est.
 At modò distinguebat priuationem in actiuam & passiuam.
 Est-ne igitur priuatio actiua passio? non fit veri simile. Pas-
 siua quoque, est ne passio? at dicitur respectu Dei qui om-
 nis passionis est expers. Certè priuatio formaliter non est
 passio, sed reducitur ad prædicamentum formæ seu termi-
 ni cuius est negatio. Hoc docent omnes Logici. Passio non
 minus quàm actio transit; Priuatio verò permanet, etiam
 postquam actio & passio deserunt esse. Passio formaliter
 est ens reale, & per se est in prædicamento, priuatio nec
 formaliter est ens sed negatio potius, nec in prædicamento
 nisi reductiuè. Mitto alias differentias inter passionem &
 priuationem. Adde posita actione, cuius terminus sit ac-
 cidens, poni necessariò passionem; hancque ab illa non
 realiter differre, sed respectu tantùm & ratione. Quod
 subiungit, Deus animas hominum creare iustitiæ origina-

lis decoramento destitutas, qui tamen creando non facit legis præuaricatrices, illud quale sit considerari oportet. Nam creat quidem animas iustitia priuatas, sed sic tamen, vt huius priuationis autor non sit, eam ipsæ contrahant à corpore. Alioquin enim eas, si priuaret iustitia, faceret iniustas. Nam inter iustum & iniustum, sanctum & pollutum in subiecto capaci nullum est medium. Quid porro est, quod addit, *Sic expulsio iustitiæ est antecedens ad corruptionem, & corruptio consequens ad expulsionem iustitiæ?* Primò enim expulsio iustitiæ, præsupponit iustitiam præexistentem in subiecto vnde expellitur. Non fuit autem originalis iustitia nisi in solo Adamo. Ab eo igitur solo expulsa est. Deinde quis credat Deum ab homine iustitiam expellere, ac propterea quòd ab eo expulsa sit, ei irasci? Item Deum causam esse priuationis iustitiæ, nec tamen esse causam corruptionis? Perinde enim est, ac si eum dicerem, qui tollit à corpore rectitudinem, non esse causam obliquitatis, aut qui tollit à corpore humano sanitatem, morbi causam non esse. Mihi quidem certè videtur nec corruptio moralis absque priuatione iustitiæ, nec priuatio iustitiæ absque corruptione morali consistere vllò modo, aut intelligi posse? Nam siue priuatiuè iustitia & corruptio opponuntur, hæc illius priuatio est; sine contrariè, expellunt sese mutuò ex eodem subiecto capaci, & quidem immediatè. Nullum enim medium concipi animo potest inter iustitiam & iniustitiam, virtutem & vitium, rectitudinem & obliquitatem &c. in subiecto capaci.

Noli mihi obijcere peccatum esse interdum pœnam peccati. Primùm enim non est pœna quatenus peccatum, nisi velis duas species mali oppositas inter se confundere, sublato inter malum pœnæ & culpæ discrimine. Priuatio autem iustitiæ in nobis, quæ talis, formaliter peccatum est; repugnat enim legi. Deinde id non est accipiendum de pœna propriè & strictè accepta, qualem lex comminatur & iustitia necessariò exigit vt sibi satisfiat. Quis enim credat Iusti-

tiam exigere vt iustitia violetur ? satisfieri iustitiæ eo quo iustitia læditur ? solui pœnæ debitum eo , quo debitum illud augetur ? Adiungi præcepto , ne violetur , comminationem pœnæ sitæ in violatione præcepti ? pergo igitur.

Quarta ratio, pœna propriè dicta siue mors quam lex comminabatur sequi debuit quæstionem ac iudicium Dei de violatione illius legis. Sed priuatio iustitiæ siue mors spiritualis quæstionem ac iudicium Dei de violatione legis sequuta non est , sed antecessit: non fuit igitur pœna propriè dicta, siue mors quam lex comminabatur.

Quinta denique ratio , (cæteras enim differre , & in alium locum conferre satius erit.) Si lex Adamo mortem sitam in priuatione iustitiæ comminabatur, Adamus (vt tu asseris) *prout Deus minatus fuerat, Mortuus est.* Id autem mihi falsum videtur. Nam primò, Tu , opinor, fateris Adamo condonatum fuisse primum illud peccatum , numerando alioquin inter damnatos : non igitur , prout Deus minatus fuerat, mortuus est. Pugnant enim hæc duo , condonari peccatum & puniri secundum legem. Deinde , Tu per mortem denunciata comminatione tam mortem corporis & æternam intelligis , quàm spiritualem illam. Pertinebat igitur æquè ad veritatem comminationis & iustitiam , vt , quo die legem violauit, eodem tam corporeâ & æternâ morte, quàm spirituali moreretur. Tamen eodem die neutram passus est , æternam autem nunquam subijt, aut subibit. Cur non potuit Adamo mortis spiritualis æquè ac æternæ pœna condonari ? aut saltem differri ? His accedat Scripturæ Testimonium : colligens enim summam

annorum vite Adami Gen. v. v. 5. non contenta
 iis verbis, quibus in similibus computationibus solis
 vsa est constantissimè, interseruit hæc duo, אַשֶׁר הוּא, pro-
 culdubiò nec frustra, nec temerè: quo tamen perti-
 neant non video, nisi vt innuatur, Adamum, vt fe-
 rebat diuina comminatio, non fuisse mortuum, sed
 vixisse; quod aliundè quàm à Dei gratia, & domini
 nostri Iesu Christi satisfactione proficisci non potuit.
 Hoc ipsum etiam ex eo potest intelligi, quòd senten-
 tia Adamo lata in paradiso non fuit definitiua, sed
 quasi interlocutoria, dans spatium homini ad resi-
 piscendum, dilato post mortem extremo iudicio, ac
 interim conditionem hominis definiens, mediam
 quodammodo inter damnatum & absolutum. Hinc
 factum est, vt, neque Deus hominem pronunciauerit
 maledictum, quemadmodum serpentem, sed terram
 duntaxat, Et quamvis morti corporeæ eum addixe-
 rit sententiã, tamen circumlocutione vsus sit, nec mor-
 tem eam appellare voluerit, ne videretur per-
 tinere ad Comminationis legis executionem. Fuit
 igitur iudicium illud, non extremum (hoc enim A-
 damo post mortem subeundum fuit iuxta illud Apo-
 stoli, *statutum est hominibus vt semel moriantur, postea
 verò iudicium* heb. 9.) sed præmissum extremo in
 aliud tempus dilato. Videtis Thesium mearum de
 lapsu Adami vltimam. Si igitur Deus pro summa sua
 misericordia & sapientia comminationis illius execu-
 tionem distulit, ac suspendit ex alio iudicio post se-
 parationem animæ à corpore futuro, fatendum est A-
 damum non fuisse, prout ferebat legis commina-
 tio, Mortuum. Itaque comminationem illam de spi-
 rituali morte posita in priuatione iustitiæ non esse
 intelligendam,

intelligendam, quam ego arbitror ipsa morte æterna deterius malum esse.

G A R. *Additur & tertia ratio. Si lex Adamo mortem sitam* Ibid c. 8. § 35. P. 277.
in priuatione iustitiæ comminabatur, Adamus, prout Deus commi-
natus erat, mortuus fuerit, quod falsum; cum inter damnatos
non sit computandus. Item, cum mors illa æternam, corporalem,
& spiritualem complectatur, qui nunquam sensit æternam, nec sta-
tim sensit temporalem, quomodo spiritualem, nempe priuationem
iustitiæ statim incurrisset? Respond. 1. Qui mortuus est morte sitâ
in priuatione iustitiæ, si in ea perseueret, usque ad finem, inter dam-
natos computandus est. At non ita factum Adamo, qui fide in semen
benedictum ex illa morte spiritali in vitam spiritualem excitatus
est, ut sit omnibus electis, quos mortuos in peccatis placet Deo uiuifi-
care in Christo, Ephes. 2. 5. 6.

P L A C. Cur hanc rationem, cùm sit quinta, tertiam vo-
 cet, causam nullam video, nisi quia, cùm duas præteriiisset, se-
 cundam & quartam, videri tamen noluit vllam prætermisisse.
 Quatuor etiam rationibus minorem huius argumenti quinti
 confirmaueram: ex quibus solas priores duas tibi objicit, sed
 ita contractas, præsertim primam, ut vix eam agnoscam. Ad
 hibet autem responsiones duas, quibus argumentum firmare
 potius videtur, quàm infirmare. Priore rationem reddit, cur
 Adamus non fuerit damnatus. Concedit igitur, (quæ minoris
 argumenti mei confirmatio erat) eum non fuisse damnatum. Sic
 enim se habebat argumentum meum; Si lex Adamo mortem
 sitam in priuatione iustitiæ comminabatur, Adamus secundum
 legis comminationem punitus est. Atq; i Adamus secundum
 legis comminationem punitus non est. Ergo Lex non commi-
 nabatur Adamo mortem sitam in priuatione iustitiæ. Quid
 respondet Vir Doctus ad Majorem? Num eam negat? Num
 distinguit? Num ei limitationem adhibet? Nihil prorsus res-
 ponder. Eam igitur concedit. Ita videtur. Potest tamen li-
 mitari: cùm enim præter illam priuationem, etiam corporis
 & æternam mortem lex minaretur, Adamus secundum legis
 comminationem partim punitus fuisset, partim non fuisset
 Punitus fuisset illa priuatione seu morte spiritali, non fuisset
 punitus morte corporis & æterna. Sed hæc limitatio argumen-

to nihil nocet. Punitus enim saltem fuisset pœnâ aliquâ proprièdictâ, seu judiciariâ quam Lex comminabatur, & quidem pœnâ maximâ. Id autem est falsum. Fecit enim ei Deus gratiam peccati. Non punitur autem cui peccatum remittitur, cui peccatum non imputatur, qui justificatus est à peccato. Nam si partim puniretur, partim non puniretur, etiam ei partim peccatum remitteretur, partim non remitteretur, & partim iustificaretur, partim non iustificaretur; imperfectaque esset justificatio, id quod Evangelicorum nemo dixerit. Cùm tale sit argumentum meum, vides, lector, hanc priorem Viri Docti responsionem illius neque majorem, neque minorem labefactare. Pergat igitur.

GAR. 2. *Nihil in eo mirum quòd Adamus & statim à peccato privationem justitiæ incurrit, & nec aternâ morte damnatus est, nec temporalem statim sensit. In spiritualem statim incurrit, ita volente Deo, ne si statim in eum non incurrisset vlla species mortis, videri posset Adamo verior Satana promissio, non moriemini omnino, quam Dei comminatio, morte moriemini; & in peccato consenscens Adamus de seriâ pœnitentiâ & conuersione ad Deum fortè non cogitasset: sed pupugit eum presentis pœna sensus, ut ad Deum respiscendo rediret, quem rebellando deseruerat. Mortem verò temporalem non statim incurrit, ut pœnitendi tempus ipsi concederetur, quod nullum est post mortem. Hanc pœnam eodem quo peccauit die Adamus luisse, nisi visum fuisset Deo ob futuram Christi satisfactionem, spatium dare generi humano ad agendam pœnitentiam, inquit Vir Doctus Disput. de lapsu Adami Thes. vltima. Denique aternam omnino non incurrit, quia erat inter electos Dei, in quos infernus, nihil habet juris. Apocal. xx. 6.*

PLAC. Hæc posterior responsio ad secundam Minoris argumenti mei confirmationem spectare videtur: Sed primò eam non attingit; Deinde sese ipsa contradictione implicat; Denique se præbet ridiculam. Sic enim se habebat illa confirmatio, ut eius vim explicem, Cui, quo die peccauit, non est inflicta mors corporis, nec aterna, is non est eo die, sicuti Deus minatus fuerat, mortuus. Atqui Adamo, quo die peccauit, non est inflicta mors corporis, nec aterna. Ergo Ada-

mus non est eo die, sicuti Deus minatus fuerat, mortuus. Nihil potest responderi, nisi, ei quidem inflictam non fuisse mortem corporis & æternam, sed tamen inflictam fuisse mortem animæ positam in priuatione iustitiæ. Sed contrà sic insto. Si inflicta ei fuit mors animæ, idè ei inflicta fuit, quia id exigebat comminatio. Sed non idè ei inflicta fuit, quia id exigebat comminatio. Ergo ei inflicta mors illa non fuit. Major negari non potest. Minorem probo. Si idè ei inflicta fuit mors animæ, quia id exigebat comminatio, etiam ei inflictæ fuerunt mors corporis & æterna, quia hoc non minùs exigebat comminatio. Attamen hæc mortes non sunt ei inflictæ. Ergo mors animæ non est idè ei inflicta, quia id exigebat comminatio. De minore nulla lis esse potest. Major, quanquam apertè vera est, tamen eo confirmatur, quòd non minùs mortem corporis & æternam Deus comminatus fuerat quàm spirituales. Hæc igitur si Dei veritas, & iustitia exigebant vt eo die Adamo infligeretur, eadem, veritas & iustitia, non minùs exigebant, vt illæ etiam mortes infligerentur eadem die; par, vt i vides, ratio est. Quod huic argumentationi dissoluedæ accommodatum sit, nihil animaduerto in responsione Viri Docti. Ea autem, quod secundum erat eius peccatum, sese contradictione inuoluit. Nam qui potuisset Adamus retinens iustitiam originalem, quæ sine dubio iniustitiæ seu peccato opponitur, *consensescere in peccato*, manere à Deo auersus, Dei defertor, Deo rebellis? Quid enim erat iustitia illa, nisi conuersio cordis ad Deum, obedientia habitualis Dei mandatis, constans voluntas obediendi Deo, iusque illi suum tribuendi, qua, hoc ipso quod ipsi inerat, iustus erat Adamus? Quis ergo futurum fuisse credat, vt Adamus, nisi amitteret iustitiam, consensesceret in peccato? Contrà enim consenuisset in iustitia, si quidem iustitiam non amisisset. Se quoque ridiculam præbet hæc responsio, cum fingit ablatam fuisse Adamo iustitiam, vt ad Deum respiscendo rediret. Tantùm enim abest, vt mors spiritualis medium sit ad respiscentiam, & conuersionem ad Deum, vt eam homini reddat impossibilem, eumque à Deo longissimè abducat. Ridiculum etiam mihi videtur, quod dicitur, pupugisse Adamum præsentis illius pœnæ sensum. Ha-

bitus enim non sunt: qualitates sensibiles, neque sentiuntur, aut intelliguntur à nobis, nisi quatenus ex antecedentibus aut consequentibus actibus inesse deprehenduntur. Adde quod mors spiritualis, quantum ad veram pietatem attinet, hominem sensu priuat, & facultate bene agendi, cumque ad omne bonum opus ineptum, ad omne malum pronum, auersum à Deo, conuersum autem ad carnem & ea quæ Deus odit, efficit.

Temperare mihi non possum quin *sextam rationem* superioribus adjungam, ductam primùm à phrasi illa *morte morieris*: Nam nullus quod sciam locus extat in scriptura, vbi phrasis illa *morte mori* de figurata illa morte sit accipienda, quæ nihil aliud est quàm absentia sanctitatis in anima. Deinde ab ipso nomine *mortis*, quod in vetere Testamento mihi non occurrit eo sensu, Immò ne in Nouo quidem absolute, & sine additamento, nisi fortè Luc. ix. 60. *sine ut mortui sepeliant suos mortuos*: quo tamen loco non videtur Dominus ad priuationem originalis iustitiæ communem omnibus respexisse, sed ad incredulitatem & contumaciam. Cum enim *qui non credit jam sit condemnatus* Ioh. 3. 18. & *super eum ira Dei maneat*. Ioh. 3. 36. nihil prohibet credentem mortuum appellari. Fac tamen eum ad priuationem illam respexisse, solemne ei est vocabula transferre à propria & communiter vsitata significatione ad spirituales & metaphoricam lucis Euangelicæ ad tempus tegendæ causâ, in quo eum imitari non debuerunt Apostoli. Iam quis credat primam illam dei legem & comminationem conceptam verbis vsitatissimis *morte morieris*, intelligendam esse sensu prorsus inusitato, & quidem ita vt idem vocabulum semel positum, semel intelligendum, accipiatur simul & propriè, & meta-

phoricè. Possèm te obruere aliis argumentis, sed non sunt omnia simul ac semel effundenda.

GAR. *Ultimò sic argumentatur. Mors spiritualis est mors metaphoricè dicta; mors corporalis propriè. Quis autem existimet in lege, qua debuit verbis vsitatissimis concipi, vocabulum unum idèmq; debere accipi simul & propriè & metaphoricè? praesertim cum morte mori figurato sensu, nusquam accipiatur, nisi forte* Luc. ix. 60.

PLAC. Vides, vt meam istam rationem contrahit, vt magna sui parte truncat, vt mihi tribuit, id quod non dixi, morte mori vsurpari Luc ix. 60. Pergat tamen.

GAR. *Resp. Agnoscit Vir doctus, mortis nomine, tum mortem corporalem, tum etiam aeternum inferorum cruciatum intelligi, vt audiuimus. Quid ergo responsurus est, si quis hoc argumentum ipsi reponat; vocem eandem in lege, qua debeat verbis vsitatis concipi, non posse simul propriè & metaphoricè sumi: cruciatum autem inferorum, quem passuri sunt reprobis corpore & animâ, esse mortem metaphoricè dictam; cum sola corporalis sit mors propriè dicta: ergo non posse his verbis intelligi cruciatum illum.*

PLAC. Ego verò respondebo, cum de foro Dei agitur nullam magi, propriè mortem dici quàm aeternam: à qua si corporalis se jungitur, ne mors quidem ampliùs vocari debet ipso Christo autore: Eam enim non comminatur lex, nisi quatenus est iactura omnium huius vitæ bonorum. Iactura autem non est, cum in eorum locum succedunt meliora. Adde quod mors aeterna corporalem includit, id est, huius vitæ priuationem, vt illam comminari lex non potuerit, quin istam simul comminaretur.

GAR. 2. *Cum Deus hic omnem mortem comminatus sit, quâ dignum erat peccatum Adæ, quidni dicamus & corporalem & spiritualem & aeternam fuisse comminatum, cum ijs omnibus subjacere commereatur peccator?*

PLAC. Omnis mors, qua dignum est peccatum, est mors diuersa à peccato. Mors autem spiritualis est peccatum, & meretur mortem.

GAR. 3. *Nec verò Scripturis inusitatum est mortis nomine, mortem spiritualem designare, cum contrarium pateat, non modò*

ex Luc 9. 60. sed etiam ex frequentibus testimonijs, quorum etiam nonnulla jam produximus.

PLAC. Non dixi inusitatum esse Scripturis nomen *mortis* pro morte spirituali : Dixi tantum inusitatum esse Scripturæ veteris Testamenti, dixi toti Scripturæ inusitatam esse phrasim, *morte morieris* eo sensu. Id ad meam istam rationem factis erat. Testimonia è veteri Testamento duo quidem paulò antè §. 32. pag. 271. laudauerat, vnum ex Ezech. 3. 18. alterum ex Hof. 13. 1. sed frustra : nam vt ne ei opponam interpretes neutrum locum de morte spirituali accipientes, reclamationem ipsa res. Agitur enim in illis locis de morte, quæ non est omnium hominum communis, sed de morte in quam incurrunt quidam ob sua quædam peccata actualia, cum mors spiritualis omnium sit hominum, & quidem ab ipso eorum ortu, antecedens omnia ipsorum actualia peccata. Itaque non possunt loca illa de spirituali morte, in priuatione iustitiæ originalis sita accipi.

GAR. 4. *Verbis vsitatis, id est, vulgò notis leges concipi debere fatemur. Sed quis dicat verba metaphorica & impropria non esse vsitata? Imò metaphoris nihil communius, etiam in legibus sancientis, quæ sæpè vnâ voce multa complectuntur, eaque diuersissima, vt ad vnius vocabuli proprietatem reduci non possint, sicuti patet in præceptis Decalogi.*

PLAC. Dixine verba metaphorica, & impropria non esse vsitata? Dixi tantum nomen *mortis* eo sensu metaphorico & improprio, quo significat mortem spiritualem, seu priuationem iustitiæ originalis, non esse vsitatum in veteri Testamento. Non negavi quin vsurpentur interdum metaphoræ in legibus, tantum negavi eas vsurpari, quæ sunt eo tempore, quo leges feruntur, inusitata: negavi etiam eandem vocem in eadem lege semel vsurpatam, simul & propriè & metaphoricè intelligi debere. Tum enim demum accipi debet metaphoricè, cum aliquid obest, quominus accipi possit aut debeat propriè. Neque propterea duplicem sensum Scripturæ nego, literalem & mysticum : ille enim est verborum, hic potius rerum. In præceptis Decalogi nullam vocem video, quæ simul & propriè & improprie, seu metaphoricè debeat exponi.

GAR. Denique pari argumento utuntur Pontificij, ut probent illa verba, hoc est corpus in e. iii, non esse intelligenda figuratè, quia pactum, sacramentum, lex, requirunt propriam non figuratam locutionem: ita enim Bellarminus & Costerus. Nostri respondentes negant, ut videre est apud Chamierum lib. 10. de Eucharist. cap. 15. n. 60. 61.

PLAC. Si dicerent Pontificij in verbis hoc est corpus meum, non esse metaphoram inusitatam, aut non esse eandem vocem simul propriè & non propriè seu impropiè accipiendam, quia id non ferat pactum, Sacramentum, lex, rectè procederet comparatio, neque nostros haberent repugnantes. Nunc cum ab illis verbis, omnique pacto, sacramento, & lege omnem excludant metaphoram, etiam admodum tritam & perspicuam, quid est illis mecum commune? Certè eos refutaui Exam. rat. pro & contra Sac. Missæ part. 1. c. xiv. pag. 429. & seqq. negari autem non potest, quin verbis morte morieris, propriè dicta mors designata fuerit. Sic meas defendi rationes. Suas etiam quosdam habet Vir Doctus, quibus probet, mortem, quam Deus illa lege comminatus est, non tantum esse mortem corporis, verum etiam mortem animæ, id est, amissionem justitiæ originalis, & imaginis Dei priuationem. Eas expendi par est.

GAR. Rationem triplicem producimus. Primum enim. Non § xxxiii.
alia mala & damna rebellione suâ homo incurrit, quàm qua inter- P. 269.
minatus fuerat ei Deus sua legis sanctione; quem enim ab inobedienciâ & prauaricatione legis absterrere voluit, quidni precipitia ei posuisset ob oculos, in qua erat sua legis diuinæ violatione deturbandus? Atqui homo, suâ obsequij denegatione, non mortem modò corporalem, & calamitates externas sibi accersuit, verum & omissionem spiritualium donorum, & facultatum omnium peruersionem, & damnationis aeternæ reatum incurrit. Omnia ergo Deus sua illa mortis declaratione comminatus fuerat.

PL. Distinguo mala. Alia enim sunt culpæ, alia pœnæ. Illa Deus lege sua vetuerat, non cōminatus fuerat: hæc comminatus fuerat, non autē vetuerat. Est autem mors spiritualis seu priuatio justitiæ originalis malū culpæ, non pœnæ propriè dictæ. Negatur igitur Major, si de culpæ malis intelligitur. Quāquam ne de

malis quidem pœnæ intellecta vniuersaliter vera est. Distingui enim debent mala pœnæ in ea quæ sunt pœnæ, vt loquuntur; satisfactoriæ, & ea quæ se habent aliquomodo vt carceris pœdor & molestiæ, vel vt castigationes paternæ. Illas solas lex comminabatur. Incurrit autem in has homo per peccatum suum, quia propter Christi satisfactionem datum est ei ad respiscendum spatium, & tractatur à Deo, vt solet à patre filius puer.

G A R. 2. *Adamus in integritate perseverans, bonorum & corporalium, & spiritualium continuatione & augmento donandus erat: Ergo & ab ea integritate deficiens, vt malis subiaceret, & corporalibus, & spiritualibus, consentaneum erat: quidni ergo Deus ea significata voluerit mortis nomine?*

P L A C. Atqui perseverantia in integritate & continuatio integritatis idem sunt. Integritas autem originalis & iustitia originalis quid differunt? Erat igitur donandus continuatione, non iustitiæ originalis (hæc enim continuatio exigebatur vt conditio) sed aliorum omnium bonorum. Porro integritas opponitur corruptioni immediatè: deficere ab integritate est corrumpi, amittere integritatem est acquirere corruptionem. Confundit ergo Vir doctus conditionem promissionis cum re promissa: nec verum est argumenti ejus antecedens, nisi de bonis intelligatur phycis, seu ab ipsa integritate seu iustitia diuersis.

G A R. 3. *Nulla ratio dici potest, quare non mortis nomen in tota sua latitudine hoc loco sumatur; atqui mortis nomen in Scripturis non ad corpus modò, sed & ad animam, & spiritualia referri patet ex frequentibus Scripturæ testimonijs. Vide Ezech. 3. 18. Os. 13. 1. Matth. 8. 22. Luc. 9. 60. & 15. 24. Ephes. 5. 14. 1. Tim. 5. 6. Apoc. 3. 1. &c.*

P L A C. Ratio est in promptu, quia mors spiritualis est peccatum, non autem propriè loquendo peccati pœna. Comminatur autem Lex non peccatum, sed propriè dictam duntaxat peccati pœnam. Quod autem ait, non deesse autoritates grauium virorum, nec desunt etiam mihi non minus grauium virorum autoritates, & jam suprâ Helueticam laudauit confessionem Art. 8. Sed quid opus est humanis pugnare testimonijs, vbi rationes adfunt illis multò validiores?

Ceterum

Cæterum vides quid hinc sequatur : nam si priuatio iustitiæ non est pœna lege denunciata , certè pœna proprièdicta non est. Quare non est adscribenda iustitiæ vindici nobis peccatum illud actuale Adami imputantis.

C A P V T V.

Examen Cap. III. In quo disquiritur , Quid sit imputari vel non imputari peccatum.

CAPITE tertio rursus constituis statum contro-
 uersia, eoque constituto iterum digredieris , ac
 tibi sumis illustrandum , quid sit *imputare* & *imputari*,
 ac primùm verbum hebræum , deinde verbum græ-
 cum expendis , laudatis in eum finem aliquot Scriptu-
 ræ locis : quorsum , aut quo consilio , nescio , nisi
 fortè , vt tui tractatus molem augeres , ac tuorum ar-
 gumentorum paucitatem tegeres : utilis quidem for-
 tasse tua hæc illustratio foret ad controuersiam de ju-
 stificatione : quoniam Scriptura eam solita est modò
 imputatione fidei & iustitiæ , modò non imputatio-
 ne peccati describere : ad hanc verò , quæ inter nos
 agitur , quæstionem quid valeat non video : Nullus
 enim extat in tota Scriptura locus , in quo peccatum
 Adami nobis imputari dicatur. Itaque non quaritur
 inter nos , quo sensu Scriptura vsurpet in hac quæ-
 stione verbum imputandi ; nunquam enim vsurpat,
 sed quo sensu in meis thesibus (quandoquidem tu
 eas refutare aggressus es) negauerim peccatum Ada-
 mi nobis imputari , vt mea illa negatio , qualis sit,

verane an falsa cognoscatur, ac vitetur λογισμαχία. Tandem concludis, *peccatum imputari, cum attribuitur, consideratur, & pro peccato habetur & punitur ut peccatum; Ex opposito peccatum non imputari, cum non consideratur ut peccatum, sed tegitur, condonatur & remittitur.* Quod certè non est accommodatum ad quæstionem nostram. Cùm enim affirmo, peccatum actuale Adami nobis non imputari, non hoc volo peccatum illud non considerari ut peccatum, sed tegi, condonari, & remitti nobis. (vides alienam esse hanc tuam non imputandi explicationem à mea mente, & ab hac euasione, non quaritur inter nos, vtrum peccatum Adami nobis condonetur: talis non imputatio est à misericordia; sed quaritur inter nos, vtrum de jure, ex iustitia nobis imputetur, necne? Tu proculdubio statuis non imputari, hoc est, remitti fidelibus: at tamen idem contendis me aduersus omnes hominibus imputari, & quidem ita imputari, ut in omnibus puniatur actu: non quæro hoc loco quomodo ista punitio consistat cum justificatione seu remissione, & non imputatione illius peccati. Sed, quicquid sit, Contendo peccatum illud Adami actuale nostrum peccatum non esse. Itaque nobis jure imputari non posse.

Fateor imputare esse tribuere, attribuere, adscribere: sed quædam sunt hoc loco obseruanda, in primis distinctio illa imputationis in *antecedentem & consequentem* seu *immediatam & mediatam*, quam, dum statum quæstionis constituerem, Cap. 2. explicauit, nec hîc repeto: ejus ut memineris te rogo. Deinde illud etiam cogitationi nostræ obuersiari debet, agi inter nos de imputatione non qualibet, sed iudicialia, quam punitio iusta sequatur. Est autem ejusmo-

di imputatio peccati, actus iudicis sententia sua peccatum alicui tribuentis, hoc est, aliquem certi cuiusdam peccati reum esse pronunciantis, ac propterea poena afficiendum. Tribuitur autem alicui peccatum vel tanquam peccatori, vel tanquam peccatoris personam vtrò sustinenti, vadi: illi vt suum, huic vt alienum. Nobis si peccatum Adami actuale imputatur, tribuitur, non vt alienum, sed vt nostrum: suam enim quisque nostrum, cum concipitur & nascitur, personam, non Adami, cuius vas non est, gerit. Considera igitur mecum, quæso, & perpende, quomodo nobis peccatum illud primum actuale, possit imputari verè an falsò, iustè an iniustè? Fuit actio quædam singularis, quæ non potuit reum peragere, nisi aut imperantem, aut exequentem, aut consentientem. Eam autem neque imperauimus, aut suauimus Adamo, neque ipsi, qui non eramus, commisimus, neque ei, vel antequam essemus, vel in vtero materno delitescentes actu consensimus. dic igitur, amabo te, quomodo nobis verè & iustè singulis attribuat & adscribat? Si respondeas, vitium illud hæditarium, quod ab illa actione productum in nos manauit, esse peccati illius veluti reliquias & semen, & habitualem, vt ita loquar, voluntatis nostræ consensum; Itaque iure nobis imputari, descendes in meam sententiam, qui imputationem mediatam, quæ hæditariam corruptionem sequatur, & in ea fundata sit, vtrò agnosco, & doceo.

CAPVT VI.

Examen Cap. IV.

R VRSVM Cap. IV. tui tractatus manum admo-
 ues statui quæstionis constituendo, expoliendo,
 illustrando; inque ea re totum Cap. IV. consumis.
 Doleo nos tamdiu detineri à te in vestibulo fameli-
 cos & appetentes tuarum rationum, ad quas perci-
 piendas nos tui tractatus Cap. primo inuitaueras. Hic
 tamen decet me tecum paulisper commorari, & col-
 loqui. *Queritur, inquis, quomodo peccatum illud actua-
 le, quod fuit persone, sufficiat ad condemnationem om-
 nium hominum?* Sufficere præsupponis, quomodo suf-
 ficiat quæris. Atqui prius illud non fuit absque di-
 stinctione præsupponendum: in eo enim ipso verti-
 tur cardo hujus controuersix: nam si hoc vis, pecca-
 tum illud actuale per se ipsum vnum immediatè
 sufficere ad condemnationem omnium hominum, id
 præsupponis quod versatur in quæstione, quodque
 ego pernego. Sin vis sufficere ad eam condemnatio-
 nem mediante corruptione, quam produxit, propa-
 gatâ in omnes homines, tibi assentior. Sed tuam res-
 ponsionem audiamus. *Respondeo, inquis, omnes ho-
 mines ex Adamo natos considerari tanquam vnum homi-
 nem in Adamo & omnes peccasse in illo, ita vt primum
 peccatum, quod actualiter commisit, illis imputetur, &
 tribuatur, & satis sit vt habeantur pro peccatoribus, &
 morti adjudicentur.* Licet-ne mihi quærere, vnde id
 habeas, ex Scriptura, an aliundè? nam à quo vis

considerari omnes homines tanquam vnum hominem, nisi à Deo? Vnde igitur tibi iste mentis diuinæ internus actus innotuit? Tacet scriptura, reclamatur ratio: nam quomodo omnes homines considerantur tanquam vnus homo in Adamo? an quomodo dixit Porphyrius *participatione speciei multos homines esse vnum*, vnitatem scilicet specificam? at id iuuare non potest imputationem peccati actualis Adami omnibus hominibus: actiones enim sunt suppositorum, non autem generis, aut speciei: nec politis, quibus inter se distinguuntur, differentiis propriis omnes homines magis sunt Adamus, quàm alius quilibet homo: continetur enim sub hominis specie Adamus haud secus quàm reliqui indiuidui homines. An vis omnes homines consideratos fuisse tanquam vnum numero hominem in Adamo? nihil fingi posset falsius ista consideratione. Quid igitur tibi vis hac propositione? ea, fateor ingenuè, non intelligo quem sensum non ineptum habere possit. Explica te, quaeso, dilucidius: cupio enim mentem tuam assequi: connitar adhuc: Visne omnes homines consideratos fuisse tanquam oriundos ex vno homine, ex vno fonte, vna stirpe, Adamo? non video quomodo inde sequatur peccatum actuale Adami sufficere ad condemnationem omnium hominum, aut debere omnibus hominibus immediatè imputari; sed ea de re postea.

GAR. *Respons. 1. omnes homines fuisse vnum hominem in Adamo, non commentum recens est, sed vetus Catholicorum, ac nominatim Augustini aduersus Pelagianos disputantis doctrina, quam sapius in operibus suis repetit. Sufficiat nunc vnus ille locus ex Epist. 106. ad Bonifac. Quicumque ex illo vno multi in seipfis futuri erant, in illo vnus homo erant, Si ab Augustino queras,*

unde id habeat, respondebit ex Apostolo se habere, ubi testatur omnes in Adamo peccasse. In Adamo peccarunt: itaque unum fuerunt in Adamo. Quod & Martyr, unus ex grauissimis Theologis, quorum autoritatem obtendit in hoc negotio vir doctus, euidenter significauit ubi scripsit, Adamo peccante idem fuisse, ac si omnes presentes fuissent, & cum Adamo peccauissent.

PLAC. Aliud quaesui, aliud responder. Non enim quaesui, unde haberet, omnes homines fuisse vnum hominem in Adamo; sed unde haberet, Deum considerasse omnes homines tanquam vnum hominem in Adamo, ita ut illis primum illud peccatum a actuale Adami imputauerit immediatè? De illa consideratione, de illo interno mentis diuinæ actu agebatur: de quo tamen altum in hac responsione silentium. Deinde quaesui, unde haberet, hoc est, ex qua diuina Scriptura. Talis enim actus mentis diuinæ aliundè quàm ex Dei reuelatione cognosci nequit. Ille verò confugit ad Augustinum, & Martyrem, quibus talis diuinus actus non est, opinor, nominatim cœlitus reuelatus. Tum non negaui omnes homines aliquomodo vnum fuisse in Adamo, nempe vnitatem speciei, & originis, tantùm negaui inde sequi fuisse ita à Deo tanquam vnum consideratos, ut illis primum Adami peccatum a actuale immediatè imputauerit. Negauit etiam fuisse consideratos tanquam vnum numero, seu indiuidum hominem. Itaque ille probat quod concedo, quod nego ne attingit quidem.

GAR. 2. *Cùm Apostolica verba, in quo omnes peccauerunt, imputationem Adamici peccati denotent, ut est supra confirmatum: imputatio autem illa sit actus Dei declarantis omnes ob Adami peccatum reos, consequens est, ut, si ea verba significent omnes in Adamo consideratos ut vnum hominem, designent eadem ratione, à Deo ita fuisse consideratos.*

PLAC. Nec Apostolus dixit omnes in Adamo peccauisse; Nec si id dixisset, verba illa denotarent imputationem Adamici peccati, saltem immediatam, uti & supra ostendimus, & infra confirmabimus.

GAR. 3. *Vnus homo dicuntur omnes in Adamo fuisse, non vnitatem vel specificam, vel numericam, sed tum vnitatem originis, quia omnes ex vno sunt sanguine, Actor. XVII. 26. & omnis*

homo terrenus nihil est origine, nisi Adam, ut loquitur Augustinus Retraët. lib. 1. cap. 15. Tum unitate repræsentationis: ab uno enim Adamo sunt omnes repræsentati, quia unus Adamus omnium personam sustinebat, ut & Theologi consentienter docent, & non diffidetur Clarif. Amyraldus Thesib. de trib. fœder. Thes. 8. Ex illa duplici unitate colligitur peccati Ada imputatio. Nam propter unitatem originis habent omnes naturalem conjunctionem cum Adamo. At naturalis conjunctio idonea causa esse potest, cur aliquis pro alterius crimine pœnis subjaceat, ut antea dictum: propter unitatem repræsentationis, Adamo peccante idem fuit, ac si omnes peccatum commississent. Cap. 16. § 3.

PLAC. Agnosco unitatem originis: quanquam aliud est omnes homines esse unum hominem, aut considerari tanquam unum hominem, aliud omnium hominum esse unam originem, hoc est, stirpem, seu principium. Hoc ex unitate originis sequitur, non illud. Sed unitatem repræsentationis probari mihi è Scriptura cupio, ut & illud quod aufert probationis loco, unum Adamum peccando omnium hominum personam sustinuisse. Hoc enim ipsum vndè habeatur, scire aueo. Ponitur enim à quibusdam, sed probatur à nemine. Idne igitur reuelavit Deus in Scriptura? Proferatur locus. potestne ex natura colligi? adferatur ratio. Affirmanti enim aliquid ejusmodi, præter naturæ & Scripturæ librum assentiri nec teneor, nec expedit. Nec verò id ex Augustini aut Clarif. Amyraldi verbis colligi potest. Quæ enim consequentia, omnis homo nihil est origine nisi Adam. Ergo omnes homines fuerunt à Deo considerati tanquam unus homo in Adam. Vel, Ergo Adamus in peccando sustinebat omnium hominum personam? Eamne etiam sustinebat, cum alia agebat? Minimè; imposita illi scilicet est hæc omnium persona, tantummodò ut pro omnibus peccaret. Dixit quidem Clarif. Amyraldus illa Thesi Adamum, quâ primus homo fuit, uniuersum genus humanum, quod ex eo nasciturum erat, veluti repræsentasse: Sed eam locutionem, quia dura videbatur, emolliuit præmissâ voce *veluti*, innuens non esse illam locutionem propriam, nec urgendam ut propriam. Quod ait Vir Doctus, naturalem conjunctionem idoneam causam esse posse, cur aliquis pro al-

terius crimine pœnis subjaceat, verum non est in foro diuino, nisi aut sit etiam inter eos conjunctio peccati, aut saltem sit in eo, qui punitur, peccatum dignum illa pœna, aut sit ipse peccatorum vas. Quod subjungit, propter vnitatem repræsentationis, Adamo peccante idem fuisse, ac si omnes peccatum commisissent, probatione eget. Non enim quicquid facit qui alterum repræsentat, huic continuò siue consentiat, siue non consentiat, imputandum est. Pepigit Deus fœdus cum genere humano in Noacho, & cum Israëlitis in Abrahamo, neutrius tamen, opinor, aut bona opera aut peccata posteris imputata sunt.

GAR. 4. *Imputatio primi peccati colligitur non ex eo simpliciter, quòd omnes sunt ab Adamo oriundi, sed ex eo quòd ita docemur ab Apostolo Roman. v. ut audiuimus, & quod per peccatum illud excussit Adamus gratiam omnem fœderis illius primæ, quod in ipso cum omnibus hominibus initum fuerat, ut sapius dictum.*

PLAC. Non docemur ab Apostolo Rom. 5. imputationem immediatam primi peccati. Id hætenus neque vir doctus, neque alius quisquam probauit, vt partim ex dictis, partim ex dicendis cernere est. Addit alteram rationem, sed eam non intelligo, Velim enim mihi exponi quale fœdus in Adamo cum omnibus hominibus initum intelligat. Nam si ea fuisse conditione censet, vt, si peccaret Adamus imputaretur ejus primum peccatum actuale omnibus ejus posteris immediatè; id fœdus adferendum non fuit ad probandam imputationem immediatam. Non enim minùs in quæstione versatur quàm illa ipsa imputatio: deque eo meritò quæri potest, vnde nam habeatur? Ex naturæ inspectione? An ex diuina per Scripturam reuelatione? Aliundè enim si habetur, ob id ipsum rejici debet.

Visne omnes homines considerari vt vnã rempublicam, vnum corpus, cujus caput sit Adamus, reliqui autem homines singuli membra? Fuit igitur Adamus caput sine corpore, vt nos hodie membra sine capite.

GAR. Hoc rationis genus, si L. Crasso venisset in mentem Cap. 16. eâ dissertatione quam habuit cum Q. Mutio Scauola apud Tul- § 5. lium lib. 1. de Oratore, na poterat ille plausible argumento dictum Scauola traducere, Socratem vocantis fontem & caput Philosophorum, qui longa serie post exemptum humanis Socratem in Gracia floruerunt: nimirum, quia & Socrates ante natos illos Philosophos fons fuisse sine riuulis, & caput sine membris; & illi post Socratem Philosophi, riuui fuissent absque fonte, & membra sine capite.

PLAC. Egregiam refutationem! Agebatur de Adamo relatè ad id tempus, quo primùm peccauit, diu antequam nobis gignendis operam daret. Dixi eum tunc nondum fuisse caput nostrum, quomodo exercitus caput est dux, reipublicæ magistratus, regis rex: quia caput fuisset sine membris. Num eo sensu Socratem Scauola fontem & caput appellauit? Num ejus temporis respectu, cum nondum vilis esset ejus auditor, vllusue alius præter eum philosophus? Num propterea aliqua Socratis actio omnibus alijs philosophis imputari immediatè potuit aut debuit? Nihil quicquam à Socrate in sequentes philosophos imputatione descendit.

GAR. Atqui si rem seriò agimus, quidni vulgarissimam distinctionem in memoriam reuocamus, ut caput propriè dictum discernatur ab improprie dicto, id est, phylicum à morali? Nam in phylico certè capite, quod natura suis neruis & vinculis cum reliquo corpore colligauit, ita res habet, ut neque caput dicatur, nisi cum adsunt membra; neque membra τῶν ὀνύμων vocentur, nisi quæ actu cum capite conjuncta sunt. At verò cum Adamum dicunt Theologi esse generis humani caput, impropriam sine dubio significationem usurpant, ut denotent originem esse & principium seminale generis humani, unde scilicet humana natura sumpserit initium. Quomodo scilicet Abrahamus Iudaica gentis caput dicitur. Quis autem non eum riserit, qui propterea negare sustineat Abrahamum esse Iudeorum caput; quod & ipse dicendus esset caput sine corpore, cum Iudæi nondum essent; & Iudæi membra sine capite, quia non amplius erat Abrahamus? Caput ergo generis meritò dicitur Adamus, quia Deus eum constituit, ut radicem, fontem, & principium indiuiduale, unde orituri essent homines, ut riuui, ut rami, ut γέννηματα ex eo principio.

PLAC. Putauitne Vir Doctus me ita infanuisse, ut caput propriè dictum intellexerim, qui disertis verbis dixi corpus *impropriè* dictum, seu *morale*, tanquam *republicam*? Manifestum enim est *republicam* non esse corpus physicum: Et tamen, quamuis natura *republicam* cum capite suo rege, vel magistratu non colligauerit neruis & vinculis, nemo dixerit hominem tunc fuisse caput *republicæ*, cum ipse uiueret priuatus, nondum nata *republica*: neque *republica* quæ nunc est corpus dicetur illius principis, qui ante centum aut mille annos desijt esse in uivis. Tale caput, tale corpus politicum intellexi. Nam alioqui non nego, neque negaui vnquam, quin sit Adamus caput generis humani eo sensu quem Vir doctus hoc loco exponit. Sed quid ad immediatam imputationem peccati Adamici facit ista capitis ratio? An sic caput fuit Adamus duntaxat dum peccauit? An propterea quod Abrahamus gentis Iudaicæ caput fuit, eo modo ejus aliqua actio omnibus & singulis Iudæis imputatur?

Et omnia peccata Adami nobis, nostra vicissim omnia Adamo imputari debuerunt; par enim est ratio: conueniunt enim toti corpori & quæ capitis, & quæ aliorum membrorum sunt. Me etiam perturbant ista verba, *considerantur tanquam vnus homo in Adamo*, videris enim illum vnum hominem ab Adamo distinguere. Porrò quæcunque illa consideratio fuerit, cum ea extra nos esset, nec quicquam vel in Adamo, vel in nobis poneret, capere animo non possum, quid ad hoc contulerit, ut nos reuera commiserimus peccatum illud actuale Adami tanto ante quàm essemus. Adde quod si committente alia peccata Adamo perdurauit, quid est quamobrem illa quoque nobis pariter non imputentur? Sin dum solum primum illud admitteret, obtinuit, mirabor, aut desijisse nos esse in Adamo. confestim post primum illud peccatum admissum, aut, quamuis in eo sicut antea essemus, non

fuisse tamen amplius consideratos tanquam vnum hominem in ipso.

Subijcis nos *peccasse in Adamo*. Vide quàm non sim difficilis, tibi id concedo, modò hoc etiam mihi concedas nos eo modo peccasse in Adamo, quo in eo fuimus. In eo autem fuimus, non quia ejus esse nobis imputetur, aut sit causa meritoria cur sumus, sed quia nos propagatione naturali per intermedios nostros parentes genuit: Eodem modo nos in eo peccasse confiteor, quia peccatum ejus nostrum peccatum longa propagationum serie procreavit.

Cæterum hanc tuam responsionem interrogationibus firmas. *Nam, inquis, qui potest aliter reddi ratio hujus infectionis & reatus? cur queso Adam peccando perdidit, & morti subiecit, non tantum personam, sed etiam totam naturam humanam: Cùm cæteri homines peccatis suis actualibus ledant personas, & se mortis reos efficiant, sed naturam non faciant pejorem, aut magis ream? Si vicissim quæram, qui fieri potuit, vt nos cùm nondum essemus, immò aliquot annorum milibus antequam esse inciperemus, peccaremus peccato actuali? qui potest nobis peccatum actuale justè imputari, quod neque fecimus ipsi, neque jussimus, neque suasimus, neque vllò voluntatis nostræ consensu probauimus, quodque nostro respectu nullo modo voluntarium fuit? Horumne tu rationem reddere potes? Annon igitur satius esset propagationem corruptionis inhærentis & reatus qui eam sequitur, docente scriptura, contestante experientia, firmiter credere; modum autem quem non capis Deo permittere, quàm præter & contra Scripturam imputationem excogitare æquè, aut magis difficilem captu, ac Dei justitiam peruer-*
tentem, & maculantem?

Subjungis hoc cogit nos fateri, primum illud *Adami peccatum fuisse alio modo consideratum, & justo Dei iudicio imputatum, & adscriptum toti nature humane*, Mallem fateri meam ignorantiam: neque huius confessionis me puderet: cæcum enim esse arbitror qui non sentit se multò plura quàm scit ignorare. Quàm multa sunt in natura, quorum rationes eùt sic fiant reddere nequimus? Satiùs mea sententia id esset, quàm in Dei arcanam mentem irrupentes, ei considerationem & iudicium sine vlla reuelatione tribuere, quod fortè nec fuit, nec eum decet. Nosti enim illud Esai. 55. *cogitationes meæ non sunt vt cogitationes vestræ. Quàm alti sunt cæli supra terram, tam altæ sunt cogitationes meæ supra cogitationes vestras: Et istud, quis nouit mentem Domini?*

cap. XI.
§. XV.

GAR. *Hic verò inprimis ego quoque profiteor, malle me credere, hanc non esse affectatam ignorantiam, de qua dicunt illi apud Iobum cap. 21. 14. Recede à nobis, se entiam viarum tuarum nolumus, quàm sinistram aliquam de Viro docto opinionem fouere.*

PLAC. *Ecquam quæso veris illis sinistram de me opinionem fouendi antiã præbui, aut quid est in mea ista modesta & religiosa ignorantia, qua nolo sapere præter Scripturam, simile abominandæ illorum apud Iobum secleratorum impietati?*

GAR. *Miror solùm, quã ratione ductus, eos arbitretur in arcanam Dei mentem irrumperere, qui corruptionis Originalis, & omnium poenarum in posteros ab ipsa natiuitate incumbentium causam quarunt in imputatione, ad:òque participatione primi peccati; cum non ignoret veteres & Recentiores Theologos, hoc & docere, & profiteri se hausisse ex Apostoli doctrina Romæ. v. Sicut postea frequentissimis testimonijs probabitur. Hos omnes grauissimã accusatione urgere, quasi in arcanam Dei mentem temerario ausu irrupentes, & limites illos transilientes, quos Deus homini præstitit Deuter. XXIX. 29. nescio an sit decoro satis consentaneum &c.*

PLAC. Primum agebatur de eo Dei actu interno, quo dicebatur Deus *omnes homines considerasse tanquam unum hominem in Adamo*. Idne veteres & Recentiores Theologi dixerunt? Idne colligi potest ex Apostoli doctrina Roman. v? Attulitne Vir doctus frequentissima testimonia ut id probaret? Tribuere Deo considerationem, actum quandam mentis & voluntatis internum præter Scripturam, præter rationem, quid est irrumperè in arcanam Dei mentem, si hoc non est? Idem, fateor, de immediata illa imputatione, in qua causa queritur originalis corruptionis, dici potest, si quidem ex sacris literis colligi nequit. Est enim ipsa quoque internus diuinæ mentis & voluntatis actus. Frustra me præiudicijs graua; frustra Theologorum in me animos irritat: neque enim eos accuso, sed fraternè moneo, ut caueant sibi ab hoc scopulo. Humanum enim est errare, sed monitum in errore perseverare, turpe admodum, & periculosum est. Miror autem Theologos Reformatos talibus uti aduersus fratres suos præiudicijs, quibus olim, & hoc tempore nihil veritati cognoscendæ magis obfuit. Non enim quod hic, aut ille docuit, regula est fidei nostræ, sed id tantum, quod vnicus noster doctor per suos Apostolos & Prophetas docuit. Illam autem imputationem neque Scriptura, neque plerique veteres Theologi, neque recentiores quidam magni nominis docuerunt: Et quosdam ipse contra se Vir doctus laudat. Exemplo sit Ludouicus Lauaterus insignis Theologus Tigurinus (vauum enim attulisse exemplum iussit hoc loco) cuius hæc verba ex Comm. in 2. paralip. 2. 4. 5. citat cap. xviii. pag. 629. *Quisque scelerum suorum poenas luat. Hac lege Deus non obstringitur. Iussit enim punit in omnibus hominibus peccatum primorum parentum, quod vitio originis sit cuique proprium. Quid potest magis opponi doctrinæ Viri docti, passim affirmantis, peccatum primorum parentum nonnisi imputatione fieri nostrum?*

Quid si quæram ex te rationem, cur primum illud peccatum fuerit alio modo, quàm alia peccata consideratum à Deo, &, cur fuerit imputatum toti naturæ humanæ? Eamne poteris reddere? Utinam!

Prorsus enim me fugit. Quanquam eam vltro necrogatus videris reddere voluisse, addis enim hæc verba, *quia sc. Adam fuit primus homo, origo & stirps, seu radix omnium hominum.* Agnosco, hinc intelligo potuisse vna cum natura humana suum propagare vitium in posteros: at nego propterea eius peccatum actuale nostrum fuisse, aut nobis debuisse imputari: nego inde considerationem illam & iudicium, quod tu Deo tribuis, posse confici. Ego non video, quomodo peccatum illud actuale Adami, actio illa singularis magis nostra actio, nostrum peccatum fuerit, quam eius persona fuit nostra persona. Si id vides, ostende quæso mihi & explica: magnam tibi habebō gratiam.

Cap. 16. §. 4. p. 572. G A R. *Huic arguendi rationi ego libenter similem hanc re- posuerim. Si actio illa prima inobedientia, non quidem præcisè sumpta, sed vna cum corruptione quam effecit in Adamo nobis imputatur, sicut supra vir doctus agnoscebat, erit sanè etiam per eam imputationem nostra. Quidni ergo & Adami persona nobis imputetur, & dicatur etiam fuisse persona nostra? Aut hoc vir doctus concedat, aut suam arguendi rationem condemnet & eliminat: & fateatur quod res est, nunquam auditum alienas personas imputari, sed actionum imputationem rem esse omnium ore atque sermone tritam, &c.*

P L A C. Quo sensu dixerim, & quàm is minimè causæ quam ago obfit, actionem illam primam inobedienciæ cum corruptione quam peperit nobis imputari, supra expositum est pag. 162. 163. Quod inde colligit, illam actionem etiam per eam imputationem nostram esse; non agnosco. Nam corruptio nostra est, quia in nos propagata est. Actio autem illa nostra fit non imputatione, sed, vt dicebat Lauaterus, *vitio originis*: quia nempe vitium originis seu corruptio est inobedienciæ illius communicatio, & habitualis in eam consensio. Itaque non est nostra, quia nobis imputatur; sed contrà no-

bis imputatur, quia nostra est. Iustitia enim non modò non exigit, sed ne patitur quidem, vt iudiciaria imputatione peccatum fiat eius peccatum, cuius alioqui peccatum non fuisset. Faceret enim peccatorem iudex, alioqui non peccatorem. id quod cum iudicis officio pugnat, vt quod maximè. Itaque frustra obseruat vir doctus alienas personas non imputari, sed aetiones. Non enim sic argumentabar; si aetio Adami nobis imputatur, etiam nobis imputatur eius persona: Sed contende-
 bam nullam reddi posse causam idoneam, cur illa aetio nobis imputeretur immediatè; ac inter cæteras hanc exludebam, nostram esse aetionem illam Adami: ac proindè nobis iure imputari. Intelligebatur igitur esse nostra, non per imputationem immediatam, sed ante illam. quo modo dici non potest, cur magis nostra sit, quàm ipsa persona Adami. Non igitur id quod dixi vir doctus oppugnat, sed aliud quid. Certè Chamierus negauit aetionem illam Adami esse nostrâ aetionem, lib. I. de hom. corrupt. c. 8. §. 9. Dico, inquit, *nullum peccatum unum numero posse esse commune omnibus hominibus. Nam peccatum, vel qualitas est, vel aetio. Qualitas, vt peccatum originale. Aetio, vt peccatum quodlibet actuale. At nulla qualitas, una eademque numero potest pluribus subiectis communicari: vt candor qui est in niue, idem numero non potest esse in Cygno, aut lana. Aetiones autem sunt suppositorum. Quare idem homicidium à Caino patratum non potest esse à Lamecho. Itaque nego peccatum illud Adami esse peccatum Originale. Non enim potest omnibus esse commune, siue numero, quia est aetio: siue specie, quia est indiuidualis actus. Et rursus eodem capite §. XI. Omne peccatum vel qualitas est, vel aetio, vt diximus, eius cuius dicitur peccatum. At hic actus Adami, neque qualitas est nostra: nam ne est quidem: ac proindè non potest esse qualitas: tum aetio, qualitasque longè differunt: neque est etiam actus noster: quia idem numero actus non est variorum suppositorum. Ergo is actus Adami non est nostrum peccatum: nedum sit nostrum originale. Hæc eius ratio eadem est cum hac mea, si aetio Adami est nostra, eius suppositum est nostrum: Sunt enim aetiones suppositorum.*

Interim quæro dum alia peccata committeret (com-

misisse enim haud dubiè non negabis) an non fuerit etiam tum primus homo , origo , stirps , seu radix omnium hominum ? fuisse proculdubio concedes : fueruntne igitur ea quoque eodem modo considerata , & iusto Dei iudicio omnibus hominibus imputata ? Si negas , fatearis oportet huius considerationis iudicij & imputationis primi peccati , quæ protulisti in medium , rationem hanc non esse , quia Adam primus homo fuit , & origo , & stirps omnium hominum. Si affirmas , Reuincet te Apostolus Rom.v. tam peccati quàm hominis vnitatem inculcans. Quærerem etiam libenter de Setho , de Noacho , aliisque eiusmodi stirpibus totius , quod extat , generis humani , num eorum quoque peccata eodem modo fuerint & considerata , & imputata posteris ? Si fuerunt , *multos* homines dicere debuit Apostolus Rom.v. non *unum* , & , nos antequam nascamur miserimi , qui tot peccata commisimus. Si non fuerunt , discriminis peto rationem : sed vereor ne sim longior hoc loco quàm necesse est.

Cap. 16.
§ 6.

G A R. *Quod vero docent Theologi Adamum peccasse ut caput hominum, & iure posteris imputari primam illam eius inobedientiam, varijs questionum & erotematum machinis quatit, quibus & alij nonnulla etiam addunt, quæ omnia hic in unum fasciculum compingemus.*

P L A C. Nec Adamo elogium capitis hominum detraho, nec iure posteris imputari primam illam eius inobedientiam nego , si imputari intelligatur mediante corruptione ex ipsa in nos propagata. Tantùm nego ita Adamum ut caput hominum peccasse , ut nobis possit , aut debeat prima eius inobedientia imputari immediatè. Sunt autem hæ quæstiones partimè Thesibus meis , partim ex hoc posteriore Manuscripto omnes , præter vnam , excerptæ. Itaque non omnes sunt huius loci ; non erit tamen inuicè eas hoc loco à responsionibus

viri docti tutas præstare: quoniam in illis de causa agitur, ob quam peccatum illud immediatè dicitur imputari; cui inuestigandæ hoc caput destinatum est.

GAR. 1. Si peccavit ut caput generis humani, cur non etiam puniri debuit eo nomine? 2. Cur potius Adami peccatum posteris, quàm posterorum Ada imputatur? 3. Cùm Adamus post illud peccatum, confessum non desierit esse caput, cur non sequentia Adami peccata eque posteris imputantur atque primum? 4. Cur potius actuale peccatum, quæ est actio transiens, imputari dicitur, quàm habituale, quod fuit vitium permanens? 5. Si primus actus peccandi fuit actus natura, cur non etiam primus actus generandi? Nemo tamen dixerit nos in Adamo Cainum aut Sethum genuisse? 6. Si ut Christi iustitia nobis imputatur, ita & peccatum Ada nostrum est imputatione, cur non, ut Christus dicitur, iustitia nostra, dicitur etiam Adamus peccatum nostrum? 7. Cùm dicimur peccasse in Adamo, estne propria, an impropria locutio? Propria dici non potest, nisi dicamus, aliquid simul esse & non esse: propriè enim loquendo, tum cùm Adamus peccavit, fuissimus, & non fuissimus. Si propria non est, renocanda est ad propriam. Quid autem significat propriè nos fuisse in Adamo, nisi nos ducere ab Adamo originem, vel esse Adami esse causam nostri esse? Est autem causa non essentialis & proxima, sed accidentalis & remota, & quæ ad nos gignendos non magis per se contulit, quàm ad multos gignendos, qui gigni quidem potuerunt, sed tamen defectu causa proxima geniti non sunt: quibus libenter quaeserim, an non etiam imputari debeat peccatum Adami? Potuit enim Adamus eos mediatè & remotè, ut nos, gignere: & vix potest intelligi, quomodo, ut quis ante quinque annorum millia fuerit, vel non fuerit, pendere possit ab hodierna, vel crastina actione.

VII. Nos verò respondemus. 1. Generaliter. Si eiusmodi interrogationum punctulis locus esse debeat, non minùs speciosè sollicitari posse doctrinam de corruptione Originali à Pelagij aut Socini sectatoribus, quàm hæc de imputatione doctrina hic vexatur. Quæretur enim 1. Cur Adami corruptio moralis posteros potius infectit, quàm corruptio posterorum inquinavit Adamum? 2. Cur Adami peccatum in posteros necessario descendit, cæterorum patrum

non ita descendit? 3. Cur Adami peccatum Caino nocuit, Caini peccatum Adamo minimè nocuit? 4. Cur primum peccatum nos potius corrumpit, quàm sequentia Adami peccata? 5. Cur Adamus ab illa corruptione liberatus est, quam suâ actione sibi comparauit; infantes omnes, qui nihil mali egerunt, non liberantur? 6. Cur Christus iustitia & sanctificatio nostra dicitur, Adamus non dicitur peccatum & corruptio nostra? Hæc & alia aduersus doctrinam de corruptione ingentitâ queri possunt, quæ si non obstant quominus Viri docti corruptionem illam agnoscere debeant; neque debent quæstioncula illa impedimento nobis esse, quominus in antiquâ & Catholicâ imputationis fide perseueremus.

PLAC. Itâne antiqua & catholica est immediatæ fides? Id neque probatum est hætenus, neque probari potest. Frustra autem istas de corruptione originali quæstiones nostris opponit: non enim sunt pares, nec vllam profus probandi vim habent. Respondeo ad primam, *Cur Adami corruptio moralis posteros potius infecit, quàm corruptio posterorum inquinauit Adamum?* quia corruptio moralis non aliter quàm per generationem carnalem propagatur: sunt autem posterii Adami ab eo geniti, non autem Adamus ab illis. Ad 2. *Cur Adami peccatum in posteros necessariò descendit, cæterorum patrum non ita descendit?* quia peccatum Adami fuit mutatio finis vltimi, atque adeò vniuersalem in Adami naturam corruptionem induxit: immundus autem non potuit non immundum, caro non carnem gignere. Peccata verò aliorum patrum, huiusmodi corruptionis causæ esse non potuerunt, cum jam esset in eis producta, sed effecta quibus ipsa sese exeruit, & conseruauit. Itaque quamuis à proximis parentibus eam proximè traxerimus, tamen Adami, vt illius primò autori & scaturigini ascribi debet. Ad 3. *Cur Adami peccatum Caino nocuit, Caini peccatum Adamo minimè nocuit?* quia Adamus genuit Cainum, non Cainus Adamum. Ad 4. *Cur primum peccatum nos potius corrumpit, quàm sequentia Adami peccata?* quia illud naturam Adami corrumpit, ista corruptionem iam factam consequuta sunt vt causam effecta. Ad 5. *Cur Adamus ab illâ corruptione liberatus est, quam sua actione sibi comparauit; infantes omnes, qui nihil mali egerunt, non liberantur?* Liberatus est

ab illius corruptionis reatu gratiâ iustificationis, & ab inherētia paulatim gratia regenerationis, quia credidit & respuit; credidit autem, quia fuit electus. Idem evenit alijs omnibus electis. Cur autem hic potius quàm ille fuerit electus, alij causa quàm liberrimæ Dei voluntati, de suo quod vult facientis, tribui nequit. Genuit autem non secundum gratiam, sed secundum naturam, corruptus corruptos, sicut arte circumcisos gignebat incircumfos. Ad 6. *Cur Christus iustitia & sanctificatio nostradicitur, Adamus non dicitur peccatum & corruptio nostra?* via nulla alia iustitia iustificamur, nulla alia virtute sanctificamur, quàm Christi. Itaque in eo omnis nostra iustitia & sanctificatio quaerenda. Non possumus similiter dicere, nullo nos peccato damnari, quàm Adami. Nam & multorum aliorum sumus rei, & ad vniuersalem corruptionem, quam ab Adamo traximus, multos habitus, seu particulares ad certa objecta determinationes nimis sæpe adjungimus, & illud ipsum Adami peccatum non est nostrum donatione, aut imputatione vt Christi iustitia, sed ratione propagati ex eo vitij nobis inherēntis, quod vim habet nos condemnandi, non quia est Adami, aut profectum ab Adamo, sed quia natura sua vitium est legi Dei repugnans. Ejus pro Pelagio & Socino quaestiunculis respondi: nunc videamus quomodo respondeat nostris.

GAR. *Nobis certa responsio suppetit, imputationem primi peccati esse actionem Dei liberam & voluntariam, ex certo Dei consilio iudicioque, non ex solius naturæ ordine dependentem. Neminem autem fuisse Dei consiliarium, qui ea nosse, & de iis respondere teneatur, quæ Deus in verbo suo reuelare noluit. Sufficere nobis ipsius rei notitiam, omnes scilicet in Adamo peccasse, & ipsius reatum super omnes venire in condemnationem, atque ita primum illud peccatum in omnes imputatione descendere. Rationes illius iudicij penes Deum esse cuius viæ sunt inuestigabiles, & eius iudicia abyssus multa. Rom. xi. 33. Psalm. xxxvi. 7 &c.*

PLAC. Si immediata imputatio primi peccati est actio Dei libera & voluntaria, ea nisi in Scriptura reuelata fuerit, sciri non potest. Atqui non est in Scriptura reuelata, neque ad eam probandam ullam vim habent loca à viro docto hinc repe-

tita, vt partim iam patuit, partim ex dicendis manifestum fiet. Deinde si est actio Dei libera, quomodo est actio Dei iudicialia? liberam enim, opinor, intelligit, quæ potest absque vlla iustitiæ aut legis violatione omitti. Quomodo ergo iudicialia dicitur, si eam à Iudice neque lex, neque iustitia exigit? Si nemo tenetur ea nosse, quæ Deus in verbo suo reuelare noluit, certè nemo tenetur illam imputationem nosse, siquidem, vt contendo, Deus eam non reuelauit in verbo suo. Cæterum quæstionibus illis oppugno potissimum rationes, quæ reddi solent, cur vnum illud peccatum primum nobis omnibus immediatè imputetur. His igitur renunciandum est, ac ad solam Dei voluntatem confugiendum, cui placuit illud vnum, non alia, imputare, aut nostris istis interrogatis respondendum. Deniquè cum Deus nihil faciat nisi sapientissimè, & iustissimè, & optimè, si eiusmodi imputatio aut iustitiæ, aut sapientiæ, aut bonitati repugnare videatur, quominus tribuatur Deo pia refugit conscientia, nec potest id à se impetrare, nisi, vel tollatur illa repugnantia, vel disertis Scripturæ testimoniis, quæ profectò nulla sunt, ad eam credendam aliquo modo cogatur. Quæcunque enim docentur in sacris literis, ea mihi egregiè concordare cum recta ratione videntur, vbique diuinæ virtutes conspicuæ suat. Quis ergo credat in actione diuina tanti momenti, vnde omnium hominum pender condemnatio, & mortis Christi necessitas, nullam bonitatis, nullam iustitiæ, nullam sapientiæ. vel minimam scintillam posse animaduerti, sed repugnantiam tantum rationi, quantum capere possumus, rectæ?

G A R. *Neque tamen questionum nodi putandi sunt insolubiles. Itaque nunc secundo loco Erotemata singula consideremus. Queritur primò. Si Adam peccauit, vt caput generis, cur non parari debeat vt caput? Resp. Adamo cum tribuitur capitis nomen, rationem haberi non tantum originis carnalis, sed etiam fœderis vniuersalis illius, quod in Adamo Deus cum humano genere iniuit. Cum ergo peccasse dicitur vt caput, non tantum denotatur, eum fuisse principium radicale totius generis, verum etiam eâ conditione constitutum fuisse generis caput & principium, vt quamprimum ab obedientiâ præscriptâ deflecteret, non ipse tantum*

peccati sui reatu obstringeretur, sed & posteros omnes reos efficeret, ac proinde pœna dignos. Hoc est ergo peccasse ut caput, & se & posteros ob peccatum illud reatu inuoluisse.

PLAC. Ita nodus non soluitur, sed augetur alio nodo. Nam præter liberam & voluntariam illam actionem, quæ Deo sine Scriptura tribuebatur, ecce aliam, nempe fœderis cuiusdam vniuersalis pactionem, de qua ne *ꝑ* quidem in Scriptura; & quod deterius est, conditio fingitur Deo haud satis digna. Si quod enim fœdus cum homine contrahit, id facit hominis causa, & quia bonum est homini. Hoc verò fœdus, cuius ea esset, quam Vir Doctus declarat, conditio, non poterat non esse Adami posteris damnosum. Multò plus enim ex eo erat metuendum mali, quàm sperandum boni: nam ut inde ad nos aliqua utilitas rediret, opus erat ut Adamus toto vitæ curriculo perseueraret in obedientia & fide erga Deum: nec tamen propterea, si Viro Docto fides haberetur, nobis eius imputata fuisset obedientia, tantùm qualis fuisset, tales nos genuisset: at, si vel semel ab obedientia deflecteret, prima eius inobedientia nobis omnibus imputanda erat ad mortis æternæ reatum, nec id tantùm, sed ut ob imputatum illud peccatum puniremur infligenda nobis erat corruptio illa hereditaria quæ verè peccatum est, & fons peccatorum. Quî factum est, ut Deus, qui ipsa bonitas est, & genus humanum amabat, æquiores ei non tulerit conditionem, & quî Adamus non rogauit Deum, quandoquidem contrahebat cum Deo ut totius generis humani procurator, ut ab eo conditionem impetraret tolerabiliorem? Nam certè talis conditio ab odio potius quàm ab amore profecta videri possit; nec quid ad Dei gloriam, ut omnia quæ facit Deus, per sese conferre possit vlllo modo intelligitur. Adde quòd ea ratione aliter ad Adamum pertinuisset mandatum, aliter comminatio: illud ut ad caput generis humani, hæc ut ad priuatam personam: & vice versa ad nos pertinuisset comminatio, non item mandatum. Denique cur non ea conditione contractum est istud fœdus, ut quemadmodum peccaret, sic etiam puniretur ut caput generis humani? Si recurras ad voluntatem Dei, quid opus erat ad has quæstiones alia responsione, quàm generali ista, quia Deus ita voluit? Sed vide ne ei voluntatem attri-

buas pro tuo ingenio eius virtutibus minimè conuenienter, ac præter Scripturam.

G A R. *Quæritur secundò, Cur potius Adami peccatum posteris, quàm posterorum Adamo imputatur? R sp. 1. Hoc inde esse, quod posterii omnes in Adamo radicaliter & seminaliter fuerunt. Adamus in posteris hoc modo non fuit. 2. Quod peccatum imputari, est pœnam propter peccatum irrogari. Atqui pœna peccatum ordine natura semper insequitur, nunquam antecedit. Non potuit igitur Adamus pœnas dare peccatorum, quæ nondum erant, præsertim cum non ipse, sed Christus peccata hominum portare debuerit, & portando expiare.*

P L A C. Hac interrogatione non oppugnaui immediatè imputationem immediatam primi peccati, sed rationem qua firmabatur, idè scilicet primum illud Adami peccatum omnibus eius posteris imputari, quoniam Adamus componebat cum suis posteris vnum corpus, cuius ipse caput erat, nos omnes eius posterii membra, quod autem facit caput toti corpori imputatur: objiciebam, si valet hæc ratio, causam non esse, cur non itidem quæ faciunt membra capiti, aut etiam toti corpori imputentur, quia reciproca est capitis & membrorum relatio. Itaque non attendens ad mentem meam, & loci, vnde hanc interrogationem deprompsit, circumstantiam, Vir Doctus non ad rem responderet. Nam ad primam eius responsionem quod spectat, primò non est de ratione capitis vt sint in eo membra radicaliter & seminaliter. Deinde si de propagatione ageretur naturali, optima quidem esset ratio, cur propagatum fuerit peccatum ab Adamo in posteros, potius quàm à posteris in Adamum, quia nempe posteri sunt ab Adamo, non Adamus à posteris: sed cum agatur de imputatione immediata, quæ sit libera Dei actio, si spectauit posteros Adami tanquam eius membra vnum cum eo corpus componentes, cur non potuit Deus æquè posterorum Adamo, atque Adami posteris peccatum imputare, præsertim cum posteri nullo modo causa fuerint peccati Adami, Adamus verò causa fuerit peccati posterorum? Ad alteram autem eius responsionem quod attinet, primum viuente Adamo eius filij & nepotes peccauerunt. Deinde vltimi diei iudicium quæ sequetur pœna posterius

erit peccatis posterorum Adami, & quidem omnium. Tertio cum imputatio sit actio Dei, & Deus tum habuerit præsentem omnes Adami posteros, habuit etiam præsentia eorum peccata, cur ergo ea imputare non potuit? Denique, si pœna peccatum ordine naturæ semper insequitur, nunquam antecedit, certè etiam peccatum ordine naturæ semper insequitur existentiam eius cui imputatur, nunquam antecedit.

G A R. *Queritur tertio. Cùm Adamus post peccatum illud primum confestim non desierit esse caput generis humani, cur non sequentia eius peccata æquè imputantur ac primum? Resp. 1. Quia vniam vnus offensam & inobedientiam, non plures memorat Apostolus, ob quam homines peccatores constituti fuerint. 2. Quia Adamus per primum illud peccatum suum, excussus est beneficio fœderis illius, quod Deus cum toto genere in Adami personâ pactus fuerat. Itaque etiamsi non desierit esse caput relatione originis, desijt tamen esse relatione fœderis. Ad imputationem autem de qua loquimur, vtrumque necessarium fuit, vt scilicet Adamus, & radix esset, vnde genus humanum oriretur, & fœderis depositarius, quod sibi & suis, aut conseruaret, aut amitteret. Cùm ergo posterior hæc relatio capitis cessauerit per primum illud inobedientiæ peccatum, nihil mirum si peccata Adami sequentia non imputentur, cùm in eorum patratiōe priorem illam personam non ampliùs sustineret, neque caput esset eo modo, quo Deus ipsum initio constituerat.*

P L A C. Apostolus vniam vnus offensam & inobedientiam memorat, quia vna illa offensa corrupit naturam vnus, qualem autem iste vnus habuit naturam, talem in suos posteros propagauit. Sed quid hoc ad imputationem antecedentem, quam Apostolus non docuit, & quæ omnem propagationem naturalem antecedere putatur, & à Dei duntaxat voluntate pendere? Manet ratio, si ideo imputatur prima illa inobedientia, quia Adamus cùm eam committeret nostrum erat caput, quando cùm alias committebat nostrum etiam erat caput, debuerunt etiam aliæ eius inobedientiæ nobis imputari: eadem enim vtrobique ratio est. Ad alteram responsionem, quam rursus à nescio quo fœdere, cuius iam aliquoties meminerat, arcessit, dico illud fœdus nec in sacris literis doceri, nec Deum

decere, nec eius vllum fuisse beneficium, contra nos, non pro nobis constituti: & quamvis eius beneficio, si quod erat, excussus fuisset Adamus, tamen remansisset vis obligandi ad obedientiam, & si minùs ea præstaretur, ad augendam pœnam. Alioqui quod fuit illud fœdus? idem cum fœdere quod vocant *natura*, an ab eo diuersum? Si idem, mansit obligatus Adamus ad obsequendum legi fœderis naturæ, eiusque omnia peccata fœderis illius violationes fuerunt: cur ergo etiam illius fœderis relatione caput generis non permansit? Si diuersum, duo igitur cum Adamo, atque genere humano contracta sunt fœdera, vnum naturæ, alterum quomodo appellabitur, (gratiæ enim certè quidem non fuit) & cur huius violationis potius imputeretur toti generi humano, quàm illius, quod cum sit naturæ, ad naturam hominum totam pertinet? Adde quod non intelligo, quare id fœdus hominum caput constituerit Adamum, quod diu esse desiit, antequam Adamus quenquam gigneret? Nec quomodo Adamus dicatur caput generis humani relatione ad id fœdus, sub quo eius posterij nunquam fuerunt? Certè caput non fuit posterorum, si antequam vlli fuerint eius posterij, desiit esse eorum caput: nec opinor, dicitur caput relatione fœderis, sed potius relatione ad posteros fundata in generatione. Ita non fuisset caput, nisi quo momento peccauit, hoc est, non fuisset caput nisi quando ij nondum fuerunt quorum diceretur caput, quando fuerunt non fuisset amplius eorum caput, quod concoquat quipotes, ego certè concoquere non possum.

G A R. *Quaritur quartò.* Cur actuale peccatum Adami tanquam capitis imputeretur, quæ tamen fuit actio transiens; & non imputeretur habituale, siue corruptio Adæ, quæ fuit vitium permanens? Resp. I. *Hoc ab Apostolo petendum, qui in hoc negotio lapsus & inobedientiam actualem proponit, non autem proponit habitum corruptionis ex illâ inobedientia consequentem.*

P L A C. Cur ab Apostolo id peterem, qui illam imputationem quam impugno non docuit? Deinde si nullum Apostolus proponit habitum corruptionis ex illâ inobedientia consequentem, non potest ex Apostolo Pighius refelli, nec probari
habitualis

habitualis corruptio. quod quàm fit alienum à doctrina eorum, quorum opera Deus usus est ad reformandam Ecclesiam, nemo in eorum libris non planè hospes non facillè percipit.

G A R. 2. *Cùm in alieni peccati imputatione, non habitus, sed actiones imputentur, sicut patere potest omnia illa exempla percurrenti, quæ supra magno numero producta sunt, quid mirum, si etiam in ista causâ non habitus, sed actio tantum Adami memoratur?*

P L A C. Si habitus sunt peccata, si reos faciunt eos in quibus sunt, quid est cur non possint imputari? Certè, non minus quàm actualia nostra, imputata sunt vadi nostro, ut pro eorum reatu satisfaceret. Alienorum autem peccatorum si quæ facta est imputatio, unde habes separata ab habitualibus imputata fuisse peccata actualia? Et ut id probari posset, tamen peculiaris est ratio habitus corruptionis Adami, qui fuit peccatum naturæ, cum eius causa inobedientia actualis fuerit potius peccatum personæ; Ille propagatur cum natura, hæc non item.

G A R. 3. *Imputare alicui peccatum alienum, est ipsum eodem loco habere, ac si in propriâ personâ ipsemet peccatum patrasset, aut commississet. Atqui habitus non patrantur, neque committuntur. Itaque nec imputantur.*

P L A C. Quid igitur fiet de peccato omissionis? neque enim propriè patratum aut committitur: immò ommissio commissioni opponitur. Vides etiam lector hinc sequi peccatum originis habituale seu corruptionem non esse verè peccatum: omne enim verè peccatum imputatur, nisi condonetur: condonare enim est non imputare peccatum.

G A R. 4. *Eâ ratione fœdus à Deo cum Adamo conceptum est, ut quamprimum illud violaret, se & suos illo reatu obstringeret. Violavit autem priusquam habitum corruptionis induisset: & fuit illud actuale peccatum naturâ prius illo habitu. Ideo actio imputata, non imputatus habitus.*

P L A C. Utinam vir doctus verba retulisset quibus illud fœdus fuit conceptum! Nam si ea nesciuit, quâ scire potuit illud eâ ratione fuisse conceptum? Quid est facilius quam sic

rationes fingere: Quod si vox *quamprimum* abfuit ab illis verbis quibus conceptum fuit, cur eam vir doctus de suo inseruit & addidit? Si in concipiendo illo foedere Deus illa voce usus est, unde habet vir doctus eam significatione tam præcisa esse accipiendam, vt excludat habitum idèd, quia si non te nporis forte aliquo naturæ momento sequutus est actuale peccatum?

GAR. *Si comparatio instituaturs actualis inobedientiae Adam, & consecuta corruptionis habitualis, videbimus hanc corruptionem fuisse effectum illius inobedientia, atque adeò pœnam iusto Dei iudicio illius peccati actualis. Pœna verò non imputatur, sed peccatum potiùs quod est illius pœnae causa meritoria. Quid ergo mirum, si illa inobedientia potiùs imputata est, quàm ista corruptio?*

PLAC. Hic rursus negatur corruptio imputari, esse peccatum, & doctrina tam opposita confessionibus fidei Protestantium inculcatur. Quod autem ait corruptione n esse illius inobedientia actualis effectum, si effectum accipit significatione paulò laxiore admitti potest? Se habet enim ad illam inobedientiam vt calor ad calefactionem per quam produci- tur. Quod verò inde deducit, eam esse pœnam illius inobedientia, non consequitur necessariò: non enim omnè peccati effectum illius pœna est. Certè habitus neque bonarum actio- num prænia, neque malarum pœnae esse propriè solent. Quo- modo autem corruptio pœna sit, & iusto Dei iudicio tribui possit, & supra explicatum est, & infra etiam explicabitur. Cæterum quocunquesensu pœna dicatur, id non impedit, quin sit peccatum dignum alia pœna, ac proinde imputabile.

GAR. *Quintò quæritur. Si primus actus peccandi fuit actus naturæ, cur non & primus actus generandi, vt in Adamo dicamur Caimum, aut Sethum generasse? Resp. Mitto vi-*
 Cap. 16. *ri docti pœnæ quæ, Sethi genituram primo actui, quo Adamus*
 §. 12. *generavit, attribuenti, qui tamen non nisi tertius esse potuit,*
 Gen. 1v.

PLAC. Quale quæso, est hoc *pœnæ quæ*? Vereor ne id potiùs Viro docto tribui debeat, qui animaduertisse non videtur vim disiunctiuae *aut* qua usus fueram; nempe duplex fuit actus generandi Adam, vnus absolutè primus, alter primus

in genere eorum unde orti sumus. Ille fuit actus quo Caïnnum genuit, hic quo Sethum : Ex Setho enim, minime verò ex Caïno, nos omnes originem ducimus : vtrumque, ne quod pateret effragium, complexus sum.

G A R. *Ad rem ipsam dico, non quemlibet primum actum naturæ fuisse posteris imputandum (hoc enim Scriptura neque aperte testatur, neque vel lenissime insinuat) sed primum tantum actum naturæ deficientis ab ea perfectione, quam ipsi Deus creatione indiderat, idque iuxta comminationem, quo die primum de fructu vetito comederis, moriendo morieris. Cùm igitur primus actus generandi, nullus fuerit per se actus naturæ rebellantis ac deficientis à creatore, magis quàm primus actus respirandi, concoquendi, ambulandi, &c. Sed prima illa inobedientia fuerit primus deficientis naturæ actus, quo scilicet Adamus à primæuo: fœdere desciiuit turpissimè, nemo mirari debet, si & primus peccandi actus posteris imputetur, & primus generandi actus non imputetur.*

PLAC. Non igitur imputatur nobis inobedientia illa Adami, quâ est actus Adami : alij enim multi eius actus non imputantur : nec quâ est primus eius actus, non enim absolutè primus fuit, sed tantum in suo genere, nec qua est in suo genere primus actus naturæ ; hoc enim alijs quoque actibus conuenit, sed quâ est actus naturæ deficientis. Iam hoc quæritur, quare actus naturæ deficientis nobis potius imputari debeat, quàm actus naturæ non deficientis ? id enim, vt video, à defectu est naturæ, non ab ipsa natura. Quid est enim cur, cùm cætera sunt paria, malum potius nobis imputetur, quàm bonum ? Nam si peccare sequitur esse, vt certè debet (non entis enim non sunt accidentia) actus generandi is est cuius vi primum sumus, hunc sequi debere videtur, & in eo fundari is actus cuius vi primum peccatores sumus ; saltè hic nos non facit peccatores, nisi illo mediante : itaque illum præsupponit : peccare enim præsupponit esse, & prius est naturæ ordine nos fieri, quàm fieri peccatores. Si ergo fuimus peccatores imputatione alieni peccati qua fit nostrum, ea imputatio sequi debet aliquid quo fuimus homines, siquidem ordine naturæ prius sumus homines quàm peccatores, prius est subje-

Etum quàm eius accidens. Is au em actus, quo primo facti sumus homines, est actus ille generandi, quo Adamus Sethum genuit: quare imputatio peccati primi antecedens seu immediata supponit illum actum. Prius igitur fuit nos haberi pro genitis ab Adamo, quàm pro peccatoribus, & primus ille actus quo geniti sumus prius ad nos pertinuit, quàm ille quo facti sumus peccatores. Imputatur enim nobis peccatum Adæ, quia sumus eius posteri: sumus autem eius posteri, quia nos genuit: nos autem genuit, quatenus genuit Sethum. Actus ergo quo genuit Sethum ordine naturæ antecedit imputationem peccati. Sed tamen, si viro docto fides habetur, imputatum est nobis peccatum Adami diu antequam Sethum genuisset, illo ipso tempore quo commissum est: aut igitur antecessit etiam generationis imputatio, aut ostendendum est quomodo potuerimus prius considerari vt peccatores quàm vt homines, & posteri Adami.

G A R. *Quaritur sextò. Si vt Christi iusticia nobis imputatur, ita & peccatum Adæ nostrum sit imputatione, cur non, vt Christus dicitur iusticia nostra, ita & Adamus dicitur peccatum nostrum? Resp. 1. Deum loqui vt vult; nostrum esse iis phrasibus esse contentos, quæ in Scripturis occurrunt, quaque Dei mentem, quantum salutis nostræ interest, satis euidenter exponunt. Quanquam ergo non dicit Scriptura Adamum esse peccatum nostrum; eas tamen locutiones adhibet, quæ imputationem manifestè designant, de quo fusè dictum est antè.*

P L A C. Hac ratione seu interrogatione vsus esse me non memini, nec cuius sit noui: siue tamen mea, aut alterius sit, accommodata fuisse videtur ad refellendam maiorem argumenti, quo solet imputatio immediata maximè niti, *Quemadmodum constituimur iusti per Christum, eodem modo constituti sumus peccatores per Adamum*: ostendit enim inter Christum & Adamum memorabile discrimen: Non est autem verbum dicitur in hac interrogatione accipiendum relatè ad solum Scripturam, vt facit vir doctus, sed relatè ad Scripturam & omnes Theologos, qui nunquam dixerunt Adamum esse peccatum nostrum, aut iniusticiam nostram, aut nos esse iniusticiam in Adamo. Diuersitas enim phrasium cur de

Christo & Adamo agitur in negotio iustificationis & condemnationis arguit inter utrumque diuersitatem atque disparitatem. Itaque nos quidem decet iis phrasibus esse contentos, quæ in Scriptura occurrunt, & verò nos iis admodum contenti sumus, sed decet nos tamen eas phrasès attentè considerare, & rationes expendere, quare sic vel sic Deus mentem suam expressit, vel non expressit; in quo nobis suo exemplo præiuerunt Apostoli, ipsum etiam Scripturæ silentium interdum vrgentes. Nullæ autem sunt apud Apostolum locutiones quæ inputationem immediatam manifestè designent, immò ne obscure quidem quæ designent, vllæ sunt.

G A R. 2. *Locis illis, vbi dicitur Christus iustitia nostra, nulla inter Adamum & Christum instituitur comparatio: quæ si instituta fuisset, ut factum est Roman. 5. quis nouit annon eâ phrasi vsurus fuerit Paulus, quæ doceret Adamum esse peccatum nostrum, sicut Christus est iustitia nostra, etsi non eadem omnino ratione.*

P L A C. Ego verò inde argumentor, quòd vbi nullam instituit Apostolus comparationem Christum inter & Adamum vsurpat illam de Christo locutionem, vbi autem aliquam inter vtrumque instituit comparationem ab ea abstinet. Quanquam, vt dixi, non ad solam Scripturam, sed etiam ad Theologos omnes habetur respectus, qui locutionem illam nunquam vsurpant de Adamo.

G A R. 3. *Probabilis tamen ratio reddi potest, quare Adam non dicatur peccatum nostrum, sicut Christus iustitia nostra nominatur. Ita nempe vocatur Christus, vt significetur, nihil esse internum & inherens in nobis, cuius vi & virtute coram Dei tribunali consistere, aut absolutionem & remissionem peccatorum impetrare valeamus: itaque extra nos esse totum illud, quod est nostra iustificationis meritorium, iustitia nimirum quæ Christi est propria, nostra non est nisi imputatione. Atqui tale aliquid de Adamo dici non potest. Nam præterquam quòd Adam peccatum actuale meritorium est penarum, quæ nobis incumbunt; est etiam internum aliquid & in nobis inherens, cuius merito etiam condemnationi subiaccemus, nimirum natua nostra corruptio, quæ unà cum imputato Ade peccato facit vnum veluti corpus reatus, quo Deus iudicio suo nos tenet obnoxios. Ea igitur causa esse potest, quare non dixit.*

rit Scriptura Adamum esse peccatum nostrum , sicut dixit Christum esse iustitiam nostram.

PLAC. Agnoscit ergo vir doctus non eodem profus modo per Adami inobedientiam nos coram tribunali Dei constitui peccatores, quo per Christi obedientiam constituimur iusti: taque non esse vrgendam illam similitudinem, quasi nullum esset in modo discrimen: hoc verò est totum, quod hac interrogazione, siquidem eâ sumus vsi, probare instituiamus. Quare pro nobis, non contra nos hæc eius militat responsio. Videntur tamen in ea quædam digna reprehensione. Illud in primis, quod ait, iustitiam Christi nostram non esse nisi imputatione: nam si similiter, vt passim contendit, peccatum Adami nostrum non est nisi imputatione, eodem modo ambo nostra sunt, nec ea in re vllum est discrimen. id quod pugnat cum Apostolo, maximum in modo, quo nostræ sunt, iustitia Christi & iniustitia Adami, discrimen innuente, cùm illam appellat donum, & gratiam, & donationem quæ est ex gratia: sic enim modum significat quo fit nostra: quo modo nostrum nec factum est, ne fieri potuit Adami peccatum. Deinde quorsum obseruat hoc loco, iustitiam Christi propriam, non esse nostram nisi imputatione, si idem censeret de peccato quod Adami est proprium, id similiter non esse nostrum nisi imputatione? Quid enim hoc facit ad discrimen inter Christum & Adamum explicandum? Quod si id non censeret, sibi ipse contradicit. quippe qui id aliquoties inculcauit. Præterea, si est aliquid in nobis internum & inhærens cuius merito condemnationi subjacemus, cur eo merito eaque condemnatione non contenti, volumus aliud peccatum extra nos positum immediatè imputari? Nempe, inquires, vt sit huius interni causa, quo alioqui careremus. Delectatur igitur Deus hoc interno peccato, quippe qui sine vlla necessitate liberè nobis illud extra nos positum peccatum imputat, vt vi illius imputationis producat internum illud in nobis peccatum, quod alioqui non posset produci. Hoc cene est glorificare Deum, & non potius eum facere, (quod sine horrore conscientie pronunciare non possum,) autorem peccati nostri? Denique, quomodo imputatum illud peccatum & corruptio natua faciunt vnum ve-

Iusti corpus reatus, si hæc illius est pœna propriè dicta? Antecedit enim reatus pœnam; & qui adedò reos facit imputatum peccatum, ut simus illâ corruptione & morte æterna digni, eius reatus non dimidiatus videtur reatus, sed perfectus & integer. Quod si vnum componunt corpus reatus, vel eum reatum integrum intellexit Apostolus Rom. v. atque ita alio modo condemnatur per Adamum, quàm iustificatur per Christum, quod passim negat vir doctus, vel intellexit dimidiam tantum illius reatus partem, id quod, opinor, nemo dixerit. Ultimam quæstionem visum est differre in suum, qui mox occurret, proprium locum.

Pergis quærendo; *Que enim, inquis, ratio assignari potest, cur paruuli, qui nondum peccarunt actualiter, moriantur, vel in utero matrum, vel nascendo, vel statim post natiuitatem, nisi hæc, quòd peccatum Adami, per quod mors peruasit in omnes homines, illis imputetur?* Ego contra quæro, quæ ratio assignari possit, cur paruulis peccatum actuale Adami, tantò antequam esse inciperent admissum, nondum usum rationis assequutis imputetur ad mortem? Interim tuæ quæstioni satisfacio: assigno rationem, vitium illis inhærens à conceptione. testem laudo Confessionem Fidei Art. XI. *Credimus hoc vitium esse verè peccatum, quod omnes & singulos homines, ne paruulis quidem exceptis, adhuc in utero matrum delitescentibus æternæ mortis reos coram Deo peragat.* Videras hanc rationem, cur ei non acquieuisti? *Non satisfiit, inquis, si quis dicat esse peccatores, & quia peccato inquinatos, esse mortales. Id quidem verum est, sed necessario admittendum est, eos nullum habere peccatum, nisi illud originale, quod non est peccatum ipsorum, nisi quatenus sunt filij Adami, & quæ: ab ipso orti & procreati, in ipso peccauerunt, & inobedientia & culpa illius ipsis imputatur.* Aut te non intelligo, aut hîc incipis quod sentis ape-

fire, nullum esse peccatum originale præter illud
 actuale Adami nobis imputatum: Quæ Pighij & Ca-
 tharini, & Salmeronis fuit sententia ab Ecclesijs no-
 stris iure damnata: nam si credis in infantibus vitium
 esse originale inhærens, quod verè peccatum sit, quod
 generi humano damnando sufficiat, quod infantes in
 vtero materno delitescentes aternæ mortis reos co-
 ram Deo peragat, cur tibi quærenti, cur infantes
 moriantur, non satisfacit qui respondet, in illis cau-
 sam esse mortis vitium seu peccatum hæreditariò in-
 hærens? Hoc enim est mortis infantium proximam
 causam afferre, cujus remota est lapsus Adami. Si
 rursus quæras, cur hoc vitium puernis insit, Respon-
 debo cum Iobo, *ex immundo fieri mundum non posse*, Et
 cum ipso Christo, *quod ex carne natum est, carnem esse*,
 Quàm homo hominem, tam immundus immundum,
 corruptus corruptum genuit secundum leges naturæ.
 Quid est quamobrem hæc responsio tibi non satisfacit?
 an quia non capis quomodo vitium propagari
 possit & à parente in prolis animam transfundi? at-
 qui nihil in ea re est difficultatis, præter eam quæ ori-
 tur ex creatione animæ rationalis: quam difficulta-
 tem thesibus meis tollere conatus sum ea ratione,
 quam tu, quia non intellexisti, carpis quidem in ex-
 tremo tui tractatus Capite, sed nullo modo refutas.
 Frustra enim laboratur in refutando id, quod non in-
 telligitur. Ad eum locum cum peruenero, Deo bene
 iuuante, me ipsum explicabo. An quia non capis,
 quomodo vnum actuale peccatum inuehere potuerit
 in Adamum corruptionem moralem vna cum natura
 propagandam? Atqui hujus rei rationem in thesibus
 reddideram, quam à te reiectam aut reprehensam in
 toto

toto isto tuo tractatu non legi.

Vis dicam ingenuè quid intersit inter tuam sententiam & meam? Ego eò tendo, vt omnium malorum generis humani fons & causa in ipsum genus humanum, non autem in Deum referatur. Tua verò sententia eò spectat, vt ipsi Deo attribuatur. quod ego, qua erga Creatorem & Redemptorem meum ducor reuerentia, pati non possum. Vitium inhærens fons est omnium peccatorum actualium. Constat inter nos id ducere originem à primo peccato actuali Adami. Sed quæritur primò, quæ sit ratio, cur primum peccatum actuale Adamum corruperit? Ego id ascribo ipsi illius primi peccati naturæ, quod fuit *mutatio summi boni*, seu *finis ultimi*, hoc est, apostasia à Deo, tanquam inuido & maleuolo, & conuersio ad creaturas tanquam ad summum bonum, seu finem vltimum, contra Dei uerbum. Quoniam autem quicquid appetimus est, aut finis, aut medium ad finem, & media omnia, omnesque fines subordinatos finis vltimus continet sibi colligatos, eo mutato sequuta est vniuersalis mutatio eorum omnium, quæ in Adamo moralia fuerunt, quam mutationem subsecuta mala conscientia Deum refugiens & horrens, vt offensum, vt iratum, vt iudicem, vt hostem, auxit & confirmauit. Tu verò non dubitas id, quicquid est, ipsi Deo adscribere, qui iustitiam substraxerit Adamo, eumque priuauerit rectitudine & sanctitate, vt sic puniret peccatum actuale, & iustitiæ suæ satisfaceret.

Quæritur secundò, cur peccato corruptus ac vitiatus Adamus filios genuerit similiter corruptos? Ego corruptionis illius naturæ id tribuo, quæ vniuersalis

cùm esset, ipsam vim generatricem, quatenus moralis quædam facultas est, corrumpit, & infecit, & convertit ad generationem, non vt ad medium, sed vt ad finem vltimum. Porrò finis vltimus, cùm ab alio non definiatur, aut pendeat, sed ab eo omnia, naturâ suâ infinitus est. Itaque in eum feruntur facultates sine limitatione, aut modo, quodammodò infinite. Postquam igitur in locum veri finis vltimi, hoc est, Dei successit falsò apparens, fallax nempe fœlicitatis species reperiendæ in creaturis, immoderatè, absque fræno, absque limitatione, corruptè, deprauatè que circa generationem versata est, tanquam circa finem vltimum facultas generandi, parte animæ superiore, eodè conuersa vnà cum appetitu sensitiuo, non cohibente, sed impellente. A facultate sic corrupta ac deprauatè agente elaboratum est semen corruptum, hoc est, consentaneum ac congruens cum deprauatæ facultati generatrici, tum etiam alijs facultatibus quas generatrix semine adumbrare & exprimere quàm accuratissimè conatur. Quomodo autem hæc vitiositas à semine ad animam rationalem transeat, suo loco, hoc est, ad Cap. vltimum tractatus tui Deo dante exponam.

G A R. *Primum id ab eo quarimus, quod ipse à nobis alibi, Vnde id habes? Ex Scripturisne, an aliunde? aut quomodo demonstras, hoc non esse inter fragmenta habendum, qua inani subtilitatis umbra curiosulos delectant?*

P L A C. *Quæsiui vnde haberetis, qui cum disputabam, quod dicebat de interno quodam mentis & voluntatis diuinæ actu, non aliundè quàm ex reuelatione diuina noscendo. Hic uerò quid dixi eiusmodi, quod non vel Scriptura, vel ratione, vel experientia ipsa firmari possit?*

G A R. *Ego verò vix oculis meis credidi cum legerem facult-*

tatem genitricem inter facultates morales locum habere posse: An etiam ut eam physicis & medicis tanquam mala fidei possessoribus ereptam, moralis philosophia in posterum sibi tanquam proprium peculium vindicet? Quid vero habet facultas ista, quare potius ad moralium dignitatem euehi debeat, quàm concoctrix, vel attrix, vel augmentatrix, quas hæcenus docuerunt Philosophi non esse rationis participes, sed naturâ suâ brutas ac sui nescias, quæque homini conueniant, non qua homo est, sed quâ naturam habet cum alijs animalibus communem? Denique quæ lex erit Decalogi, cuius præcepto facultas generandi subjacere credenda sit? Moralia enim Decalogo circumscribi omnes, ut spero, consentiunt. At saltem moralibus subjecta est. Imò neque hoc simpliciter verum, alioqui ex imperio voluntatis semper moueretur, quod sæpè aliter fieri certum. Neque fœmina semper vel concipit, cum vult, vel non concipit, quando non vult.

PLAC. Egone simpliciter dixi, facultatem genitricem esse facultatem moralem? tantùm dixi corruptionem naturæ vniuersalis cum esset, etiam ipsam facultatē genitricem, quatenus moralis quædam facultas est, corrupit, significauit igitur non absolutè moralem esse, sed quodam respectu. Tribus autem modis spectari potest, vno, ut est facultas quædam seu proprietates generica: quo modo spectata facultas est animæ vegetatiuæ merè physica & bruta: nihilque intendit gignere, nisi rem vegetantem. Altero, ut est facultas animalis moliens generationem animalis, atque ad eodē ipsius animæ sensitiuæ productionem: quomodo dici potest facultas animæ sensitiuæ, cujus appetitu sensitiuo excitatur ad generandum, & applicatur. Denique spectari potest ut est facultas hominis pendens aliquomodo non solum ab appetitu sensitiuo, sed etiam à voluntate, & intendens generationem non canis, aut leonis, aut alius animalis bruti, sed hominis. Eatenus dici potest moralis, quatenus elaborat semen ut producat animal rationale præditum facultatibus moralibus, & excitatur ac applicatur ad eam rem facultatibus moralibus, voluntate & appetitu sensitiuo. Sicut ergo appetitus sensitiuus, quamuis genere suo non nisi sensitiuus sit, tamen in homine spectari potest, quatenus

est aliquo modo rationalis, & , vt loquitur Aristoteles; λόγῳ μετέχει πᾶσι, atque ita & virtutis capax est, & lege regi potest; Sic facultas generatrix, licet genericè spectata nullo modo moralis sit, tamen quatenus est facultas hominis, cuius & appetitu aliquomodo regitur, & generationem molitur, quid est cur eatenus moralis aliquomodo dici non possit? Id quod ipse vir doctus innuere satis videtur cùm ait, eam imperio voluntatis sèpè non moueri: concedere enim videtur, eam imperio voluntatis aliquando moueri. Quid est igitur quamobrem eatenus non possit appellari moralis? Nihil igitur aliud volui, nisi eam quatenus ab appetitu seu libidine dependet, & elaborat semen accommodatè ad facultates morales, eatenus corruptam fuisse, atque, vt ratione naturæ tendit ad productionem hominis, sic ratione corruptionis tendit ad productionem hominis corrupti. Quid est ea in re, dignum tam acri reprehensione? Est quidem facultatis generatricis, si secundum rationem illam suam genericam spectetur, eadem quæ altricis, aut austricis ratio: non verò, si secundum specificam, quam habet in homine, cuius ab appetitu dependet. Non enim concoctrix qua concoctrix, aut altrix qua altrix vllò modo dependet à voluntate, sed tantùm per accidens, quatenus vtraque cibi sumptionem sequitur pendentem à voluntate. Sed generatio qua talis aliquomodo in potestate est voluntatis seu appetitus: Nam nec generant vnquam patres non concurrente appetitu, & possunt à generando etiam perpetuò abstinere si velint. Quid igitur est, cur, vt manducandi, sic generandi facultas lege regi non possit? Et quò pertinet mandatum Decalogi, *non concupisces*?

Cap. 11.
s. 17. G A R. *Verùm his misis, quid est, quod dicitur Adæ corruptio conuertisse facultatem generatricem ad generationem tanquam finem vltimum? Nam illa certè corruptio, cùm sit vniuersalis, alias etiam facultates infecit non minùs quàm istam. Quidni ergo ceteras facultates ad actûs suos, concoctricem ad concoctionem, altricem ad nutritionem, &c. tanquam finem vltimum conuertisse dicatur? vt sit pro facultatum numero etiam finium vltimorum numerus. Quod quis ferat eorum qui norunt finem vltimum homini non posse esse nisi vnum?*

PLAC. Et vniuersalis est illa corruptio, & alias etiam facultates infecit, sed ad propositum sola generans faciebat, quia de propagatione hominis, per quam propagatur illa corruptio, agebatur. Sed neque, vt iam monui, concoctio & nutritio sunt, vt actus generandi, insecti libidine, & facultas generandi cæteras facultates conatur quales sunt, propagare. Interim certum est non tam perfectè suas obire functiones concoctricem & altricem post peccatum admissum quàm ante. itaque morbis variis & morti, etiam ab infantia omnes sunt obnoxij homines, nec tamen concoctio aut nutritio sunt vltimi fines, sed subordinati tantùm conseruationi indiuidui & propagationi speciei. Finis vltimus verus non potest esse nisi vnus, nimirum Deus. Sed finis vltimus falsus genere tantùm vnus est, specie autem & numero multiplex; vel enim voluptas quæritur, vel vtilitas, vel honor, horumque etiam pro variis rebus in quibus quærentur, magna est varietas.

GAR. Praterèa, Cùm finis vltimus relationem habeat ad fines intermedios & subalternos, eorum erit propriè finis vltimus, qui finium subalternorum, & vltimi distinctionem nosse possunt; quodcùm neque in corruptionem vniuersalem illam, neque in facultatem generatricem, aut aliam simpliciter physicam conuenire possit, quomodo dicetur facultas genitrix à corruptione conuerti ad generationem tanquam ad finem vltimum? Distinguendum potiùs fuerit inter facultatem, & hominem, qui facultate utitur. Hic enim poterit sanè intelligentia ac voluntate suà finem vltimum sibi præstituerè: sed ipsa facultas physica, finem habet ad quem ab Auctore natura determinata est, quem semper respicit, quicquid homo corruptus molitur, vt concoctrix concoctionem, genitrix generationem, &c.

PLAC. Si benè ratiocinatur vir doctus sola mens agit propter finem, non voluntas: hæc enim non cognoscit propriè, nedum vt distinctionem cognoscat inter finem vltimum & subordinatos. Phantasia quoque & appetitus sensitivus eam distinctionem non norunt. Quod si vt facultas agat propter finem vltimum, oportet distinctione finis vltimi à subordinatis illam facultatem nosse, necesse etiam erit vt eandem distinctionem cognitam habeat facultas quæ tendit in finem subordina-

tuam ultimo : itaque nulla, ut dixi, hominis facultas, præter unam mentem ager propter finem. Idem de vniuersa natura, quam propter finem agere, à Philosophis demonstrari solet. Nihil igitur falsius illa viri docti propositione. Porro cum homo uiente & voluntate tendit in verum vltimum finem, eodem etiam omnia hominis tendunt, & ab eo referuntur : at cum à vero fine vltimo aberrat, ab eodem etiam fine eius omnes aberrant facultates. Quis autem nescit quàm libidine procliuus sit ad facultate generandi abutendum ad voluptatem? Et quando illa tributa est à Deo ac destinata ad procreationem similis, postquam in generante vniuersali corruptione, fieri non potest quin, non Dei, sed corrupti generantis vitio, generet corruptum, sicut facultas genitrix leprosi generat leprosum : determinatur enim eam ad rem non ab autore naturæ, sed à deprauatione eius cuius est facultas.

G A R. Deinde cum finem vltimum vir doctus proponat, qui in veri finis locum successerit, falso apparentem, nempe fallacem felicitatis speciem in creaturis reperiendam, quomodo statim desinit ad generationem, hoc est, à generali fine ad singularem? Non enim qui agnoscit successisse, in locum veri finis vltimi finem alium falso apparentem, idè statim concludere cogitur, eum finem esse debere generationem. Cur enim potius quàm scientiam, vel voluptatem, vel bona externa, &c. nisi aliunde pateat ratio, quare potius successisse dicatur in locum veri finis vltimi generatio, quàm aliud quodlibet?

P L A C. Ludere mihi potius videtur vir doctus his verbis, & sequentibus, quàm serio argumentari. Nonne enim fallax illa felicitatis species multis in rebus quæritur? At cur non potius voluptatem dixi quàm generationem? nempe quia coitus voluptatem sic visum est honestè significare. id quod miror aut non animaduertisse virum doctum, aut, si animaduertit, dissimulasse. Quis enim quæso concupiscentiæ carnalis & libidinis est scopus? gloria Dei? ædificatio proximi? certè nihil nisi fallacem sequitur felicitatis & voluptatis vmbra. id quod in iis cernere est qui huiusmodi concupiscentiis laxant fræna : aliud enim nihil quærent quàm cupitis potiri, & libidinem explere. Itaque quæ vir doctus subjungit, non videntur mihi vlla egere responsione.

GAR. Sed fac omnia haud aliter habere, quàm quomodo viro docto libuit: vim generatricem esse facultatem moralem; corruptionem Adæ eam conuertisse ad generationem tanquam finem ultimum, eodem conuersam fuisse totam partem superiorem animæ cum appetitu sensitivo, id est, totum Adamum; ex iis promanasse corruptum semen. Hac omnia tamen non effecerint, ut corruptio illa prima prognatos ex Adamo inquinat, nisi aliud aliquid adiungatur. Nam & idem in alijs accidere potest. Homo se perjuris, adulteris, homicidijs, &c. contaminabit, & pessimos habitus inde contrahet: vim genitricem suam, & appetitum sensitivum, & partem animæ superiorem, & se totum, quantum quantum est, ad generationem conuertet, tanquam finem ultimum: & tamen, vitia sua illa, quibus iustam condemnationem in caput suum accersuit, propagatione naturali non deriuabit in posteros, sicut Adamo factum. Aliud ergo quippiam intercessisse necessum est in primo illo peccato, quod in alijs patrum peccatis non ita habet. Nimirum Deus, cui ius est absolutum in creaturas suas, primum illud *περὸν ἀνα* peccatum iustissimo iudicio imputatum voluit omnibus ipsius posteris: aliorum peccata non ita vult in omnes posteros descendere.

PLAC. Quo sensu facultas genitrix à me dicatur aliquatenus moralis, iam exposui, nimirum ratione concupiscentiæ seu libidinis, & destinationis ad procreandum morum subiectum. Patet etiam quo sensu dixerim eam cōuersam fuisse ad actū generandi tanquam ad vltimū finem, nempe quia aliud non spectat libido, quàm voluptatem: Eatenus etiam corrupta à me dicitur, quatenus non solum ad propagationem facultatum hominis tendit, sed etiam ad propagandam corruptionem, in quo à scopo, cuius gratia creata fuit, recedit. Hac immunditie posita necessariò sequitur prognatos ex Adamo inquinari. At cur idem non accidit in alijs peccatis? quia alia peccata non induxerunt in parentes vniuersalem corruptionem, sed ex ea profecta sunt, nihilque addiderunt præter vniuersalis illius corruptionis particulares quasdam determinaciones ad quærendam foelicitatem potius in tali re quàm in alia, in tali voluptate quàm in aliqua alia. itaque mirum videri non debet si corruptio vniuersalis propagatur, non propagatur. continuo

particulares determinationes seu habitus. Est enim, nostrâ quidem sententiâ, vniuersalis illa corruptio posita in propensione ad falsum finem vltimum, & auersione à vero fine. Est enim appetitus finis vltimi necessarius, quia primò omnium appetitur. itaque creari hominem oportuit cum appetitu veri finis, & nunc nasci necesse est cum appetitu finis falso appetitis, si non actu, saltem propensione, ob inductam in naturam nostram per lapsum Adami finis vltimi mutationem: quæ mutatio per perjuriam, adulteria, & homicidia non fit, itaque non propagantur. Hinc est quod particulares eiusmodi habitus seu determinationes aliquomodo corrigi & mutari possunt, & non rarò ab vno vitio in oppositum flectimur: Sed vniuersalis illa corruptio nisi per gratiam regenerationis auferri à nobis nequit. Quod si hæc nostra non placet responsio, malim saltem dicere, huius discriminis hanc esse causam, quòd noluerit Deus impedire quominus primum illud Adami peccatum propagaretur, alia verò eius & aliorum patrum peccata, quominus etiam ipsa propagarentur, voluerit impedire. Hoc enim fatius videtur quàm imputationem antecedentem comminisci, quæ tamen non obstat, quin ad Dei voluntatem discrimen illud totum referendum sit. Cæterum hæc mihi videntur conjungi duo non satis benè coherentia, cum imputatio illa Adami peccati fieri à Deo dicitur pro absoluto suo in creaturas iure, & tamen iustissimo iudicio. Quæ enim Deus facit vt iudex, ea facit secundum latam à se legem & iustitiæ normam, quæ verò facit vt absolutum habens in creaturas suas ius, ea facit pro liberrimo suo beneplacito, non autem secundum aliquam legem præstitutam, poscente iustitia.

GAR. *Nos hanc rationem vrgemus &c. Malum, quod à tempore primæ transgressionis Adæ in omnes ipsius posteros ita deriuatur, vt non priùs incipiant esse, quàm illo malo affici, est ex singulari iudicio Dei, siue ex voluntate & consilio Dei tanquam supremi iudicis in pœnam peccati illius quod in Adamo præcesserat. Atqui labes Originalis est malum, quod à tempore transgressionis Adæ in omnes eius posteros ita deriuatur, vt non priùs esse incipiant, quàm illo malo affici. Labes igitur originalis inest in omnibus Adæ posteris ex ratione singularis iudicij Dei, in pœnam primæ illius*

illius transgressionis Adæ; unde per se consequitur illius imputatio. De minore nemo dubitat. Maioris veritas etiam certa est. Nam cum iam supra demonstratum sit, eam corruptionem moralem non omnes ex Adamo descendentes non posse soli naturæ adscribi, nemo causam dicere potest, cur non ad singulare Dei consilium atque iudicium ascendendum sit: Quod autem malum est à Deo tanquam iusto indice, est sine dubio in pœnam alicuius peccati præcedentis. At in ipsis posteris primulùm conceptis aut nascentibus non est aliud peccatum, quod præcedat eam labem originalem. Denunciandum est igitur ad ipsum Adæ peccatum, propter quod Deus illud malum in posteris descendere voluerit.

PLAC. Quid est aliud hæc ratio, quàm, ut loquuntur, petitio principij? Affertur enim pro argumento illud quod planè idem est cum eo quod vertatur in quæstione. itaque negatur maior: nec probatur ex eo quod ait vir doctus iam supra demonstratum esse: id enim nusquam demonstratum est, nec, ut arbitror, potest demonstrari. Quanquam si accuratè loqui volumus, propagatio corruptioni non soli naturæ, sed eius depravationi debet ascribi: quæ naturâ suâ contagiosa est ut quod maximè. Potest etiam maior distingui: & concedi si malum intelligitur à prima Adæ transgressionem actuali & habituali diuersum; sin minus, negari.

Huius ergo corruptionis propagationem in omnes Adami posteros soli naturæ vitiosæ ascribo, ex qua nihil potest gigni nisi vitiosum. Tu verò eam Deo ascribis imputanti peccatum actuale vnius Adami omnibus hominibus, illisque singulis & omnibus corruptionem illam, ut peccatum illud puniat, infligenti. Quod si Deus nolisset, vel primum peccatum actuale primi hominis nobis imputare, quemadmodum cætera eiusdem hominis peccata nobis non imputat; aut si imputatum nolisset punire ea pœna, quæ peccatum est, ac fons omnium aliorum peccatorum, nasceremur absque peccato incorrupti: cur autem utrumque illud voluit? Confugitis ad iulianam;

quæ scilicet exigebat vt peccatum illud actuale , & nobis tot post sæcula nascituris imputaretur , & imputatum sic puniretur. Eiusmodi iustitiam vnde habeatis nescio , nec cur iustitia appelletur intelligo , & mihi videtur cum ipsa iustitiæ notione pugnare. Sed de hac re alibi.

Quid , inquiet aliquis, factum ne est igitur absque Dei iudicio, eodemque iusto, vt vitium illud inhærens in Adamum inuaserit , & ab eo in omnes homines permanarit ? Non sanè. neque enim aut corrumpi Adamus , aut corruptus suam in posteros corruptionem transfundere Deo vel inscio vel inuito potuit. Factum est igitur vtrumque Deo sapienter & iustè permittente. Cur lapsus Adami permiserit nunc non inquirō. lapsu pèrmissō non potuit Adamus sine miraculo non corrumpi. motu enim posito ponitur necessario motus terminus. posito lapsu è loco superiori in inferiorem, eo finito, quod lapsus est in loco inferiore necesse est esse. Itaque fieri non potuit quin post actualem à Deo auersionem & conuersionem ad creaturas Adamus non esset à Deo auersus & ad creaturas conuersus. fieri etiam non potuit quin deinceps mala vteretur conscientia , deumque exhorresceret. non erat autem consentaneum vt pèrmissō lapsu Deus rerum naturam turbaret impedito lapsus termino , (si tamen absque contradictionis implicatione impediri potuit ,) aut eum productum statim destrueret restituto in pristinum statum Adamo. merebatur autem Adamus suo illo actuali peccato vt à Deo desereretur , nec condonari id peccatum potuit nisi ex gratia ob futuram Iesu Christi satisfactionem & mortem. Itaque corruptio Adami tribuitur iusto

Dei iudicio & pœna vocatur, quia non accidit Adamo sine diuina permissione ac desertione, Deo non impediente peccati actualis naturalem efficaciam & sequelam, tum quia impediri non potuit nisi contra ordinem naturæ, tum quia suo ipso peccato actuali dignus fiebat Adamus quem Deus desereret. Iudicauit igitur & constituit iustissimè non impedire corruptionis illius productionem in Adamo. Posita autem corruptione Adami & procreatione liberorum secuta est propagatio illius corruptionis in posteros naturæ vi & lege, non tamen sine Dei permissione. hæc permissio præter eas rationes ob quas Deus vel Angelorum vel Adami lapsum permisit hanc habet propriam, quod necesse fuisset ad eam impediendam rescindere atque euertere leges naturalis propagationis decreto de creando mundo constitutas, quod decretum quia naturæ ordine prius est decreto de permittendo lapsu, necnon decreto de reparando per Christum genere humano, non potuit nec debuit per posteriora decreta rescindi, vt iam semel monueram. Est autem decretum de non impediendo seu permittendo lapsu iustum, quia nullo modo iustitiæ repugnat, & iustum fuit ac consentaneum leges non impedire naturæ: Itaque iis conseruatis alia ratione hominum saluti Deus sapientissimus & optimus conseruare voluit, quæ naturam non euerteret sed seruaret. Adde quod & in ipso generationis actu & conceptione durante parentes peccant, & Deum offendant vt iure merito eos quatenus sanctus est deserat & naturæ, quam benignè conseruat, permittat, nec in eorum vel operis cui incumbunt gratiam dignetur naturæ cursum impedire & leges refigere. quid est in

hac mea sententia quod non sit, aut Scripturæ, aut rectæ rationi consentaneum? Tu ipse cap. I. constituendo statum quæstionis fassus es propagationem vitij originis fieri lege naturæ, qua quisque sibi similem gignit: agnoscis igitur meæ sententiæ veritatem quid est cur ea non contentus causam nostrî vitij originalis Deo certo modo peccatum actuale Adami consideranti & imputanti nobis & infligenti nobis illud vitium, imputes? Dic mihi quæso si potes, quæ necessitas fuerit, cur nos omnes Deus consideraret tanquam vnum hominem in Adamo? cur primum Adami peccatum actuale consideraret alio modo quàm alia peccata? cur id nobis imputaret? cogeris proculdubio cum aliis quibusdam, quos nihil nominare opus est, id vniuersum in Dei voluntatem referre.

Cap. I.
§ 21.

GAR. *Primum, quæ de labe seu corruptione in ipso Adamo herente, & ex actuali ipsius peccato profecta hîc dicuntur, sunt extra causam præsentem, vbi non aliud agitur, quàm vt norimus, an citra imputationem peccati primi, & singularis Dei iudicij considerationem, idonea causa reddi possit dimanationis eius, quæ corruptio moralis ex Adamo in omnes propagatur.*

PLAC. Nequaquam certè quæ hîc à me dicuntur, sunt extra causam præsentem: agitur enim etiam vt norimus, quare primum peccatum, potius quàm alia peccata, corruerit naturam Adami. Id enim qui mihi in hac causa aduersantur non minùs Dei voluntati ascribunt, quàm illius corruptionis dimanationem in posteros. Inde etiam mihi exoritur argumentum: nam si corruptio in Adamo hærens non fuit pœna propriè dicta, sed secuta est necessariò peccatum actuale, vt terminus ad quem sequitur motus, consentaneum est rationi, vt eadem nobis inhærens, non sit etiam pœna propriè dicta. Cur enim puniretur in nobis peccatum Adami eo malo, quo punitum non fuit in Adamo?

GAR. *Deinde, ita concedit vir doctus hîc interuenire iustum*

Dei iudicium, ut sua tamen iusti iudicij explicatione id curare videatur, ne ad communem sententiam accedat.

PLAC. Idvnum curo, ne quid dicam quod Dei verbo & gloriæ non sit consentaneum. Non quid alij homines sentiant, sed quid sentire debeant, inquirō. Etiam si vniuersus mundus vno ore clamaret, cur nascamur corrupti, vnicam causam esse Dei voluntatem, hoc tamen nihil inus conscientia mea refugeret, vt quod maximè. Norma fidei meæ est sacra Scriptura, non opiniones hominum.

GAR. *Etenim cum docent Theologi, non esse hic simpliciter harendum in naturali hominis propagatione, sed aliters attollendos animos ad singularem voluntatem atque dispensationem Dei, & iustum ipsius iudicium, quid putamus iusti iudicij nomine ipsos intelligere; quàm opus illud Dei, quo pœnam aliquam ex ratione iustitiæ vindicatricis irrogat, quod Scriptura vocat iudicium Dei contra homines Exech. 11. 9. Quid autem vir doctus? Iustum Dei iudicium hic agnoscit, quia nihil fiat, neicio vel inuito Deo, sed sapienter & iuste permittente. Irone? Et iustum iudicium Dei cum Scriptura Rom. 2. 5. 2. Thessalon. 1. 5. Apoc. XVI. 7. XIX. 2. nihil aliud designat, quàm cognitionem, sapientiam, aut permissionem Dei? Imò verò iudicium Dei designat, quod vel pœnas pro merito irrogat, vel premia distribuit ex ratione iustitiæ illius, quæ diuinae iustitiæ dicitur: prout & Apoc. XIX. 2. Iusta Dei iudicia in eo constituta dicuntur, quod meretricem illam magnam, quæ corrupit terram scortatione suâ, damnauit & vindicauit sanguinem seruorum suorum ex manu eius.*

PLAC. Scriptura nunquam corruptionem, aut corruptionis propagationem iudicio Dei ascribit. itaque non agitur de locutione Scripturæ, sed Theologorum, accipienda, pro eo ac pati potest analogia fidei & rei natura, in meliorem potius quàm in deteriolem partem. Quod si iusti iudicij nomine nihil aliud intellexerunt, quàm opus illud Dei, quo pœnam aliquam ex ratione iustitiæ vindicatricis irrogat, reuera intellexerunt iudicium Dei contra homines, Sed omne Dei iudicium contra homines quia sunt peccatores, supponit eos esse peccatores, non facit. Hic autem agitur de iudicio Dei, quod antecedit peccatum hominum, qui absque eo foret, peccatores non es-

sent. Non sunt igitur ad propositum quæ afferuntur exempla. In illis enim agitur de iudicio sequente eorum, quibus pœna irrogatur, peccatum. Hic verò quæstio est de iudicio, antecedente eorum qui puniuntur, peccatum. Deinde censuit ne vir doctus, hanc esse *iudicij* Dei perpetuam in Scriptura significationem, necne? Si censuit, erravit: non rarò enim aliter accipitur, ut patet ex Ps. 119. 7. 12. 19. 29. &c. Si non censuit, quorsum eiusmodi loca laudavit? & quam vim habere possunt ad me refellendum?

GAR. *Quid quòd nihil est omnino in totius mundi gubernatione, quod inscio, vel inuito Deo fiat, quod sine permissione Dei eueniat, ubi non Dei sapientia eluceat, quod non iuste, id est, ex immota & inflexâ Dei re&titudine administratur? Neque tamen propterea dicit aliquis hæc fieri ex occulto, iusto, admirabili, inscrutabili, Dei consilio, etiam cum arbores crescunt, & prata variegantur floribus, & animalia propagant speciem, & vermes ex terra formantur. Sunt enim certè illa omnia ex sapientiâ & providentiâ, eâque rectissimâ & consultissimâ. Sed iustum, occultum, mirabile Dei consilium, non ad comitatem eiusmodi rerum creaturarum administrationem Scriptura referre solet, sed ad singularem in certis operibus dispensationem & œconomiam: ut cum dicit Paulus Roman. XI. 35. Iudicia Dei esse inscrutabilia, & vias eius imperuestigabiles.*

P L A C. Primùm non quæritur hoc loco quid soleat Scriptura ad Dei iudicium referre: Non enim, ut iam observavi, vllò loco propagationem originalis peccati ad Dei iudicium retulit. Quæritur tantùm quo sensu non repugnante Scripturæ, & rationi possit referri. Alium certè sensum, qui cum Scriptura & recta ratione conciliari possit, non video, præter eum, quem hoc loco & in fine cap. 12. & paulò ante medium cap. 13. huius ipsius Manuscripti exposui. Cæterum contra se vir doctus laudasse videtur verba illa Apostoli, *iudicia Dei sunt inscrutabilia, & via eius imperuestigabiles.* Contat enim eo loco per *iudicia Dei* non intelligi *opera Dei*, quibus pœnam ex ratione iustitiæ vindicatricis irrogat, ut vult vir doctus: nam neque de eiusmodi operibus agebatur eo loco, neque eiusmodi iudicia solent esse imperscrutabilia: quippe quorum ratio in Dei iustitia, & peccatis hominum est aperta.

G A R. *Tertio cum in hac causa Calvinus & Theologi hæc duo opponunt, fieri ex vi naturæ, & fieri ex ratione iudicij diuini; quomodo vir doctus illud fieri dicit ulsto Dei iudicio, quod fit ita naturaliter, vt imperi non possit, nisi contra naturæ ordinem, Et nisi euertantur leges naturalis propagationis, & nisi sistatur, & sufflaminetur peccati actualis sequela & efficacia naturalis?*

P L A C. Cum Calvinus opponit naturam iudicio Dei in hoc negotio, non id facit, vt neget naturali propagatione ab Adamo in posteros manasse corruptionem, nec per iudicium Dei intelligit iudicariam imputationem peccati actualis Adami, aut pœnæ inflictionem. *Dicimus, inquit, naturali hominem vitiositate corruptum, sed quæ à natura non fluxerit. A natura fluxisse negamus, vt significemus aduentitiam magis esse qualitatem, quæ homini acciderit, quàm substantialem proprietatem quæ ab initio indita fuerit.* Per iudicium, aut potius consilium, Dei intelligit illam, quæ Deus permisit & præordinauit vt lapsus Adami, sic lapsus propagationem; id quod à nobis cap. XIII. huius Manuscripti satis demonstratum est, nec vllibi refutatur à viro docto.

Inst.
lib 2.
c 2 §.
21.

G A R. *An verò, cum Deus corruptionem personalem omnium hominum non permittat in posteros descendere, corruptionem, inquam, non naturam ex Adamo naturaliter omnibus instam, sed ascititiam, & ex actualibus peccatis progerminantem, putandus est contra naturæ ordinem agere, aut leges naturalis propagationis euertere, aut peccati actualis naturalem sequelam impedire? Vix dictum putem hæcenus à quoquam, aut cogitatum.*

P L A C. Iam ostendi, valdè disparem esse rationem primi peccati actualis, & sequentium; illud corrupisse naturam, ista non item; nec non corruptionis vniuersalis in auersione à vero fine vltimo & conuersione ad finem vltimum falsò apparentem scæ, & corruptionis illius particularis determinationis ad certa quædam objecta; illam enim naturaliter propagari, hanc non item; illam non nisi per regenerationem tolli posse, hanc posse nonnunquam abique regeneratione aut tolli, aut etiam in oppositam mutari. Non igitur virum doctum supponere decuit, eandem esse vtriusque rationem.

G A R. *Denique de actu generationis quod additur, in quo*

homines peccant, & Deum offendunt; & merito à Deo deseruntur, ad rem presentem parùm facere videtur: Quandoquidem hìc non de iusto iudicio Dei erga generantes, sed erga genitos agitur: aut si iustum illud iudicium respicere dicatur filios, qui corrupti merito nascantur, quia genitores in actu generationis peccarunt & Deum offenderunt: quis non videt inde nobis emergere conclusionem, cui tam infestus est Vir doctus, peccati paterni poenas in filios descendere, id est, peccatum patris imputari filiis.

PLAC. Facit hoc quidem non ad causam quam agit vir doctus, sed ad meam, qui reddere rationem volui, cur Deus propagationem peccati permiserit. Non tunc enim non tenebatur impedire naturæ cursum, sed ne impediret, obstabant constitutæ ante lapsum leges, & ipsa generantium peccata desertionem promerentia. Hoc autem est consilium seu iudicium, cum spectet ad generantes eatenus suæ naturæ permittendos, aliquomodo ad genitos spectare dici potest: nec tamen propterea est iudicium, quo generantis peccatum imputatur generando. Nam aliud est decretum de non impedendo peccato, aut peccati contagio seu dimanatione à parente in liberos, aliud decretum de irroganda secundum legis comminationem poena. Hoc supponit existentiam, & peccatum illius qui punitur. Imputare enim peccatum nondum existenti, punire nondum existentem, mihi paradoxum videtur.

CAPVT VII.

Examen trium similitudinum, quibus imputatio primi peccati actualis Adami illustratur eodem Cap. IV.

TV tamen istam tuam imputationem illustrare quibusdam similitudinibus, ac quodam probabilitatis fuce oblinere niteris, quas expendere est animus, & ostendere quàm ei non faueant. Primam
sumis

sumis ab aulico Regis amico, qui infidelitatis & lese-majestatis reus privatur titulis, dignitatibus, & fundis, quos sibi & suis adquisierat. Nunquid enim, inquis, verum est potuisse sibi & posteris hæc omnia seruare, modo fidelis esset? Infidelitas ergo siue patris, siue aui, toti familie obfuit. Et, si posteri considerentur illis bonis exuti, & infames facti, nonne dicatur delictum illius causa esse bonorum perditorum, & infamie, & toti familie imputatum? nam sicut sibi & toti familie acceperat sub conditione, sic in conditionem peccans tota familia in illo peccauit & cecidit. Hæc similitudo miserè claudicat. Primum conditio est fidelitas; bona tituli, dignitates, fundi. Itaque conditio, & bona sub illa conditione accepta sunt res admodum diuersæ, & naturâ suâ separabiles. Possunt enim bona illa bello, vel profusione, vel alea, vel litibus temerè susceptis, vel aliqua alia re amitti conseruatâ fide, aut hæc violatâ retineri. Hic verò bona sunt rectitudo, iustitia, sanctitas, conditio horum ipsorum bonorum conseruatio. Quid enim ab Adamo exigebatur, nisi, vt perseueraret in rectitudine, iustitia, sanctitate, fide, officio? Annon hæc ipsa bona fidem includunt? obedientiam Deo continent. Quanam autem fuit conditionis violatio, quod peccatum Adami? infidelitas, inobedientia, ambitio, superbia, ingratitude, cupedia, curiositas, à Deo auersio, ad creaturas conuersio &c, quæ, quomodo cum perfecta rectitudine, iustitia, sanctitate, innocentia consistere potuerint, equidem intelligere non possum. Hinc aliud nascitur discrimen, nam violata fide, vt bonis à Rege acceptis Aulicus priuetur, opus est Regis, vel iudicis actione, nempe iudicio, & iudicij executione. Alioqui tituli illi, di-

gnitates, & fundi retinerentur ab Aulico. Adamus verò violata fide factus à Deo apostata, Deo rebellis, non potuit ampliùs integer, iustus, sanctus, rectus, bonus esse : nec vt priuaretur iustitia & rectitudine vllò Dei iudicio, vlla aetione iudiciaria opus fuit : hoc ipso quòd lapsus est desiit esse in eo, in quo collocatus fuerat, gradu : hoc ipso quòd se à fine vltimo vero ad falsò apparentem intorsit & incuruauit, desiit rectus esse, hoc ipso quòd suum Deo ius reddere noluit infidelis & rebellis creatori suo & domino optimo, desiit iustus esse.

Cap. 5.
§ 5.

G A R. *Respondeo I. nihil hic opus esse singularibus eiusmodi similitudinis capitibus ; dummodo id obtineamus hoc exemplo, non esse quod putent homines, doctrinam de imputatione primi peccati continere aliquid, quod meritò habendum sit pro absòno aut iniquo. Cur enim decreto Dei iniustitiam adscribant, qui iudicium humanorum decretis in causa perduellionis non adscribunt ? Eo impetrato, parùm interest ad causam qua nunc agitur, secusne habeat, necne, imputatio peccati Adæ, quam imputatio peccati perduellium. Nec verò nos y sumus, qui putemus esse in utrâque omnia similia.*

P L A C. *Si de imputatione primi peccati mediata loquitur, facilè de eam nihil continere absòni aut iniqui. Sin de immediata, nego id posse hoc exemplo obineri, cùm sit admodum dissimile, & quidem ea dissimilitudine, quæ maximè ad rem facit de qua agitur.*

G A R. *Secundò, quanquam in explicatione illa dissimilitudinum est, quod meritò desideremus. Primùm enim cùm quatuor proposita fuerint, de bonis separabilibus, de aliis modis amittendi, de iudicis decreto, de filii natiuitatis & nepotibus : tamen ubi dissimilitudinis capita explicantur, de primo membro nihil dicitur. Bona, inquis, perduellis sunt separabilia natura sua. Quid igitur ? Et bona Adami, quæ pro se, & suis acceperat, non erant ab ipso separabilia natura sua ? Imò non separabilia tantùm fuerunt, sed & actu separata sunt, quippe amissa per primam illam inobedientiam. Ergo in hoc frustrà dissimilitudo statuitur. Nisi*

forte cum separabilia dicis, intelligis non modò separari posse, ita ut scilicet, amissis honoribus, remanere possint diuitiæ, & amissâ nobilitate, remanere possint affinitates. Quod si ita explicatur, quis non regetur, & bona Adami fuisse separabilia, quia & lumen naturale intellectus, & communes notiones, & opus legis scriptum in cordibus remanere potuit, & amitti tamen rectitudo, iustitia, seruet eas sunt & factum esse nouimus. Et in hoc iterum similitudo consistit.

PL: C. Itæ ubi dissimilitudinis capita explicantur, de primo membro h. l. dicitur? An non tunc illa quatuor membra à se posita, non quatenus ordine singula explicata sunt, & tantum in hoc video in explicando primo longus fuisse. Sed videtur v. d. etus perfectis verbis meis aliud quid mente agitare, quod imperium, quem minus ea & rectè contraheret, & bene intelligeret. Mentem enim à n. ea valdè alienam mihi attingit. Dixi in exemplo perduellis bona separari posse à conditione sub qua accepta sunt, ille intellexit separari posse ab ipso perduelli, aut alia ab aliis. Itaque aliud dixi, ad aliud ille respondet. Scio bona Adami quibus excidit, potuisse ab eo separari, & separata fuisse. Scio potuisse eorum quædam à se inuicem separari. Scio ea in re similitudinem esse inter Adamum & aulicum perduellem: sed quid hoc ad rhombum? Non enim impedit, esse eam dissimilitudinem inter vtrumque quam obseruaui. Bona enim Adami, hoc est, rectitudo, iustitia, integritas, separari non poterant à perfecta obedientia, seu conditione quæ ab eo exigebatur. Perseuerare in perfecta obedientia erga Deum, & perseuerare in rectitudine, iustitia, integritate morali, res erant aut eadem prorsus, aut saltem inseparabiliter connexæ: & similiter non perseuerare in obedientia erga Deum, & non perseuerare in rectitudine, iustitia, & integritate res erant vel eadem vel indiuisè coherentes. Nun similiter cum fidelitate coherent nobilitas, opes, dignitatesque ciuiles? Num implicat contradictionem illâ amissâ, has saltem ad tempus retineri? Nonne igitur inter Adamum & eiusmodi perduellem ea in re est non morabilis dissimilitudo?

GAR. Deinde, quomodo dicitur in ijs quæ acciderunt primo homini, nullâ opus fuisse inuiciariâ Dei actione? Annon homini

adhuc integro legem Deus proposuerat, de non gustando fructu interdito, addita grauissima comminatione, si secus faceret morte moriturum Gen. 2. 17. Quam comminationem Deus adimpleuit, & adimpleuit ut index, ac proinde in spoliando homine suis donis, & in varias miseras demergendo iudiciariam actionem exercuit? Hic quoque nihil dissimile.

PLAC. Atqui, inquam, iam probaui verbis *morte morieris* non esse intelligendam mortem fictam in priuatione iustitiæ. Quid enim absurdius, quam, aut legem comminari priuationem iustitiæ, aut iudicem spoliare eos quos iudicat iustitia? Probaui etiam Deum illam comminationem legis non adimpleuisse in Adamo, ob futuram Christi satisfactionem. Et quomodo potuit adimpleri, si verbis illis mors significabatur corporis & æterna? punire secundum legis comminationem & non punire: peccatum imputare & non imputare: iustificare reum & tamen in eo adimplere legis comminationem, si quid intelligo, ita pugnant, ut consistere simul nequeant. Absit igitur ut credam Deum spoliasse Adamum iustitia originali, ac eum ex iusto fecisse iniustum.

GAR. *Neque est quod dicas, hominem eo ipso quòd lapsus est, excidisse suam sanctitatem & iustitiam, adeoque nihil opus fuisse actione Dei iudiciaria, ut his donis spoliaretur. Quid enim? Non & Regius officarius, qui bello aduersus Regem suscitando, vrbe, prouinciâ, Regno excedit, eo ipso excidit illo quod antea gesserat munere: ne tamen eo minus consequenti Regis iudicio abdicatur officio suo.*

PLAC. Omnino excidit munere, hoc est, comeritus est ut munere priuaretur, idemque munus in alium conferatur; quam ad rem opus est Regis sententia: alioquin non liceret eo munere alium ornare. Censetur enim is Regius officarius suum illud manus adhuc retinere. Aliud enim est bellum suscitare, vrbe, aut prouincia excedere, aliud munere priuari: Et sic non nunquam admisso eiusmodi crimine, ut ad aliquod tempus differatur sententia iudiciaria, quo tempore eiusmodi officarius nondum amisisset suum munus censetur. Sed quid hoc ad rem? Nonne enim ostendi, hoc ipso quod Adamus lapsus est, excidisse eum ex gradu, in quo antea erat, obedientiæ & iustitiæ?

Poteratne simul forensi ratione iustus & iniustus esse? Poteratne simul esse legi Dei conformis & non conformis? perseuerare & non perseuerare in iustitia? Poteratne sese à Deo auertere & incuruare, & tamen rectus permanere? Deum habere pro mendaci, inuido, maleuolo &c., & tamen conseruare amorem, fidem, obediētiam erga Deum, seu iustitiam?

G A R. *Et cū lapsu suo Adam non modo exciderit iustitiā suā, sed in omnigenas calamitates incidere commenerit; si quis agnoscat ad iustitiā amittendam nihil opus fuisse iudiciariā actione. fatebitur saltem ad pœnas subeundas eam internenire oportuisse: hoc est enim præcipuè illud morte morieris.*

P L A C. Id equidem fateor: Extat enim illa sententia Gen. 3. sed quid inde sequitur? Potestne ostendere vir doctus in Scriptura iudiciariam aliquam Dei sententiam, qua fuerit Adamus spoliatus iustitia? Et tamen non assentior viro docto pœnas sententiā latâ Gen. 3. 16. 17. Eux & Adamo irrogatas, eas fuisse, quas lex præcipuè comminabatur verbis *morte morieris*. Id enim pugnat cum Christi satisfactione, & fidelium propter eam iustificatione plena & perfecta.

G A R. *Alde quòd fieri poterat, vt Adam peccando amitteret iustitiā meritorie, & tamen ex Dei benignitate eam conseruaret, quomodo nimirum in statu Gratia, peccando, meritorie amittimus Gratiam, fidem, charitatem, nec tamen actu ab eis excidimus, quia Dei gratia superabundat Roman. 5. 2.*

P L A C. Primùm quid est *amittere iustitiā meritorie*, nisi mereri non iustificari à iudice; sed condemnari? Nam mereri, vt pro pœna iudex ab eo auferat iustitiæ habitum, est mereri vt iudex tollat quod non est, & faciat id quod cum iustitia legislatoris & iudicis pugnare videtur. Tenetur enim potius iudex conseruare iustitiā, quàm destruere, & ab eo qui ea præditus est, tollere. Nec enim eum decet eos, quos iudicat, facere iniustos & peccatores. Comparatio quam instituit inter fideles in statu gratiæ, & Adamum in statu naturæ, quâ non sic apposita, nemo, opinor, non videt. Opponuntur enim inter se, tantum abest vt sint similes, status naturæ lapsæ, & status gratiæ. Iustitia Adami erat donum naturale, iustitia nobis inhærens est donum supernatu-

rale. Status naturæ erat mutabilis, cum status gratiæ sit incorruptibilis. Principium enim iustitiæ, seu sanctitatis nobis inherens, non est mutabilis natura; sed immutabilis Spiritus Sanctus, unio cum Christo indissolubilis, propositum seu unum electionem firmum; itaque peccatum est à veteri homine, à carne, iustitia est à nouo homine, à Spiritu: non igitur mirum videri debet, si peccata quædam non prius ut nos habitu iustitiæ: quandoquidem illius habitus radices valde distant à radicibus peccati, & vita nostra spiritalis est æterna, & Gratia comparata est ad medendum peccato. Sed quid erat in Adamo, quod impediret, quominus actualis eius à Deo Apostasia expelleret habituales obedientiam seu iustitiam? Mutato enim, ut dixi, sine ultimo, moralia mutari omnia necesse est. Id quod ipsum etiam cernere est, cum quis corde vel è falsa religione transsit ad veram, vel è vera ad falsam. Quanta enim consequi solet studiorum & viuendi rationis commutatio?

Præterea priuato Aulico titulis, dignitatibus & fundis, iisdem priuantur eius filij, Et nocet ijs patris infidelitas. Confiteor etiam lapsum Adami nobis obfuisse & quidem vehementer, & quam ille fuit priuatus iustitia & rectitudine tam iisdem nos priuatos ab eo gigni. Sed putasne crimen Aulici imputari à Iudice eius filijs nascituris & nepotibus?

G A R. Denique falsum assumit, qui supponit parentum crimen nunquam nascituris, aut nepotibus imputari: cum exempla in contrarium suppetant bene multa: Infamia enim, & honorum priuatio, & exilium etiam in nepotes perduellium non infrequenter descendunt. Quod & Scriptura exempla postea manifestum facient.

P L A C. Si parentum crimen nascituris & nepotibus imputatur à Deo, id fit, quia illud crimen in nascituris & nepotibus etiam locum habet, maiorum traditiones & mores imitantibus, aut probantibus. Sic peccatum Ieroboami, eo mortuo, in decem tribubus permansit, & peccatum Iudæorum, qui Dominum gloriæ crucifixerunt, eorum posteri, hodie

probant, & in seipſis fouent ac conſeruant. Nec vnquam reperietur Deum Iudicem, aut ſuo iudicio feciſſe peccatorem eum, qui alioqui non fuiſſet peccator, aut ſententiã ſuã priuaſſe aliquem iuſtitia inhærente, aut puniuiſſe aliquem, in quo non eſſet peccatum, quod illam pœnam mereretur. Si quando nulla habita ratione peccati, pro ſumma ſua in creaturas poteſtate, aliquem affligi permittit, vt Iobum, & cœcum illum cuius hiſtoria narratur Ioh. 9. id non facit vt iudex, nec vt iuſtitiaſ fatiſſiat, nec vt legis comminatio adimpleatur, ſed vt ſupremus creaturæ ſuæ Dominus, qui eã vt poteſt pro ſuo arbitrio ad gloriam ſuam, ad Eccleſiæ ædificationem, ad confuſionem hoſtium ſuorum, ad probationem illius qui ſic affigitur.

Certè eiufmodi imputatione vt bonis illis priuentur nihil opus eſt. Sufficit enim ad id, parentem quæ non habet, quæ amiſit, liberis ſuis dare non poſſe. Fac enim eadem illa vel belli calamitate, vel Domini iniuſtitia, vel vicini iniuria, vel aliqua alia ratione ſine vllò infidelitatis crimine Auilicum amittere, aut etiam vendere, & pecuniam conſumere: iſdem illis bonis priuabuntur hæredes abſque vlla infidelitatis imputatione, aut iudicis ſententiã, hac ſola de cauſa, quoniam nemo dat quod non habet. Filij hæredes ſunt bonorum paternorum. Quæ autem pater vel amiſit, vel vendidit in bonis paternis non amplius ſunt. Quod ſi humanus iudex paternum crimen filijs imputat, num idem Deus facere cenſendus eſt? Vtrum æquius eſt noſtras de Dei iuſtitia cogitationes ad legẽ humanarum normam exigere, quàm ad iplius Dei legem? non arbitror. Audi legem Dei. Deut. 24. 16. *Ne morte afficiuntor patres pro filijs, ne filij morte afficiuntor pro patribus: quiſque propter peccatum ſuum afficiuntor morte.* Ac ne crimen infidelitatis, vel læſæ maieltatis excipias, obſtat Scriptura, 2. Chr. 25. 3. Amatzia

interfecit seruos suos qui percussrant Regem patrem suum : filios verò eorum non affecit morte : sed fecit sicut scriptum est in lege præcepisse Iehouam dicendo, ne moriantur patres pro filijs & filij ne moriantur pro patribus, sed quisque propter peccatum suum moriantur. Quid quod ipse Deus vindicans suam iustitiam à Iudæorum calumnijs quid sit nobis de ea sentiendum præscripsit ? Anima, inquit, quæ peccat ipsa morietur. Filius non feret iniquitatem patris, & pater non feret iniquitatem filij &c.

Cap 5.
§ 5.

G A R. *Atqui responsuris illud ante omnia clarè fuerat explicandum, putentne in eiusmodi magistratuum iudicys aliquid iniustum aut crudele designari, quod secus fieri oportuerit, & cuius nomine in foro conscientia iusta possint accusatione percelli. Nam si iusta sunt ea Iudicum sententia, non dubium est quin suam apud Deum approbationem habeant, qui quæ iusta sunt & bona non potest non approbare cum sunt. Quæ verò iusta & bona & sancta sunt, apud homines rectè sentientes, cur tanquam absurda, & immania, & iniustitia plena traducantur, cum à Deo fieri dicuntur ?*

P L A C. *Aut bona est mea responsio, aut mala. Si bona, cur eam non admisit Vir doctus ? Si mala, debuit eius vitium ostendere, non aliam mihi respondendi rationem præscribere. Deinde illa ipsa respondendi ratio quam exigit potest in eum retorqueri : nam vel iustæ sunt eiusmodi iudicum sententiæ, vel iniustæ. Si iustæ, demonstrare debuit earum iustitiam, vel Scripturæ aliquo testimonio, vel necessaria & euidenti ratione, unde constet similibus Deum delectari sententiis. Humana enim testimonia, cum de religione, & voluntate Dei agitur, hæc satis cura videntur. Si iniustæ, qui ausus fuit eas esse non indignas Deo dicere ? De sententiis Iudicum sintne iustæ, an iniustæ, meum non est iudicare ; Dei hæc sunt partes, cui illi rationem iudiciorum suorum sunt reddituri. Coguntur nonnuquam in supremi Magistratus conferuandæ Reipublicæ causa nonnulla facere, quibus minimè delectantur, sed quid hoc facit ad id de quo inter nos agitur ? Siue iustæ sunt, siue iniustæ eiusmodi sententiæ, annon tutius est de Dei voluntate & sententiis*

tentiis ex Scriptura iudicare, perfecta fidei nostræ regula, & plena voluntatis Dei erga nos reuelatione, quàm ex humano aliquo exemplo?

G A R. Imò si fortè sentiret aliquis, hæc ita fieri non debere ab hominibus, sed ijs iudiciorum suorum normam esse debere legem illam Iudæis datam de filijs pro crimine patris non puniendis, Deut. 24. 16. tamen handquaquam inde consequeretur, Deum etiam in suis iudicijs ab eadem normâ non posse discedere; cum ipse nullis legibus obstringatur, sed sua sit ipsi voluntas agendorum norma & lex.

PLA C. De potestate Dei hîc non quæritur, sed de eius iustitia, quam partim datis legibus, partim sanctissimis sententiis, quibus eam à calumniis Iudæorum vindicauit, qualis sit patefecit. Quid est, cur his eius reuelationibus non acquiescamus potius, quàm hominum iudicijs, aut opinionibus? Unde enim potius cognoscatur legislatoris iustitia, & quid probet, quàm ab eius lege? Nullis quidem legibus obstringitur Deus, nempe alterius, at suis ipsius legibus quid est quambrem sese vtrò obstringere non possit? Sua ipsi voluntas est agendorum norma & lex; non certè præcisè quatenus est voluntas, sed quatenus est optima, iustissima, sanctissima voluntas, eademque sapientissima, itaque nihil iniuste, nihil inialè velle, aut facere potest. Necessariò enim volitio congruit cum voluntatis vniuersali perfectione. Determinatur igitur voluntas Dei ad bene volendum à sui ipsius iustitia &c: non potest enim suæ ipsius perfectioni, hoc est, sibi ipsa repugnare.

G A R. Sed quod secundo adiungimus, nobis legem illam aduersus perduelles in hoc negotio proponentibus non ea mens est, ut ætemus cogitationes nostras De Dei iustitia ad legum humanarum normam exigendas esse. Nulla hæctenus animum subiit cogitatio eiusmodi. Sed quia, qui peccati primi imputationem negant, hæc inter alias ratione vtuntur, quòd religio nostra Iudæis & Ethnicis huius dogmatis assertionem in adium adducatur, tanquam iniustum aliquid & crudele diuinitati attribuens, nos hoc exemplo docemus, illis iniustum aut barbarum videri non posse, quod ipsimet in suis publicis iudicijs tam frequenter observant. Non ergo ita colligimus.

Homines perduellium liberis peccata paterna imputant. Ergo & Deus censendus est peccatum Adæ posteris imputare. Sed ita potius. Hominibus siue Ethnicis, siue alijs non videtur iniustum, si in crimine laesa Majestatis filius pro peccato patris poenas ferat. Quis igitur ex illis poterit Deum iniustitia arguere, si peccatum Adæ puniat in posteris? Ut exemplum non ad confirmandam veritatem vsurpetur, sed ad illustrandam tantum, & ab iniustitia aut immanitatis accusatione vindicandam.

PLAC. Si hæc eius mens fuit quicum mihi res erat, æquum fuisset, vt eam innueret apertius: non enim sum Oedipus. Quicquid sit, præter ea quæ hæctenus à me sunt obseruata, quominus ad id accominodatum sit hoc exemplum duo vel tria obstant, illud primò, quod in eo exemplo non agitur nisi de pœna temporali, cum imputari dicatur peccatum Adæ ad mortem æternam, nec ad eam tantum, sed etiam ad pœnam quæ sit peccatum, & hominem in eo statu constituat, vt non possit deinceps non peccare. Hoc enim est quod potissimum repugnare iudicis & legis iustitiæ nobis videtur. Deinde, si quidam ex hominibus criminis paterni imputationem liberis aut nepotibus approbauerunt, non defuerunt ex altera parte, & fortasse multò plures qui improbauerunt: Commemorat nonnullos ipse vir doctus pag. 81. 82. 83. potuisset multò plures si voluisset. Itaque non medetur scandalo similitudo nisi fortè ex aliqua parte. Præterea, quid simile afferri potest eiusmodi imputationi, quæ etiamnum post aliquot annorum millia grauetur in omnes posteros, ne vno quidem excepto? Denique eiusmodi exempla vel ira extorsit, vel necessitas tuendæ vitæ principum & salutis reipublicæ: quorum neutrum in re de qua agitur locum habet. Imò tantum abest vt imputatione illa immediata peccati Adami homines à peccando inhibeantur, vt contrà priuentur bene agendi seu obediendi habitu, & subijciantur necessitati peccandi. id quod à sine legis & iustitiæ vindicis vehementer abhorrere videtur,

GAR. Denique nos in hoc negotio ad legem Dei respiciendum esse prolixè fatemur. Sed ad legem potius illam esse respiciendum contendimus, quæ omnibus hominibus lata est, in qua testatur Deus se vindicare peccata patrum in filios Exod. xx. 5. quàm

ad particulare factum, quod Deus Iudæis singulariter præscripsit, Dent. 24. 16. aut ad particularem œconomiam, quâ se in causa Iudæorum vsurum significat Ezech. 18. 20. Sed de his locis fusius postea dicendum erit.

PLAC. Miror legem Deut. 24. 16. vocari à viro docto *particulare factum*, & oraculum, quo iustitiam suam Deus vindicat à calumniis Iudæorum, Ezech. 18. *particularem œconomiam*; nec minùs miror iis duabus legibus opponi legem Exod. 20. 5. quasi hæc causæ nostræ obesset. Nam & lex illa erat vniuersalis regula omnium iudiciorum, in quibus de crimine aliquo agebatur, & particularis œconomia non potuisset, nisi respectu cuiusdam temporis, iustitiam Dei vindicare ab objecta iniustitia, & lex Exod. 20. si quam imputationem innuit, innuit tantum mediatam seu consequentem, cum declaratione diuinæ iustitiæ Ezech. 18. minimè pugnantem. Proinde meliùs Augustinus (verba sunt Zanchij exponentis secundum Decalogi præceptum) Tom. 8. in Psal. 108. *qui locum hunc exodi interpretatur de illis impiorum filijs, qui parentum impietatem imitantur: ac proinde pœnam etiam aeternam illis hoc loco denunciari docet, propter iniquitatem, quæ ita parentum fuit, ut etiam facta sit propter imitationem eorum filiorum. Atque inde hoc probat, quod addit Deus, eorum qui oderunt me: odium enim hoc refertur ad patres tum ad liberos. Ita nihil pugnare locum Exodi cum loco Ezechielis ubi Dominus pronunciat, filium nempe simpliciter innocentem non portaturum iniquitatem patris, nimirum neque aeternam neque temporalem. Exod. enim 20. sermonem esse de liberis non simpliciter innocentibus, sed qui patrum iniquitatem imitentur* In his verbis habemus conjunctam duplicem autoritatem Augustini & Zanchij: Habes suprâ pag. 132. etiam Hieronymi; quibus consentiunt alij omnes, aut saltem propè omnes interpretes, ut mirum sit potuisse hanc Dei legem pro imputatione immediata à quoquam afferri.

Alteram similitudinem ducis à toto naturali, corpore scilicet humano, eamque Thomæ Aquinatis verbis exprimis: non, opinor, ut eius autoritate sententiam tuam fulcias, aut me commoueas: scis enim quàm apud Ecclesias nostras sit nulla, sed quia

Thom.
Aq. in
Rom 5.
13 &
in sum.
1. 2. q.
81. 1. 0.

eius verba tibi visa sunt commoda & dilucida. , Ego autem qua mente dicta sint à Thoma utcunque intelligo &, quia intelligo, doctrinam continere à mente Ecclesiarum nostrarum diuersam, non recipio: quo verò consilio à te sint recitata hoc loco non assequor, nisi fortè idem prorsus sentias de peccato originali cum Thoma: quod de te suspicari non audeo. Ponit Thomas peccatum *per carnis originem vitiatam* ab Adamo in nos *traduci*, siue, (vt habet in summa) *primum peccatum primi hominis originaliter transire in posteros*; ac ostendit quomodo per semen ad animam rationalem perueniat. Sed concessa illa peccati translatione *remanet dubitatio, quòd defectus, qui ex vitiatà origine trabuntur, non habent rationem culpæ; non enim merentur pœnam, sed magis misericordiam, sicut Philosophus dicit de eo qui nascitur cæcus, vel quocunque alio modo aliter orbatus. Et hoc idè, quia de ratione culpæ est quòd sit voluntaria, & in potestate hominis cui culpa imputatur.* Quæstio igitur erat, quomodo defectus illi, vel, vt loquitur in summa, infectio, habeant rationem peccati, cum sint inuoluntarij in infantibus. Eius responsionem, quia à te laudatur, expendam per partes. *Dicendum est, inquit, quòd sicut peccatum actuale est peccatum personæ, quod per voluntatem personæ peccantis committitur; ita peccatum originale est peccatum naturæ, quod per voluntatem principij humanæ naturæ commissum est.* Distinguit duo peccata, vnum actuale, alterum originale: illud personæ, hoc naturæ. illud per voluntatem personæ peccantis, hoc per voluntatem principij naturæ humanæ commissum. Erant ne igitur duæ in Adamo voluntates, vna personæ, altera principij naturæ humanæ? Et, an

peccatum per voluntatem principij naturæ humanæ fuit actuale, necne? Si voluit distinguere peccatum actuale Adami à corruptione habituali, quam in eius facultatibus reliquit, bona est doctrina, sed non bene expressa. Cæterum peccatum actuale Adami, si fuit personæ, quomodo nobis imputatur? Sed pergamus, *est enim*, inquit, *considerandum, quod sicut diuersa membra corporis partes sunt personæ vnius hominis, ita omnes homines sunt partes, & quasi quadam membra humane nature: unde Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt vnus homo.* Diuersa membra corporis sunt partes integrantes totius hominis. Omnes verò homines non sunt partes integrantes naturæ humanæ. Non componitur natura ex multis hominibus. Alioqui cum mihi natura humana insit integra, inessent mihi omnes homines. Sed sunt partes Logicæ, siue subiectiuæ, vt vulgò loquuntur in scholis, & natura abstracta & præcisa ab indiuiduis, ac vniuersalitate donata totum est Logicum seu vniuersale: sed hanc rationem totius non habet à parte rei, sed per mentis nostræ operationem. Itaque Metaphysicè loquendo contrà res habet. Persona est totum, natura pars: persona est id quod agit, natura id quo agit. Addit Thomas, *videmus autem quod actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum, vel pedem, non habet rationem culpæ ex voluntate manus vel pedis, sed ex voluntate totius hominis, à qua sicut à quodam principio deriuatur metus peccati ad singula membra. Et similiter à voluntate Adæ, qui fuit principium humane nature, tota inordinatio nature habet culpæ rationem in omnibus ad quos peruenit, quantum ad hoc quod susceptiui sunt culpæ.* Aduerte quæso quàm

non bene procedat ista similitudo. In præcedentibus verbis componebat naturam cum persona, omnes homines cum membris corporis. Unde oriebatur hæc similitudo, ut se habet persona ad membra corporis, sic se habet natura ad omnes homines. Satis, ut innui, malè: Non enim ut persona est principium *quod* actionis, membrum *quo*; sic natura est principium *quod*, homines principia *quibus* peccat. Sed contrà, ut iam dixi. Iam autem quomodo istam comparationem ad institutum accommodat? Actus, inquit, peccati exercitus per aliquod membrum non habet rationem peccati ex voluntate illius membri, sed totius personæ. Expectabam ut concluderet, ergo actus peccati exercitus per aliquem hominem non habet rationem peccati ex voluntate illius hominis, sed ex voluntate naturæ humanæ. Verùm ille mutatis terminis, loco actus exerciti per homines aut hominem, posuit *totam inordinationem naturæ*, & pro voluntate naturæ humanæ posuit *voluntatem Adæ qui fuit principium naturæ humanæ*. Atqui primùm accuratè loquendo falsum est, Adam fuisse principium naturæ humanæ: Immò contrà potius, natura humana fuit principium Adami. Est enim natura quodammodo pars suppositi: pars autem principium aliquomodo eius quod componit. Et, ut Logici loquuntur, natura humana prior est Adamo existendi consequentia. Est igitur Adamus principium seu causa, non absolutè naturæ humanæ, sed naturæ humanæ quæ in eius posteris fuit: quomodo pater quilibet principium est naturæ posterorum, non suæ. Deinde voluntas Adæ tam eius personæ voluntas fuit, quàm mea mea; nec intelligo cur naturæ voluntas dici de-

beat. Nam si Adamus principium fuit naturæ humanæ, inde non sequitur eius voluntatem fuisse voluntatem naturæ, sequitur tantùm Adamum fuisse principium voluntatis naturæ humanæ, aut certè naturam humanam non habere voluntatem, aut ad summum voluntatem Adami fuisse principium voluntatis naturæ. Piget me diutiùs immorari in isto scholastico puluere inanium subtilitatum, quibus tu me Thomæ operâ implicuisti, quem alioqui flabellis plurimum rationum possem in suos autores dispellere, & dissipare: sed satis erit hoc loco duas huius similitudinis claudicationes obseruasse. Primùm enim ideò actus per membrum aliquod corporis exercitus non habet rationem culpæ ex voluntate illius membri, sed totius hominis, quia membro illi nulla est propria voluntas. At sua cuique homini propria est voluntas. Itaque membrum separatum nihil peccat, nihil agit. Homines singuli multa & agunt, & peccant separati ab Adamo, eorumque actiones peccata sunt, non quia profiscuntur à voluntate Adami, sed quia, profecta à propria cuiusque voluntate, pugnant cum lege Dei. Deinde discere velim, cur hæc comparatio locum habeat duntaxat respectu primi illius peccati actualis, non autem sequentium? desiit ne simul ac peccauit Adamus, eius voluntas esse voluntas naturæ, aut Adamus esse principium naturæ humanæ? Effecerit igitur ista comparatio, vt, non minùs quàm primum, reliqua Adami peccata nobis imputentur, contradicente Apostolo Rom. 5. Adam & tertiam claudicationem, idcirco actiones membrorum corporis rationem culpæ habent ex voluntate totius hominis, quoniam membra corporis sunt voluntatis to-

tius hominis organa, seu instrumenta, & eius imperio mouentur; quo fit vt eorum actiones tribuantur voluntati personæ vt causæ principali, membris tantummodò vt causæ instrumentali. Nos autem, opinor, organa non sumus Adami, nec mouemur à voluntate Adami, nec ab eo imperantur actiones nostræ, nec, cum quis generat, id facit vt causa instrumentalis, Adami voluntati obsequens.

Præter hos omnes defectus quos memorauî, laborat alio vitio hæc Thomæ Aquinatis similitudo & ratiocinatio, eoque maximo. Non enim propositæ difficultati vllò modo satisfacit. Vrgere enim id possum, quod etiam doctissimus Chamierus aduersus Pighium & Salmeronem vrget. Eius verba ascribam, *Cum peccatum dicitur esse voluntarium, intelligendum est de voluntate eius, cuius peccatum esse dicitur. At hoc certè sensu non potest dici in nobis peccatum illud Adami esse voluntarium, muldò minùs actus nostræ voluntatis. Neque enim est in nostra voluntate, neque à nostra voluntate: quia reipsa nostra voluntas nunquam fuit voluntas Adami. Si ergo nostræ voluntatis respectu voluntarium non est Adami peccatum, sed tantum respectu voluntatis Adami, certè nostrum peccatum non est, sed solius Adami.*

Tom. 3
lib 1
c. 8 §. 6.

Tu quidem ais, *voluntatem Adami, cum peccauit, fuisse voluntatem omnium hominum*: sed affirmanti, nec rationem afferenti oppono Chamierum, *voluntas nostra nunquam fuit voluntas Adami. Cum enim hæc propositio sit negans, conuertitur simpliciter in hanc, Voluntas Adami nunquam fuit voluntas nostra. Vn' tui huius dicti protraham in lucem absurditatem?*

1. Si voluntas Adami fuit voluntas omnium homi-

num ; igitur fuit voluntas vniuersalis. Atqui constat tam fingularem fuisse , quàm alius cuiusuis. 2. Si voluntas Adami fuit , exempli causa , mea voluntas , igitur etiam eius anima fuit mea anima , & eius corpus fuit meum corpus , & eius os fuit meum os , & eius vxor fuit mea vxor &c. 3. Si voluntas Adami fuit mea voluntas , igitur duas habeo voluntates , vnam aliquot millibus annorum antequam essem ; alteram creatam nuper , annis abhinc ferè quinquaginta , alteram ab altera realiter , immò localiter , diuisam & separatam , vnam communem , alteram propriam. Porrò si duas voluntates habeo , etiam duas animas , duo corpora. Itaque qui me vnum hominem esse putabam , euasi in duos , vnum communem , alterum proprium ; illum pridem fato suo functum , hunc adhuc viuentem. Noli confugere ad figuras sermonis. Vis enim nobis omnibus verè & propriè imputari peccatum Adami , ac proinde nos illud verè & propriè commisisse. Non commisimus autem verè & propriè , nisi voluntas Adami qua commissum est verè & propriè nostra fuerit voluntas. 4. Si voluntas Adami fuit voluntas omnium hominum , igitur actus voluntatis Adami fuerunt actus omnium hominum : idem dicendum de actibus mentis. Quod si actus voluntatis eius elicitum fuerunt actus omnium hominum , etiam proculdubio actus eius voluntatis imperati. Cum loquebatur , loquebantur omnes homines ; cum ambulabat , ambulabant omnes ; cum edebat edebant omnes ; cum gignebat , gignebant omnes. Hoc tibi probatur & nisi fortasse vis hoc priuilegium habuisse voluntatem Adami vt nostra esset voluntas , pro eo duntaxat momento quo pec-

cavit : mallet fuisset alio potius tempore.

Cap 16.
§ 4. GAR. Respondeo. *Voluntatem Adæ fuisse voluntatem omnium, satis tritum est apud Theologos, neque Augustino ignoratum. Per unius enim Adami voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes illi vnus fuerunt, inquit de Nupt. & Concup. lib. 2. cap 5. Et tamen hoc dictum non modo tanquam dubium, aut improbabile, aut falsum vir doctus exagitat; verum etiam, tanquam ineptum & fatuum, & anilium fabularum nugamenta superans, traducit, atque subsannat.*

P L A C. Negavi, præeunte Chamiero præstanti Theologo, Adami voluntatem fuisse nostram voluntatem, & quæ, si dicatur fuisse nostra voluntas, sequantur absurda, abique vlllo asperiore verbo, ostendi. Fecine ea in re quicquam præter officium meum? At voluntatem Adæ fuisse voluntatem omnium satis tritum est apud Theologos. Petamne, quos? Eorum certè autoritas non impediuit, quominus Chamierus, & ipse, opinor, Theologus, id negaret. Cur mihi quoque id negare non licuit? Opponitur mihi Augustinus, qui tamen totus meus est. Dixitne voluntatem Adami fuisse voluntatem omnium? Non, sed *per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccasse, quando omnes illi (malum ille) vnus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Quando autem vnus fuerunt? nimirum quando ipsi non fuerunt, sed vnus fuit vnde suum esse traxerunt. Quomodo in eo tunc peccauerunt? nimirum ipsi tunc non peccarunt, sed ille peccauit cuius ex peccato suum *singuli peccatum originale traxerunt.* Id autem peccatum, non per voluntatem omnium, sed per voluntatem *vnus illius* commissum est. Cùm ergo dicit fuisse voluntatem *vnus illius*, non affirmat, sed negat potius fuisse voluntatem omnium. At dicit omnes fuisse illum vnum, nempe quando ille vnus fuit, & ipsi non fuerunt. Simul enim ac ipsi esse ceperunt, non fuerunt amplius vnus, sed ab eo vno diuersi. id quod arguit vox *quando*: innuit enim quo tempore loquebatur, eos non esse amplius vnum. Si ex quo sumus, non sumus vnus ille homo, certè ex quo sumus eius voluntas non est nostra voluntas, nec ad eam similem habemus relationem eam quam habent membra ad voluntatem totius hominis, vt verbis

Thomæ affuecra baris cum quo disputabam. Mihi igitur fauet potius Augustinus quam nocet. Vis scire quomodo per voluntatem vnus peccauimus? *Ex voluntate*, inquit, *peccatum est. Quarit forte vtrum & originale peccatum. Respondeo prorsus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret. Putauitne cum viro docto id per imputationem transire, & huius causam vnicam esse Dei voluntatem? Contrà planè; contendit neque Deo, neque naturæ humanæ vt est à Deo, sed concupiscentiæ seu libidini qua à parente in liberos transit per semen debere ascribi. Distinguit enim hac duo, & bonum laudanda conjunctionis, unde filij generantur, & malum pudenda libidinis unde qui generantur regenerandi sunt, ne damnentur. Distinguit naturam tenuis humani ab eius vicio. Illa quippe, inquit, habet authorem Deum, ex isto autem trahitur originale peccatum, Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est quod scriptum est &c. Et paulò post, Nunquid in Adam natura ista sic condita est? Absit, sed quia in illo vitiosa sic per omnes iam naturaliter cucurrit & currit, vt ab hac perditione non liberet, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hoc enim, inquit, trahit parens in prolem carnalem quod & ipse carnaliter natus, non quod spiritualiter est renatus, quia id ipsum quod carnaliter natus est, quamuis reatu soluto non impediatur fructum eius, tamen tanquam in semine oliua latet &c. Hac omnino concupiscentia, hac lex peccati habitans in membris &c. Hac, inquam, concupiscentia, qua solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trahit in posteros, nisi ab illo & ipsi generatione soluantur. Hoc generi humano inflictum vulnus à Diabolo, quicquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tanquam à suo frutice fructum iure decerpit, non quod ab illo sit natura humana, qua non est nisi ex Deo, sed vitium quod non est ex Deo. Non enim propter seipsam qua laudabilis est, quia opus Dei est, sed propter damnabile vitium quo vitiosa est, natura humana damnatur. Non vult immediatè ab Adamo per imputationem vitium descendere, sed mediatè, & à proximi cuiusque parentis vicio per carnalem generationem trahit in prolem. Cùmque inquirat, quomodo quod dimissum est in parente traha-*

Ibid:
c. 28.

Cap. 11.

Cap. 8.

Cap. 9.

Lib. 1.

Cap. 32.

Ibid.

c. 28. &

23.

Ibid.
lib 1.
c. 19.

tur in prolem, id quidem miris modis fieri dicit, sed tamen fieri: Et illustrat exemplo oliuæ ex qua nascitur oleaster. *Mirum est ergo, inquit, quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati: gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quo, eodem modo oporteat liberari. Fatemur, mirum est. Sed quod latent factus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experientia probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex olea semine nonnisi oleaster &c. Si idem cum viro docto lenfisset, non confugisset ad naturam, non ad carnalem generationem, non ad vitium proximorum parentum, non ad oleastri exemplum, sed ad voluntatem Dei, cui placuit omnibus Adami posteris peccatum a actuale immediate imputare, & ut illud imputatum puniret, & satisfaceret iustitiæ, ipsis omnibus vitium illud originale infligere. Alter enim illius reiterationem reddi non posse clamat vir doctus multis locis, ac nominatim cap. 11. §. 8. de quo supra pag. 125.*

Cap. 16.
§. 4.

G A R. *Videamus tamen, an ista colligendi ratio, ut iocularis argutiola laudem habere potest, ita soliditatis habeat. Etenim respondeo, eam Adami voluntatem, de qua loquimur, & singularem fuisse, & vniuersalem. Singularem actus proprietate; vniuersalem repræsentationis iure. Singularem, quia ab uno ex indiuiduis humanis profecta est: vniuersalem, quia indiuiduum illud repræsentauit vniuersum genus, ut eo per voluntatem suam primum peccante, idem fuerit, ac si omnes per propriam suam voluntatem peccassent. 2. Voluntatem Adæ cum dicimus fuisse voluntatem omnium, non loquimur de voluntate prout significat facultatem illam λογικὴν, quæ Adæ ex natura principijs inerat, & sine quâ ne homo quidem fuisset: sed voluntatis nomine intelligimus volitionem, siue actum illum volendi quem exercuit circa fructum arboris vetita, & quo se reum fecit inobediencia illius primæ. Neque dicimus actum illum volendi fuisse omnium propriè, formaliter, aut personaliter, sed interpretatiuè & per imputationem. Itaque quæ inde necluntur conclusiuncula, Adami animam, corpus, vxorem fuisse nostra; nos habere duas voluntates, animas, corpora, & esse duos homines, eo loco possit habere aliquis, quo haberi voluit vir doctus illud Theologorum effatum.*

PLAC. Ergo, si fides habetur viro docto, cum voluntas Adami dicitur voluntas omnium, nihil aliud significatur, nisi volitionem illam qua primùm peccauit, hoc est, primam eius inobedientiam esse omnium per imputationem: id quod toto hoc libro refellimus. Sed quo iure est omnium? Est, inquit, *uniuersalis representationis iure*. Estne igitur, vt loquuntur, uniuersalis in representando? Non, opinor, hoc voluit. Quid ergo voluit? nam quo fuit voluntas omnium, eo fuit voluntas uniuersalis; uniuersale enim & commune idem videntur significare. Fuit autem, si illi creditur, omnium imputatione. Fuit ergo etiam uniuersalis imputatione. Cur ergo non dixit, fuisse uniuersalem imputationis iure? Placuit verborum copia, & distinctionum speciosa multiplicatio retento tamen eodem sensu. Fortasse voluit, voluntatem Adami fuisse uniuersalem *representationis iure*, quo scilicet omnes nostras voluntates, seu potiùs volitiones (nam per voluntatem intelligit volitionem) representauit. Sed quis vnquam dixerat, volitionem Adami representasse volitiones omnium hominum? Et quis tale ius excogitauerat? Probabilius est cum intellexisse ius representationis, quo scilicet Adamus representauit omnes homines. At si representauit omnes homines, potuit non minùs quàm sua voluntas, dici homo uniuersalis: quo tamen elogio nondum, vt opinor, à quoquam est insignitus. Deinde meritò quæri potest, quo fundamento istiusmodi & representatio, & representationis ius nitatur. Proferetur fortasse fœdus illud initum cum toto genere humano in Adamo, quod ad imputationem immediatam tuendam viri quidam docti præter Scripturam & naturam excogitarunt: Sed de eo & iam dictum est, & nihil necesse est nunc disputare. Hæc enim obiter hoc loco obseruare volui: redeo ad id de quo agebatur in Manuscripto, & quod mihi videtur vir doctus hac tua responsione detorsisse in alienum sensum. Patet enim ex verbis Thomæ, quibus suam mentem is vir doctus, quicum mihi res erat, exposuit, per voluntatem, non ipsam volitionem, sed volitionis principium intelligi, sicut per membra, non actio membrorum, sed huius principia significantur. Considerantur enim à Thoma omnes homines tanquam partes seu mem-

bra naturæ humanæ, & voluntas Adami vt voluntas totius naturæ, vel, vt loquitur, principij naturæ humanæ: quæ comparatio flagitat, vt quemadmodum membra non significant actiones membrorum, sed illarum principia, sic voluntas non significet actionem voluntatis, sed eius principium. Natura per actum voluntatis principij sui traxit rationem culpæ, membra naturæ trahunt eam per actum naturæ qui est generatio. Id cui ratio illa culpæ inest est inordinatio naturæ. Ductimen inter meam & Thomæ sententiam hoc est, quod illam inordinationem naturæ volo per se culpæ rationē habere ex eo quod inest in voluntate & repugnat legi Dei, Thomas verò ex ordine quem habet ad voluntatem Adami.

G A R. *Quid si accedat aliquis de Socini scholâ, & arma mutuatus à viro docto similibus conclusionum tormentis agat adversus id quod habet Gallica S. Cœna liturgia, vi tunc mortis Christi ad iustitiam nobis imputari, non minus quàm si eam nos ipsi pertulissimus? Si actus ille voluntatis Christi, quo se in mortem obtulit, tam tuus est, quàm si tu actu proprio voluntatis tuæ te ipsum obtulisses, quidni etiam tua fuerit anima, corpus, mater Christi? Quidni duas voluntates habere dicaris, unam antequam esses, alteram postquam fuisti? &c.*

P L A C. Dixitne liturgia illa, voluntatem Christi fuisse voluntatem omnium nostrum? Aut actum illum voluntatis Christi, quo se in mortem obtulit, fuisse actum omnium nostrum? Minimè: dixit tantùm, *virtutem mortis Christi ad iustitiam nobis imputari*. Aliud autem est virtus mortis Christi, aliud voluntas Christi. Nihil igitur video in verbis liturgiæ vnde tales consequentiæ deduci possint. Cur autem virtus mortis Christi nobis imputatur? Annon quia mortem luere tenebamur, ille, vt vas noster, eam loco nostro luit? Itaque nostra est Dei & Christi donatione, nostraque per fidem acceptione. Num similiter Adamus vas noster fuit, vt loco nostro peccaret? Aut eius peccatum factum est dono Dei, & Adami, & nostrâ acceptione, nostrum? Reliqua quæ addit hoc loco vir doctus egere non videntur refutatione præsertim, si memineris, candide lector, eorum quæ dicta sunt à nobis supra pag. 163. Cùm assertionem, voluntatem Adami fuisse vo-

luntatem omnium oppugnavi, non putabam illius hunc esse sensum, *volitionem, quam Adamus circa arborem vetitam exercuit, omnibus imputari.*

Sequentia Thomæ verba quæ tu adscripsisti etsi verum continent, prætermittenda non sunt. *Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum per se trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem, ita peccatum originale trahitur ad singulos homines per actum nature qui est generatio.* Rursus peccatum actuale distinguit ab originali, & utrumque vult in Adamo fuisse: illud personæ, hoc naturæ. Necessè est igitur ut per originale corruptionem intelligat ex peccato actuali ortam. Quare non voluit peccatum actuale, quod personæ est, nobis imputari: immò nec vitium naturæ quatenus in Adamo hæsit, ut mox videbimus: alioqui imputanda etiam nobis esset generatio, qua secundum nostrum parentem Sethum Adamus genuit, quandoquidem illa Teste Thoma *actus fuit natura.* Subjicit, *Et ita sicut per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humana natura qui est consecutus ex peccato primi parentis.* Nihil verius. Mea hæc est sententia. Vnde concludo, quemadmodum natura humana trahitur per generationem absque imputatione naturæ Adami, sic trahi per generationem defectus naturæ humanæ absque imputatione peccati actualis Adami. Trahitur mente vitium naturæ per actum naturæ, non per actum Dei imputantis nobis peccatum Adami, & hos defectus infligentis.

Adjunxisti alia eiusdem Thomæ verba in quibus occurrit verbum imputandi, quod tu majusculis literis pinxisti. Subit mirari qui in cæteris controuer-

siis Thomæ Aquinatis, aliorumque scholasticorū Pontificiorum auctoritatē nullo loco habent, in hac questione ea apud eos niti qui eam ipsi quoque contēnunt: nempe dogma istud de imputatione peccati actualis Adami omnibus hominibus nec antiquum est, & non aliunde primū fluxit quàm ex lacunis quorundam scholasticorum, quos ne nominare quidem Lombardus Thomæ magister, ad eò obscuri erant, voluit. Thomas autem quamvis & imputandi verbo vsus sit & tuæ causæ in speciem fauere videatur, tamen reuera abest à tua sententia haud parum, & mirum est te id non vidisse in his ipsis verbis quæ citas, *Adam, inquit, peccans vitiauit naturam humanam, sed postmodum in alijs Natura vitiosa* (non igitur imputatio peccati actualis Adæ) *inficit personam, dum scilicet genito imputatur ad culpam NATURAE VITIUM propter voluntatem primi parentis, ut dictum est.* nonne vides verbi *imputatur* nominatiuum esse *naturæ vitium*? dabis autem proculdubio mihi vitium naturæ non esse peccatum actuale Adami, quod Thomas constanter docet fuisse *peccatum personæ*. Nempe omnis in eo erat Thomas vt ostenderet quomodo ista nobis inhærens naturæ infectio seu vitium culpæ rationem habere possit, cum sit inuoluntaria. Affirmat igitur vt actus per membrum exercitus habet rationem culpæ & imputatur membro propter voluntatem non ipsius membri sed totius personæ, sic vitium tractum ab Adamo & genito inhærens culpæ rationem habere & imputari genito ad culpam, non propter voluntatem geniti cuius respectu inuoluntarium est, sed propter voluntatem primi parentis. Itaque addidit *ut dictum est, nempe verbis præcedentibus.* Quæ nos

à te citata expendimus. Id ipsum dilucidius exponit in sum. Theol. loco à te in margine notato, sed piget eius verba transcribere. Ausim affirmare imputationem peccati actualis Adami toti eius posteritati & infictionem priuationis iustitiæ originalis omnibus hominibus in pœnam illius peccati imputati ignotas fuisse Thomæ Aquinati, & possem id si opus esset necessariis argumentis demonstrare.

Tertiam similitudinem petis à corpore ciuili. Ea bimembris est. *Primum enim nobis ob oculos constituit Regem inferentem bellum vicinæ genti, qui non solum ipse qui inferre voluit, & in consilio decreuit, & armis persecutus est, habetur pro hoste, sed etiam omnes subditi, quorum plerique nec voluerunt, nec consenserunt huic bello, & quanquam non agunt, & domi maneant, si tamen in manus hostium veniant, excipiuntur incauti, concutiuntur, & iure belli interficiuntur.* Attende, quæso, quàm non quadret hæc similitudo. Principiò si admittatur, fatendum erit, quemadmodum ab hoste capiuntur, & necantur qui nec bellum probant, nec in id consentiunt, nec vlllo modo consilij Regis sunt participes, sic etiam si nihil in nobis esset vitij, atque à peccato voluntas nostra abhorreret, tamen nobis imputari peccatum actuale Adami: quod qui tecum sentiunt multi non audent fàteri. Deinde, consequens esset non solum primum peccatum Adami, sed reliqua etiam eius peccata actualia nobis esse imputanda: quippe cum generis humani caput fuerit quamdiu vixit. Tertiò, si peccatum Capitis imputatur corpori, cur non etiam peccatum corporis im-

Suprà

P 234

toti corpori membra singula conueniunt , tam etiam singulorum membrorum attributa conueniunt toti : corpus enim non est vnum membrum , sed multa : nec si pes caput non est , consequens est pedem non esse ex corpore. Imputatur autem toti corpori non modò quod caput facit , sed etiam quod pes. Itaque cùm populum suum Deus consideraret vt vnum corpus in deserto , toti populo ob vnus Achan , qui populi illius caput non erat , iratus est. Si ergo omnes homines coalescunt cum Adamo in vnum corpus , non vnus Adami vnum peccatum , sed omnia Adami , omnia aliorum hominum peccata toti corpori imputanda sunt. Quod tamen nec Apostolus , nec tu secundum Apostolum probas. Quartò , quid obstat quominus hæc similitudo accommodetur etiam aliis stirpibus & parentibus respectu posterorum ? Exempli causa , cur Noachus etiam non sit secundi mundi caput , Abrahamus Israëlitarum , & ita de reliquis ; vnde magna exurget moles peccatorum imputandorum ? Caput enim dicitur Adamus , & regi comparatur , non quia primus homo fuit , sed quia ab eo ducimus originem. Negatione relationis ad priorem ad nos minimè refertur , sed relatione , quam generando sibi acquisiuit , ad posteros. Quintò , si quis in manus hostium incidat quem certò noverint à bello fuisse & voluntate , & opere alienum , nec in id consensisse , hunc si interficiunt innocentem , mihi immanes & crudeles esse videntur. Alioqui quæ Regis est mens bellum inferentis , eadem præsumitur esse mens omnium subditorum. Transfugis autem , iisque qui se dedunt , parci solet. Sextò , Rex bellum infert vicinæ genti non per se solum , sed per sub-

ditos. Ipse imperat, subditi exequuntur. Ipse est causa principalis, subditi instrumentalis: ac illi ipsi, qui bello se non immiscent, subditi tenentur parere Regi, eumque pro viribus tueri & iuuare. Adamus verò peccauit solus, ipse sibi, non nobis peccatum illud suum imperauit; ipse solus quod sibi imperauit, mandauit executioni, & opere perfecit. Posterorum nemo actioni illi interfuit, aut mentem manumve admouit suam. Non igitur ipse causa principalis fuit illius peccati, posterius causæ instrumentales. Non ad committendum illud peccatum nos ei vt membra, vt organa, vt subditi, vel famuli accommodauimus, sed ipse solus, vt tunc extabat in rerum natura, ita peccatum illud per se ipsum commisit, nec posterorum quisquam illi adfuit. Bellum est commune Regis & subditorum opus, fitque à corpore regni: peccatum actuale Adami, vt tu ipse loqueris, vnus personæ fuit. Septimò, peccati imputatio, & poenæ inflictio, actiones sunt iudiciariæ. Fieri debent à iudice secundum leges. Lex autem est, *Anima que peccauerit ipsa morietur. Non feret iniquitatem filij pater, nec patris filius.* Contrà in bello leges silent, & vt in statu perturbato, omnia vi fiunt: nec finis est vt fiat iustitia, sed victoria, cuius causa gens cui bellum infertur in id vnum intenta est, vt inferenti incommodet. Quoniam autem Regis potentia in subditorum multitudine & opibus sita est, eam vt atterant, & imminuant, & euertant, subditos Regi pro viribus, & bonis, & vita spoliare conantur: in quo scopus est & regi ægrè facere, illique incommodare, & se tueri, ac opibus augere. Deus verò cum peccatum hominibus imputat & vin-

dicat, Iudicis partibus fungitur, nihilque habet ob oculos præter iustitiam, quæ suum cuique tribuit. Itaque nulli alienum peccatum attribuit, nulli poenam irrogat ob peccatum, quod nec in se habuit, nec admisit: summa est iustitiæ eius puritas, summus nitor, & splendor. Octauò, Rex cum bellum denunciat vel infert, actu Rex est, & qua Rex caput subditorum, & ad subditos relationem actu habet, & vicissim subditi ad eum. Itaque, cum actu & plures sint, & se mutuis relationibus respiciant, actu vnum corpus constituunt, ex Rege & subditis constans. Adamus verò cum peccauit actu pater non erat, actu relationem ad nos nullam habebat, non erat actu caput nostrum, & vicissim nos ad eum nullam relationem actu habebamus. Tum demum nata est hæc relatio, cum pater esse, & liberos habere coepit. Est autem, postquam creatus fuerat, centum & triginta annis demum Seth natus, ex quo nos omnes sumus. Itaque qui nulli tum eramus, cum eo coire in societatem, aut componere corpus non potuimus. Respondebis fortasse, nos in Adamo potentia fuisse. Ergo, inquam, discrepat similitudo subditi enim sunt actu, sunt actu subditi, actu Rex eorum est caput, actu eius imperata tenentur exequi, actu cum eo corpus componunt, actu eum vel consilio vel opibus, vel manu, vel saltem votis iuuant. Deinde, an quia eramus in Adamo potentia, sequitur quod ille fecit nos fecisse, nobisque eius actiones imputari debere? Tu eras in eo potentia, an igitur fuisti vel actu, vel potentia maritus Eux primæ parentis nostræ? An actu vel potentia genuisti Sethum secundum parentem generis humani? An in eo actu

vel potentia resipuisti à peccato? Nempe illam vnam actionem tu in eo fecisti, concupiuiſti ſcilicet fructum arboris vetitæ, guſtaſti eius ſuauitatem, blanditijs & ſuaſionibus vxoris tuæ Eux te perſuaderi ſiuiſti, cupiditate ſciendi bonum & malum flagraſti, diuinitatem quandam affectaſti, manum arbori prohibitæ admouiſti, fructum eius dentibus comminuiſti. Equidem non capio cur iſtam vnam actionem in Adamo ediderimus, à cæteris autem eius actionibus abſtinuerimus.

Alterum ſimilitudinis membrum, ſeu, ſi ita mauiſ, ſimilitudinem integram his verbis expreſſiſti. *Eodem modo ſi in vrbe populus ſit rebellis, & ſeditionem moueat in principis miniſtros, vel ſatellites, & eam ob cauſam princeps populum illum rebellionis damnet, & armis perſequatur, ſeditio illa non tantum eorum eſſe cenſetur, qui ſe commouerunt primi, & iniuriam fecerunt ſatellitibus, ſed etiam imputatur cætui & toti communitati, ſeu ſocietati ciuium. Omnes habentur rei & rebelles, bona proſcribuntur, nec parcitur vitæ; quia ſunt ex corpore, & ſocietate illius vrbis rebellis. Sic ſeres habet in genere humano. Primus homo tanquam caput omnium hominum, rebellans Deo & peccans in Deum, iuſto Dei iudicio punitus eſt; non tantum ipſe in perſona ſua, ſed tota natura humana & omnes homines, qui ſunt tanquam vnum corpus, & cœiunt in vnam ſocietatem; Et hac rebellio capitæ, quæ totam naturam peruaſit, tribuitur & imputatur omnibus hominibus. Quæ ad præcedentem ſimilitudinem dicta ſunt hanc ipſam quoque euertunt. Addam tamen pauca. Modò Adamum comparabas Regi bellum inferenti: Nunc eundem comparas populo rebellanti aduerſus Regis miniſtros. At quid habet*

Adamus commune cum seditiosa & tumultuante plebe alicuius vrbis, in societatem rebellionis ipsos suos magistratus trahēte, nisi eam coërceant pro virili, & se Regi purgent. Hinc facilius concludas multitudinis hominum peccata ipsi Adamo, quàm vnus Adami primum peccatum actuale toti hominum multitudinì imputari debere. Deinde, putasne iustum & æquum Regem iis crimen illud rebellionis imputare, quos pro comperto habet in rebellionem non consensisse in illa vrbe? Discernit proculdubiò pro sua æquitate inter rebelles & non rebelles, seditiosos & in officio constantes. Præterea, annon inde sequeretur multò propiùs & certius, multitudinis impiæ peccata imputari paucis inter improbos delitescētibz piis, quàm vnus hominis peccatum vnum, nullo alio homine præfente, immò existente, commissum omnibus hominibus imputari? Attamen ab illa imputatione Dei iustitia abhorret. *Absit tibi*, dicebat Abraham Gen. 13. 28. *Et facias tale quidpiam, morti tradendo iustum cum iniusto, ut ita sit iusto sicut iniusto: Absit tibi; An index totius terre non exerceret ius?* Vides quantopere pater credentium pugnare cum diuina iustitia credebat, si paucissimi iusti magnæ ciuitatis rebellis & peccatricis punitione cum ciuium multitudine inuoluerentur, & nos eius filij audebimus Deo eiusmodi iustitiam tribuere, quæ vnus hominis culpam imputet omnibus, non modò ad mortem æternam, sed etiam ad eam pœnam quæ sit ipsa propriè malum culpæ, & causa omnium peccatorum? *Absit, absit à nobis talis, de Deo nostro, de mundi iudice, cuius æquitas & φιλανθρωπία nobis notissima est, cogitatio!*

GAR. *Mittamus nunc quidem Rhetoricationes, & quod de pœna dicitur, qua sit ipsa specie malum culpa, quia de hoc & aliquid dictum est superius, & recurrat postea eâ de re fusius disputandi occasio. Argumenti duntaxat vim attendamus, quod ita pertexi potest. Iustos cum iniustis eadem condemnatione & morte inuolui, alienum est à Dei iustitiâ, teste Abrahamo. Atqui in alieni peccati imputatione, iusti cum iniustis, eâdem condemnatione & morte inuoluerentur. Ergo alieni peccati imputatio est à Dei iustitiâ aliena.*

Cap.

xiv § 2

PLAC. *Qua occasione, & quàm appositè testimonium Abrahami fuerit à me allatum Lector prudens, si placer, considerabit. Interim Argumentum quod hîc vir doctus contexuit libenter pro meo habebò modò in minore alieni peccati imputatio, non quælibet intelligatur, sed ea duntaxat, de qua inter nos lis est, nempe antecedens omne peccatum nobis inhærens aut à nobis commissum.*

GAR. *Hic primò responderi posset, quæ ab Abrahamo causa disceptatur, eam à Quæstione imputatæ Adami inobedientiæ longè abesse. Abrahamus enim de ijs loquitur, qui non omnes eâdem conditione agebant, sed alij iusti erant, alij iniustitiæ mancipati: & quorum ea erat ratio, ut non modo iusti propter impios, quibus commixti erant, in earundem pœnarum consortium trahi possent, sed etiam impij propter iustos eiusdem beneficij & conseruationis esse participes; unde Abrahamus utrumque à Deo precibus contendit, tum ut ne iusti propter impiorum scelera pereant, tum ut impijs propter iustos ignoscatur. Atqui longè aliter res habet in nostro negotio. Nam primò inter eos quibus Adæ peccatum imputatur, hoc quidem respectu, nulla est iniustitiæ distinctio; neque enim solus Adamus iniustus est; posteri verò iusti & innocentes, sed omnes natiua seminis corruptione polluti, sicut explicatum est cap. 2. Deinde nec quinquaginta, nec viginti, nec decem, ac ne unus quidem est in hoc ordine carnaliter generatorum, propter cuius iniustitiâ Deus cæteris parcere aut velit, aut debeat. Itaque ex Abrahami verbis duci non potest legitima aduersus imputationem peccati Adæ consequentia.*

PLAC. *Horum duorum discriminum prius quidem appositum est, si de imputatione mediata agitur, quæ supponit & consequitur inhærentem corruptionem seu iniustitiâ: idèò*

enim eadem condemnatione & morte cum iniusto Adamo inuoluimur, quoniam & ipsi in nobis ipsis iniusti sumus: sed si de imputatione immediata, quam solam impugno, agitur, falsum est; antecedit enim imputatio corruptionem hæreditariam ut culpa pœnam. itaque nostra iniustitia huiusmodi imputationem & condemnationem sequitur ut effectum, non antecedit ut causa. Non idè eadem cum iniusto Adamo condemnatione inuoluimur, quia sumus iniusti, sed contrà idè sumus iniusti, quia eadem cum iniusto Adamo condemnatione inuoluimur: ita enim sumus imputatione peccati actualis ab Adamo commissi peccatores, id est, rei, & ut puniatur imputatum nobis illud peccatum sumus inherenter iniusti. Seposita igitur hac imputatione seu condemnatione nocens est Adamus, nos innocentes. Quare illa imputatio seu condemnatio, iudice Abrahamo, pugnat cum Dei iustitia. Posterius discrimen quid ad rem faciat, de qua agitur, non video.

G A R. *Verum ad iustam solutionem, progrediendum est ulterius in deprecationis huius Abrahamica consideratione. Dicimus ergo non esse simpliciter & absolutè concedendum, abhorrevit omnino à iustitia Dei ut iniusti sine personaliter innocentes eadem aliquando pœna inuoluantur cum iniustis & criminosis, quantumvis inde sua deprecationis argumentum desumat Abrahamus. 1. quia Deus ipse expressis & disertis verbis testatur se contrarium aliquando facere, Ita enim Prophetam suum alloquitur, Ezech. xxi. 8. 9. Dic tibi Israelis, Sic ait Iehoua; ecce ego exeram gladium meum è vagina sua, ut excindam ex te iustum & improbum: ut excindam ex te iustum & improbum: idcirco prodibit gladius meus è vagina sua contra omnem carnem à Meridie ad Aquilonem. 2. Quia eius diuine dispensationis exempla quedam Abrahamus ignorare non poterat, quæ Deus omnium oculis obiecerat, primò in diluuii generali, deinde in Sodomorum subuersione, tertio in Abimelechi familia, quæ omnia supra suo loco produximus.*

P L A C. Hoc verò non est nodum soluere, sed secare. Quid si Ezech. 21. per iustum intelligitur is, qui sibi, aut alijs iustus videtur, ut quibusdam placet interpretibus? Quid si iustus intelligitur per comparationem cum alijs nequioribus? iuxta illud Mich. 7. 4. *optimus coram est similis spine: rectissimi*

mus præ spineto est. Quid, quod nullus est omnino iustus, & qui non peccet: omnes peccauerunt & destituti sunt gloria Dei: ipsi infantes recens nati inhærente vitio polluti sunt; ac propterea illis pœnis digni quibus à Dei iustitia afficiuntur. Taceo communes pœnas aliter sese in pijs habere, aliter in impijs. Illorum enim respectu sunt castigationes, & pœnæ paternæ, & vitæ peccato & miseræ obnoxia in perfectè sanctam ac beatam commutatio; itaque nulla ijs fit iniuria, vti nec impiorum liberis, qui ita ob peccatum originale, quo parentibus similes sunt, moriuntur, vt tamen à multis peccatis, quæ si prorogata illis vita fuisset, commisissent, & à multis calamitatibus in quas incidissent, præferentur; id quod in aliquo beneficio reponi potest. Minimè igitur pugnat hoc Dei apud Ezech. oraculum cum Abrahami testimonio. Exempla diuinæ dispensationis quæ vir doctus subjungit, eius causæ ob sunt. Non enim eadem cum impijs condemnatione Noachum in diluuiò generali, nec Lothum in Sodomorum subuersione Dei iustitia inuoluit. *Nonit enim Dominus pius è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij pœnas dantes seruare:* quanquam Sodomorum subuersio sequuta est non antecessit, vt memoria lapsus supponere videtur Vir doctus, istud Abrahami cum Deo colloquium. Idem de edito in Abimelechi familia exemplo dici debet: narratur enim eius hystoria demum Gen. cap. 20. & ita narratur, vt appareat idem cum Abrahamo sensisse Abimelechum de Dei iustitia.

GAR. *Quomodo igitur, inquires, illud semel & iterum Cap. 14 Abrahamus ingerit, abesse debere à Deo vt perimat iustum cum § 5. injusto? Resp. i. De hac Abraha deprecatione ita iudicare non-nullos, vt non modo negent, vsquequaque certam esse, quam probat sententiam, sed affirmant etiam multiplicem habere confutationem. Ita enim Pererius, qui vbi eam confutationem proposuit, concludit tandem in hæc verba. Abraham similis oratori pessimam causam defendenti, & in omnes se partes versanti, vt, undecunque possit, rapiat qualecunque defensionis præsidium, miscet verba, variatque sententias, inuoluit rationes etiam non admodum probabiles, nec proposito suo valde congruentes, omnem demum mouet lapidem, vt impetret quod à Deo postulat, non tam senten-*

tiarum pondere, aut robore argumentorum cum Deo agens, quàm ardore charitatis & flagrantissimo pietatis erga miseros illos homines affectu.

PLAC. Probatne, an improbat Vir doctus illa Pererij verba? Si improbat, cur laudat? Si probat, miror eum probare potuisse tam audacia, tantoque Patriarchæ, patri credentium, tam iniuriosa Iesuitæ verba. Equidem qui me filium esse Abrahæ Dei beneficio in maximo credo, & lætor, vix ferre possum tam inuerecundè de meo patre loquentem. Quantus enim erat Patriarcha, Dei confœderatus, Dei amicus, Dei colloquio tam sæpe dignatus, insignis Propheta? Quis credat eum voluisse apud Deum pessimam causam defendere, & rationibus tanquam necessarijs vti minùs probabilibus? Quid, quod Deus illam rationem non reprehendit, sed admisit, & nos decet credentes Patris credentium imitari fidem?

GAR. 2. *Abrahamo certa quidem fuit & immota hæc regula quam nullus fidelis non agnoscit, fieri nunquam omninò posse, ut Deus iniuste quidquam designet: sed in speciali videre non poterat, quomodo hæc innocentium clades cum iustitiâ Dei conuenire posset. Querit ergo non obluetandi animo, sed ut hunc scrupulum sibi eximat, an Deus iustum perditurus sit cum impio. &c.*

PLAC. Suntne igitur illa verba dubitantis, aut simpliciter querentis, *Absit tibi ut facias tale quidpiam, morti tradendo iustum cum iniusto, ut ita sit iusto sicut iniusto: Absit tibi An index totius terra non exerceret ius?* Quæ sunt assertiones vehementes ac fortes, tanquam certæ & indubitatæ, si hæc non sunt? Certò igitur sciebat, nec Deum posse quicquam iniquè designare, nec iustum esse apud Deum iudicem, ut pariter iustus ac iniustus damnetur, itaque hoc vnum flagitabat, non modò ut Deus iustos propter impios non damnaret, id quod ei videbatur nimis à Dei iustitia alienum, sed ut propter paucos iustos parceret vel impijs, vel saltem ipsi loco seu vrbi, id quod Dei bonitatem summam non dedecere videbatur. Agebatur enim non de qualicunque castigatione, sed de pœna iudiciaria, & quodammodo æterna: cuiusmodi pœna certum est nunquam iustos propter impios puniri.

GAR. 3. *Cum Deus in exequendis iudicijs suis, aliquando ex iustitia rigore agat, aliquando iustitiam aequitate temperet, dico Abrahamum, pro charitate sua in Sodomaos, percipiisse, ut Deus iudicium illud aliquâ misericordia testificatione temperaret: Itaque seposito nunc quidem Dei τὸ ἀριστοδυναίω, unice hæsisse in ordinariâ & communiori iustitie diuina dispensatione, cum præsertim altè animo ipse insideret fœdus illud cum ipso nuper initum Gen. 17. nimirum fœdus gratiæ, in quo Deus promisit se non imputaturum aliena peccata, Jerem. xxxi. 29. 30. Et cuius fœderis nonnullam aliquando suauitatem etiam ijs exhibet, qui ad illud non pertinent.*

PLAC. *Dux sunt partes orationis Abrahami: alterâ asserit non conuenire iustitiæ Dei, ut iustus pereat cum impio: alterâ petit à Deo, ut propter paucos iustos parcat vrbis; id quod, fateor, non ἀριστοδυναίω esse, sed testificationem potius misericordiæ: itaque hæc pars ad rem quam agimus non facit. Ab altera illa ductum est argumentum nostrum, quæ est non æquitati modo, sed rigori etiam iustitiæ, omni ex parte congruens. Quare quo spectet ista responsio, & quid argumento meo afferat noxæ, nullus video. Illud tantum reponam, Si in fœdere gratiæ Deus promisit se non imputaturum aliena peccata, igitur cum nobis non imputare peccatum actuale primum Adami: Quomodo ergo nos ob illud peccatum punit, inflictâ scilicet pœnâ iudiciali, nempe corruptione originali? Cæterum non eo inficias, qui Deus nonnunquam eâdem condemnatione temporali pios cum impijs inuoluat; quippe, nullus est ita pius & iustus, ut non peccet interdum, & pij non, vti par est, eorum, quibus admixti sunt, peccata detestantur fugiunt, redarguunt. Interim tamen huiusmodi calamitates cedunt pijs in castigationes paternas, quibus cauetur ne æternum pereant cum impijs. Nos autem in hac causa de imputatione iudiciali agimus & damnatione ad pœnas proprietas & iustitiæ satisfactorias, quales illæ sunt quas lex comminatur & iustitia, ut sibi satisfiat, exigit, quas ob aliena peccata portare innocentes minimè nocentium vides, contendimus cum Abrahæ testimonio, cum Dei iustitia & æquitate pugnare.*

Quartò, faceſſe aliquem Regem ea potentia præditum, vt poſſit ſubditis ſuis, ſi velit, animū rebellionis & inobedientiæ immittere, putasne eum ſi ſapiens, ſi iuſtus, ſi bonus ſit, ita fore comparatum, vt iis qui alioqui in vrbe illa fideles eſſent, primū impu- tet rebellium crimen, deinde vt illud puniat eos priuēt iuſtitia & fidelitate, ac cæteris virtutibus, vt deinceps non poſſint non eſſe ipſi rebelles & ſceleſti? Noli igitur, quæſo, frater in Chriſto dilectiſſime, tales de Deo cogitationes fouere, quæ mihi quidem certè horrorem incutiunt. Quintò denique, ſuccurrant nobis Apoſtoli verba ad Gal. 6. 5. *Vnusquisque ſuum onus portabit.* Et ad Rom. 14. 12. *Vnusquisque noſtrum de ſiſipſo rationem reddet Deo.* Putasne in illa die nobis omnibus & ſingulis reddendam eſſe rationem de peccato actuali Adami? Nonne nobis ſingulis ſuæ cuique attributæ ſunt à Deo voluntates, facultates, actiões, dotes? De his quidem certè reddenda erit ratio ſingulis nobis, de Adami actiõe aliquot annorum millibus antequam eſſe inciperemus perpetrato non erit nobis, ſed ipſi Adamo reddenda apud Deum ratio. Cæterum extrema huius tuæ comparationis, necnon capitis, ſi bene intelligantur, verba mihi probantur, *hec rebellio capitis quæ totam naturam peruaſit, tribuitur & imputatur omnibus hominibus.* Nempe, rebellio actualis Adami ſuum ipſa per ſe naturali efficientia ſemen, virus, in omnes Adami facultates infeuit, atque medullitus infixit, idque malum ſerpiſit, & per generationem naturalem ſe diffudit, & propagauit, & contagione ſua poſteros omnes infecit. Itaque, cum ſit in ſingulis hominibus, meritò iis tribuitur & imputatur.

CAPVT VIII.

*Responsio ad argumenta quæ pro Imputatione
peccati Actualis Adami ducuntur ex
Vetere Testamento Cap. V.*

CONSTITVTO & illustrato, prout tibi visum est, quæstionis statu, tandem, Vir Clarissime, Capite tui tractatus quinto copias argumentorum tuorum educis in aciem, & explicas. Prodeunt autem omnium prima pauca quædam è Veteri Testamento deprompta.

Primum erumpit ex interdicto arboris scientiæ boni & mali, & sic procedit. *Si interdictum illud, inquis, & comminatio non tantum primos parentes spectauit, sed etiam totum genus humanum, sequitur transgressionem illius Mandati non tantum primos parentes morti obnoxios fecisse, sed etiam totum genus humanum. Atqui verum prius, Ergo & posterius. Prima pars maioris (quæ est de interdicto) extra controuersiam est: nam quis inficias ibit dominum legem dedisse non tantum Adamo, sed etiam posteris omnibus? quis negabit lege illa interdictum omnibus hominibus esum illius fructus? Consequentia verò manifesta est ex euentu: Nam violato interdicto, & Adam & omnes posteri morti obnoxij facti sunt. Principio huius tui argumenti conclusionem concedo: est enim tam meæ quàm tuæ sententiæ amica. Credo tecum firmiter, transgressionem Adami non tantum primos parentes morti obnoxios fecisse, sed etiam totum genus humanum. Sed quæstio est inter*

nos duntaxat de modo, quo transgressio illa totum genus humanum morti obnoxium fecit. Tu hoc adscribis Iustitiæ Dei, quæ transgressionem illam præcisam ab infecta corruptione nobis omnibus, hoc ipso quod Adami filij sumus, imputet immediatè, non fecus ac si illam ipsi, qui tum nulli eramus, admisissetimus, ac consequenter nos primum inflicta corruptione morali quæ peccatum est, & causa omnium nostrorum peccatorum, deinde morte corporis & æterna, puniat. Itaque vis transgressionem illam actualem nos fecisse morti obnoxios interuentu eiusmodi imputationis. Ego verò absque tali imputatione aio transgressionem illam naturali efficientia & sequela vitiasse facultates Adami, etiam illam qua nos genuit, eas vero vitiatas genuisse prolem vitiatam, hanc aliam, & ita vitium propagatum & multiplicatum vna cum natura humana ad omnes homines, vno Christo excepto, peruenisse sola lege naturæ, qua sui quodque simile gignit, quam generalem legem non ad homines solum, sed ad alias etiam Creaturas, quotquot generandi facultate præditæ sunt, pertinentem, & decreto antecedente de creando mundo & natura constituenda positam & sancitam, non decuit Deum ob Adami transgressionem vel abrogare, vel infringere. Itaque laudo hæc verba Thomæ Aquinatis, *dicendum, quod infectio originalis peccati nullo modo causatur à Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem.* Hoc autem vitium, quod in singulis nobis medullitus inest verè & propriè peccatum est, non quidem actuale, sed, vt ita loquar, habituale, dignum non temporali modo morte, sed æterna etiam, quod nostri aduersus Pontificios solent

Sum.
Theol.
q. 83.
Ar. 1. ad
4.

multis argumentis euincere, quæ tu proculdubio & legisti, & probas. Nos ergo transgressio Adami fecit obnoxios morti corporali & æternæ interuentu inhærentis vitij & culpæ, quo nos infecit. Hoc autem vitium in Adamo naturali sequela produxit ab Adamo verò in nos haud aliter quàm ipsa natura humana propagatum est generatione carnali. Volui statum quæstionis hoc loco repetere, quoniam eum purgatum & enucleatum habere perpetuò ob oculos nos decet, ne ab eo aliquandò aberrantes in inanes λόγους prolabamur.

Quamuis autem conclusionem huius tui syllogismi admittam, tamen non sunt ita liquidæ præmissæ, quin aliqua distinctione egeant, ad rem quam agimus, vtili. Nam quomodo, quæso, intelligis has propositiones, *Dominum legem illam dedisse non tantum Adamo, sed etiam posteris omnibus; lege illa interdictum fuisse hominibus esum illius fructus?* Distinguenda certè sunt tempora. Nam si Adamus in paradiso liberos genuisset, eos, postea quàm geniti fuissent, interdictum illud obligasset; nisi fortè interdictum illud Deus tandem abrogasset; quis enim nouit mentem Domini? Positiua lex fuit, libertatem arbitrij Adami circa rem natura sua indifferentem circumscribens, ac proindè potuit ad tempus præscribi, eoque tempore elapso abrogari, quemadmodum leges de ciborum delectu, quas Deus olim tulerat populo suo. Quis nostrum scire potest, vtrum Deus voluisset interdictum illud perpetuò vigere, an verò ad certum quoddam tempus duntaxat, quo exacto, & probata abundè hominis obedientia, illud sustulisset, facta homini copia vtendi in posterum illa arbore?

Haud enim decet nos in Dei arcana irrumpere, aut ea quæ ignoramus confidenter asseuerare. Concedo tamen libenter futurum fuisse vt obligaret posteros Adami quo tempore fuissent, at quo tempore non fuissent, eos tunc ad id obseruandum fuisse obligatos nullo modo concedere possum. Ipsa naturæ lex à qua, nemo eximi potest, non obligat ad obedientiam, nisi eos, qui sunt in rerum natura, & quamdiu sunt in rerum natura. Qui nondum sunt in Mundum ingressi, nondum tenentur obseruare leges latas ijs qui sunt in Mundo. Acceperant Israëlita olim legem in deserto pro se & posteris, quis credat eo tempore, quo peregrinabantur in eodem deserto, Dauidem, aut Mariam Virginem debuisse iam tunc legem illam obseruare? aut propterea eorum qui primi legem acceperunt, peccata fuisse posteris imputanda omnibus ad sæculorum vsque consummationem? Infanti in vtero materno putasne ea peccata imputari, quæ si vixisset, & ad senium peruenisset toto vitæ tempore facturus fuisset? non arbitror. Cur igitur ei vis imputari peccatum actuale tunc admissum cum nondum erat, immò aliquot annorum millibus antequam esset, quodque adeò ipse nec actu, nec potentiâ commisit; non actu, quia non erat; non potentiâ, quia cum committeretur, non poterat tunc esse, hoc volo, non poterat esse respectu illius temporis quo peccatum illud perpetratum est, vsque adeò vt implicet contradictionem illud idem numero quod vis nobis imputari à nobis fieri, aut factum esse. Nunquam illud fecimus, nec facere potuimus, nec ex quo nati sumus ficere possumus. Præclare author Hypognofticôn Contra pelag. siue

is sit Augustinus, siue alius, *Deus, inquit, prescius operum eius malorum, qua facturus erat etate perfecta, periturum dixit de populo suo. Itane pelagiane insane, Lib. v. Deus qui iustus est in omnibus vijs suis & sanctus in omnibus operibus suis, pro huiusmodi credendus incircuncisum puerulum iudicare, ut tanquam factorem pro non factis sceleribus puniat, tempus imputet quoddam vbi vita non vixerit, vbi velle & nolle non fuit voluntatis? Absit hoc apud iudicem iustum &c.* Vide quantopere pius vir ab ista cogitatione abhorreat, Deum puerulo tempus imputare quoddam vbi vita non vixerit, quamuis potuerit viuere; quàmque id existimet non cōuenire dei iustitiæ; quid ergo diceret de eo tempore quum puerulus non modo vita non viuebat, sed ne poterat quidem viuere, deque peccato quod non modo non fecit, sed neque potuit vnquam facere? Quod si Apostoli exemplo in Epistolis ad Gal. & ad Heb. velimus scripturæ verba & silentium, accuratè perpendere, quid est quamobrem non obseruemus in Interdicto, in sententia post violatum interdictum Adamo pronunciata nullam esse posteritatis factam mentionem? Caut nimirum Deus iam tum, ne vobis vllam præberet ansam ita de iustitia sua, vt facitis, sentiendi. Sed fac interdictum illud nos ad obedientiam obligasse pro eo tempore quo nondum eramus, quo solus erat cum vxore in paradiso Adamus, quid à nobis requirebat? Vt ne ederemus de fructu arboris scientiæ boni & mali? Paruimus: nam qui edere tum temporis non poteramus, profectò non edimus. Edimus, inquires, in Adamo. bene habet: non igitur edimus in nobis. Quandoquidem igitur in vno Adamo manducauimus illum fructum, decuit nos etiam puniri in vno

Adamo: ac cum in nostris personis non mandu-
 uerimus, non oportuit nos puniri in nostris personis.
 Scire velim quomodo ad nos interdictum spectabat,
 utrum quatenus sumus personæ distinctæ à persona
 Adami, an duntaxat quatenus nihil aliud eramus
 quàm ipse Adamus? nostri enim tunc certè pars
 nulla erat, immò ne semen quidem vnde procreati
 sumus, immò ne semen quidem ex quo Centesimus
 à nobis parens noster ortus est. Prius non dixeris.
 Posterius si affirmas, quid est quamobrem ad nos non
 spectauerit interdictum, illius temporis respectu, nisi
 quatenus eramus nihil nisi ipse Adamus, velis autem
 comminationem adjunctam interdicto ad nos spe-
 ctare quatenus personæ sumus ab Adamo diuersæ &
 separatae? Equidem non intelligo cur ad nos alio
 modo interdictum, alio comminatio pertineat.

Verùm tu argumentaris ab euentu. *Hoc enim vio-
 lato interdicto & Adam, & omnes posteri morti obnoxij
 facti sunt.* Certè, sed Adam immediatè ob violatum
 à se interdictum, posteri ob vitium & peccatum quod
 singulis ab Adamo propagatum inhæret.

Pergis & ducis argumentum à sententia, quam
 Deus Adamo prolapsò in peccatum pronunciauit his
 verbis, *quia paruisti voci uxoris tue, & comedisti ex
 arbore &c.* vnde sic argumentaris, *Si pœna fuit commu-
 nis, peccatum debuit etiam esse commune. Atqui pœna fuit
 communis. Ergo etiam peccatum.* Majorem probas hoc
 syllogismo, *iustus Iudex non infligit pœnam communem
 omnibus hominibus, nisi ob commune peccatum omnium.*
 Subjit animum tuum hoc totum posse à me concedi,
 qui agnosco peccatum commune omnium homi-
 num, nempe vitium hæreditarium dignum commu-

nibus pœnis. Itaque longiùs proueheris, *Iam, inquis, subsumo, primum illud peccatum quod omnes homines addixit pœna commune est omnibus, vel actu proprio, vel imputatione: Non actu proprio, quia solus Adamus actu peccauit. Ergo imputatione, quia scilicet omnibus imputatur.* Cur tertium membrum omisisti tantopere aduersus Pelagianos decantatum, *vel propagatione naturali*, Constat enim primum peccatum in nos transiisse (non qua fuit actio transiens, sed qua fuit auersio à Deo & conuersio ad creaturas vt ad finem vltimum, permanens in Adamo) transiisse inquam non imputatione quæ extra nos est, sed vera communicatione & propagatione. Ob hoc peccatum commune omnium communes irrogantur omnibus pœnæ: non satisfactoriæ quidem illæ in hac vita, saltem respectu fidelium, sed tamen pœnæ: irrogatur etiam, nisi gratia Christi intercedat, pœna satisfactoria, sed quæ nunquam satisfactionem absoluit, mors æterna. Ego igitur inter actum primi peccati & imputationem interpono in omnibus Adami posteris corruptionem hæreditariam quæ imputetur nobis ad illas pœnas. Cur tam longè quæris causam proximam malorum quæ omnes patimur, cum occurrat in proximo? Cur eam quæris in Adamo cum in nobis singulis se prodat? Cur opus est vt Deus nobis imputet peccatum alienum, cum in nobis inueniat peccatum quod illas pœnas meretur? Cur imputet actuale quod neque actu neque potentia fecimus, cum videat in singulis nobis vitium actu inhærens dignum illis pœnis? Repones fortasse miseras huius vitæ & mortem corporis inflictas fuisse Adamo ob peccatum actuale, *quia, inquit Deus, paruisti voci-*

uxoris tuæ & comedisti ex arbore quam præcepi tibi dicendo &c. Et sic colliges, cujus peccati pœnas luimus, id peccatum nostrum est. Peccati actualis Adami pœnas luimus. Nostrum est igitur; quomodo, nisi imputatione? Quid si concedam (quod feci in constituendo statu quæstionis) nobis peccatum Adami imputari ac nostrum esse, sed mediâtè tantùm; quia illi participatione vitiositatis, quam in Adamo reliquit, communicamus, & habituali voluntatis prauitate ab eo deriuata ei consentimus? Tria enim ista sese ordine consequuntur, peccatum actuale Adami corruptio nobis inhærens, pœna. Hæc nascitur proximè à corruptione nobis inhærente, corruptio à peccato actuale Adami. Relege, si placet, verba Ægidij Hunnij, quæ Cap. 2. dum statum quæstionis constituerem, adscripsi, necnon Chamieri, quorum locum ibidem notauî. Formaliter etiam ad præmissas respondeo hac distinctione, Cujus peccati pœnas luimus proximè, seu immediâtè, Id peccatum nostrum est. Concedo. Cujus verò peccati pœnas luimus tantùm mediâtè, alio scilicet mediante peccato, id peccatum nostrum est, Nego. Satis enim est, si sit causa nostri peccati. Nosti enim tritum illud in scholis, *quod est causa causa, id etiam est causa causati.* Atqui peccati actualis pœnas luimus proximè, Nego; Mediâtè, Concedo. Est igitur nostrum peccatum, non sequitur; sed bene, est causa peccati nostri. Quid enim? putasne ista verba, *quia paruisti voci uxoris tuæ tibi, tuæ, inquam, personæ dicta esse, & ad te immediâtè spectare?* Nonne vides quàm personale fuit, & proprium Adamo, maritum fuisse Eux, tam ad eius personam accommodata esse hæc verba?

Potuitne Dei sententia verbis concipi magis, vt ita loquar, personalibus, magis propriis personæ Adami, minùs communibus generi humano? Id autem noli putare factum esse ab eo temerè. Si Deus actuale illud peccatum Adami imputauisset hominibus nondum existentibus, eosque omnes immediatè ob illud peccatum sua sententia pœnis illis adjudicasset, quæ est sapientia communem sententiam verbis communibus, &, quæ omnibus & singulis hominibus applicari possent, concepisset, aut posterorum Adami aliquam mentionem injecisset. Nunc autem Contrarium fecit, quorsum, nisi vt intelligamus decretas ea sententia pœnas ad nos non pertinere, nisi quia Adamus nobiscum eas communicauit, communicatâ, quæ illas meretur, per carnalem generationem peccati sui malitiâ? atque ita causam cur eas pœnas luamus, non quæramus in Deo nobis actionem, quam nullo modo commisimus, imputante, vt nos puniat, sed in Adamo solo, & natura peccati ipsius, quod, vt fermentum quoddam massæ generis humani immissum, eam totam, non per Dei imputationem, sed per carnalem generationem corrumpit, ac malitia infecit. Vides me Dei causam agere, noli quæso ei aduersari.

Me enim vehementer offendit, quòd tu, & alij quidam fratres nostri, dicitis, Deum omnes homines, etiam puerulos, punire morte corporis (& æterna) immò morte animæ, quæ formaliter peccatum est, ob peccatum actuale quod eorum non est vllò modo, nisi imputatione, quia Deus illud ipsis imputat. Id vel cogitare horret conscientia, ac vt aliam tibi & illis mentem det, Dominum supplex ex animo precor.

Quo enim jure, ut ait alicubi Bellarminus (cui tecum hæc causa est communis) mihi imputatur, quod meum non est? quæ hæc iustitia, peccatum quod alioqui omnium commune non est, imputando omnibus commune facere, ac propterea omnes homines tam seuerè punire? Non est, inquis, primum illud peccatum commune omnibus, nisi imputatione, quia scilicet omnibus imputatur. Ergo inquam, antequam imputetur omnibus, commune non est omnibus. Quod igitur commune est omnibus, id soli isti imputationi, quæ scilicet actio Dei est iudiciaria, imputandum est. Considera, quæso, quæ sit falsa & iniusta imputatio, si hæc non est; Et, an conueniat Deo actio, quæ nos alioqui non peccatores, peccatores faciat, & quidem formaliter, & per se, & annon hoc sit causam omnium nostrorum peccatorum & malorum in Deum referre; & da gloriam creatori tuo & redemptori. Reuoca in animum quæ dixi Cap. 3. hujus examinis §. III. Neque puta tuam illam sententiam esse ex fontibus vel patrum antiquorum, vel eorum qui primi & præcipuè manum admouerunt Ecclesiæ Reformandæ sæculo superiore, haustam & deductam. Longè aliter illi senserunt, ut, Deo dante, faciam alio Capite manifestum. Nunc mihi fatis est tuorum argumentorum nodos soluere.

Addis, *idem demonstrari ex promissione Euangelij illic inserta vers. 15. de semine mulieris, Christo scilicet vindice generis humani, contrituro caput serpentis. Quemadmodum ex pœna communi asseritur peccatum fuisse commune, sic ex Remedio communi ad delendum illud peccatum, sequitur illud peccatum fuisse omnibus commune.* At primum commune fateor peccatum, sed situm, non in imputatione

peccati actualis Adami, sed in corruptione omnibus insita; & commune factum, non imputatione diuina, sed generatione carnali. Alioquin Diabolus sua tentatione vnicum hominem peccatorem effecisset, Deus (cogitans totus cohorresco) sua illa imputatione reliquos omnes; cuius imputationis demonstra si potes vel necessitatem, vel iustitiam. Cæterum quantumuis commune sit remedium, tamen non applicatur, non imputatur vlli adulto, nisi consentienti ac per fidem illud apprehendenti, nec nostrum est nisi Christi & Dei dono. Donari autem à Deo nobis peccatum actuale Adami absit vt credam. Vis autem imputationem peccati actualis Adami. antecedere omnem nostrum siue habitualem, siue actua- lem consensum. Tuam igitur potius sententiam commune hoc remedium euertit, quàm firmat. Quid quod mihi arma ministrat tuæ isti imputationi funesta? Sic enim ratiocinor. Id cui remedium commune opponitur, vel est ipsum commune malum vel causa cur sit malum commune. Opponitur hoc loco remedium commune serpenti; nec est serpens ipsum commune malum, Ergò serpens est causa cur sit malum commune. Non est autem causa mali communis, nisi aut illud ipse omnibus inspirauerit, aut saltem tale malum in vno produxerit, quod spontè, per se, naturali vi sua sese in omnes vt venenum, vt pestis, diffuderit, & propagauerit. Imputatio, inflictio pœnæ Dei opus est, non serpentis antiqui. Si igitur peccatum actuale non est omnibus commune, nisi imputatione; quia Deus illud omnibus imputat, nec est in nobis peccatum originale seu vitium inhærens, nisi quia nobis in pœnam actualis

illius imputati à Deo infligitur, mali communitas non est à serpente; Nec ista priuatio iustitiæ originalis & corruptio hæreditaria virus est serpentis, quod nobis affluit, sed (quod horret animus meus dicere) Dei effectum & opus. Dices fortasse mortem esse opus Diaboli, quæ tamen peccatum sequitur diuinæ imputationis & iudicij interuentu. nempe, quia Diabolus causa est peccati, quod per se & natura sua meretur mortem, nec potest ei in quo, vel à quo est, nisi intercedat satisfactio, non imputari. At peccatum illud primum actuale Adami, cujus ipsi author serpens fuit, naturâ suâ non merebatur omnium hominum corruptionem moralem, nec erat naturâ suâ eiusmodi, vt salua diuina iustitia non posset non imputari omnibus hominibus ad illud vitium ipsis infligendum. Quod si putes tale fuisse naturâ, & discedes à sententiâ magnorum virorum qui tecum imputationem illam tuentur, & pergratum nobis feceris, si id docueris & probaueris.

Secundum tuum Argumentum exsculpis ex Ps. 32. 1. 2. *Beatus cui dimittitur prauaricatio, cui tegitur peccatum: Beatus homo cui non imputauit Dominus iniquitatem*, ea arte, quam mihi mirari magis licet, quàm assequi. Quis enim mentis oculus, vt vt lynceus, videre possit in illis verbis immediatam peccati actualis Adami toti posteritati imputationem? Tu tamen multis verbis efficere conaris, vt eam tecum in illis videam, sed non possum. vtinam tui argumenti vim adhibita forma syllogistica retexisses, nec magna verborum copia obruisses; ex quibus eam eruere non possum. Testatur Psaltes in genere beatum esse

esse, cui peccatum non imputatur, nempe, quod vel commisit, vel in se habet, quod autem peccatum nobis possit iure imputari, vel non imputari non docet. Probas *miserum esse cui peccatum imputatur*, Concedo, Addis, *si hoc verum est in genere de omni peccato, verum etiam esse de peccato originali, quod in Adamo contraximus, ab Adamo dicendum fuisse videtur.* Concedo hoc quoque. Subjicis, vitium illud originis esse pœnam primi peccati primorum parentum, id, quoniam pœnam propriè dictam intelligis, id ipsum est quod inter nos quæritur. Ais nomina, quibus Psaltes peccata nuncupavit, posse primam illam Adami rebellionem significare, nempe, haud minùs, quàm, vel Caini homicidium, vel populi Israëlitici rebellionem. Adjicis eam esse *ἀνομίαν*, qua voce vsus est Apostolus in citando hoc loco: Esto; quid inde sequatur nondum intelligo: idem enim de Caini homicidio, de Sodomeorum crimine, de Abascalomi incestu & rebellionem, & denique de quouis alio cujusvis scelere dicere licet. Sed tu ipse aliquid concludis, te igitur audiamus, *Inde, inquis, concludere debemus secundum Apostolum verbis Prophetæ utentem, illum esse beatum cui peccata non imputantur, & ex consequenti, illum esse miserum cui peccata imputantur, & cum miseria nostra tota sit à peccato primo Adami, si peccatum illud nobis imputetur, nos esse miseros, si è contra nobis non imputetur, nos esse beatos.* Tu nobis, opinor subsumendum reliquisti, Atqui non sumus beati: Ergo nobis peccatum illud imputatur. Taceo hujus tui argumenti materiam ob terminorum multitudinem formam syllogisticam non admittere. Taceo idem posse de quouis alio peccato dici, si nobis impu-

tetur, nos esse miseros. Aio vt beati simus, non sufficere vnus cuiusdam peccati non imputationem, sed requiri omnium. Aio conferre ad meam beatitudinem, non si mihi aliquod peccatum non imputetur, puta incestus Iudæ, sed si mihi illud non imputetur ex gratia, quod mihi posset imputari ex iustitia. Nego autem nobis primum peccatum actuale posse imputari ex iustitia. Aio denique miseriam nostram totam esse à peccato primo Adami, non quia nobis proximè imputetur, sed quia causa est ejus peccati, quod quia nobis inest, ac proinde nostrum est, potest nobis imputari ex iustitia.

Ad firmandam hanc tuam rationem citas ratiocinationem Apostoli probantis Abrahamum fuisse iustificatum, quia *credidit Deo, & imputatum est ei ad iustitiam*. Quis vnquam sperasset inde posse effici, primum peccatum actuale Adami omnibus hominibus imputari immediatè, & quidem ad hanc pœnam, corruptionem scilicet hæreditariam? Nam hæc est nostra quæstio, cuius affirmatio tibi formaliter concludenda fuit. subtilem profectò te esse oportet, ac mirum artificem argumentorum, qui ex huiusmodi locis conficere illam imputationem possis. Sed quid inde concludis? (nam omnia tua verba huc transferre operosum esset, nec necessarium.) *Quemadmodum igitur, inquis, homo iustificatur & beatus est, quia credit in eum qui iustificat impium; & fides eius illi imputatur, ad iustitiam sine operibus, quia peccatum non imputatur, sequitur ex regula contrariorum, hominem damnari & miserum esse qui non credit in Deum, quia peccatum illi imputatur ad condemnationem, Concedo. Addis, & in genere omne peccatum quod commisit, Fateor. Subjungis,*

& in specie hoc peccatum Adami, quod ipsum constituit peccatorem. Hoc jam nego, siquidem, vt par est, per peccatum Adami ejus peccatum actuale intelligis, necnon imputationem immediatam. Id enim (vt habet eruditissimus Chamierus) nos peccatores constituit non formaliter, sed causaliter; quæ de re suo loco.

Hæc sola inuenisti in vetere Testamento, quibus illam imputationem concludi posse putares. Potuisssem & responsiones meas magnorum Theologorum autoritate fulcire, & iisdem ex locis alia argumenta promere tuis infesta: sed consulo breuitati, & nolo te nimia argumentorum profusione legentem fatigare. Loca in quibus Deus visitare dicitur iniquitatem patrum in filios hic ne commemorasti quidem: vidisti enim ea esse ad tuendam aduersus mea argumenta, quàm ad probandam imputationem peccati actualis Adami, magis accommodata. Reuera enim inde nullum argumentum confici potest, quod non æquè de alijs Adami peccatis ac de primo, deque aliorum parentum nostrorum peccatis, ac de Adami procedat: & limitatio illa *in quartam generationem* repugnat aperrè imputationi ilimitatæ in omnes generationes: & altera illa limitatio *in ijs qui me oderunt* præsupponit odium Dei in ijs qui visitantur: cum imputatio primi peccati actualis nullum in infantibus vitium præsupponat, sed, si tibi creditur, faciat. Verùm de his locis alibi.

Nunc mihi licet ita argumentari. Si dogma de imputatione primi peccati actualis Adami omnibus & singulis hominibus verum est & credendum, utiq; reuelatum est alicubi in veteri Testamento. Atqui nul-

libi reuelatum est in veteri Testamento. Non igitur est verum & credendum. Minor patet ex hac nostra disputatione. Majorem probo, quia lex comparata est ad detegendum & patefaciendum peccatum: per legem est cognitio peccati. Non fungitur autem suo hoc munere, vti par est, si non patefacit illud peccatum quod est omnium hominum commune, quod est omnium aliorum causa, vnde omnium hominum condemnatio pendet. Non patefacit autem secundum tuam sententiam, qui peccatum ejusmodi vis esse primum peccatum actuale Adami omnibus hominibus imputatum, nisi hæc imputatio ex lege, seu vetere Testamento colligi possit. Deinde, si peccatum illud actuale omnibus imputatur proximè, idq; tenentur homines credere, nititur imputatio illa lege aliqua, cuius etiam ope cognosci debet, eaque valde antiquâ. Cum igitur nulla ejusmodi lex occurrat in veteri Testamento, nullam esse illam imputationem faciendum est. Denique Israëlita increduli, qui ante Christi aduentum mortui sunt, iudicati sunt secundum legem quam à Deo per manum Mosis, acceperunt. Atqui secundum legem dānari non potuerunt immediatè ob peccatum actuale Adami, nec ipsis illud imputari, nisi secundum legem constare potuerit id peccatum eorum singulorum fuisse peccatum. Idem de omnibus alijs hominibus dicendum. Fit enim omnis iudiciaria imputatio peccati & inflictio pœnæ secundum aliquam legem. Atqui imputatio immediata peccati actualis omnibus hominibus & vitij inhærentis inflictio, si, vt tu ais, est, vti que iudiciaria est. Fit igitur secundum aliquam legem. Eam ergo, si potes, profer. Nulla certè deprehendi potest in vlllo loco scripturæ.

CAPVT IX.

*Responſio ad Argumenta, quæ pro primi peccati
actualis immediata omnibus hominibus
imputatione ducuntur è Nouo
Testamento.*

PVGNAS deinceps argumentis è Nouo Testamento petitis, nec aliundè quàm ex Rom. v. 12. & ſeqq. Reuera ſi quis eſt in tota ſcriptura locus, vnde primi peccati actualis imputatio immediata toti generi humano confici poſſit, hic profectò vnus eſt. Ea tamen non video quo pacto elici poſſit, poſitâ hâc hypotheſi manaſſe à primo peccato Adami in omnes homines per generationem carnalem vitium, quod verè peccatum eſt, damnando generi humano ſufficiens. Atque ita ſentio, aut argumentis ex eo capite ductis, aut huic hypotheſi, quam omnes proteſtantium Eccleſiæ conſtantiffimè hæctenus, tenuerunt, renunciandum eſſe. Quo autem conſilio à te ſit factum, nescio, quod cùm in Theſibus obuiam iuerim argumentis quæ ex Rom. v. ducuntur, & meas reſponſiones omnes tibi percurrendas ac reſellendas propoſueris, tu tamen eas ad caput vſque ix. tractatus tui relegaſti nulla prorfus earum mentione facta hoc loco, quo argumenta illa tractas, interpoſitis etiam inter eas & hanc tuam tractationem tribus capitibus, quibus meam ſententiam humanis testimonijs opprimere conaris. Si coniecturæ locus dandus eſt, ea

ratione animos lectorum occupare voluisti ac præmunire, ne mearum responsionum & rationum aculeis læderentur. In quo, si hoc tuum consilium fuit, videris mihi causæ tuæ diffidisse ac obfuisse. Veritas enim artem huiusmodi non desiderat, simplex, aperta, ingenua, candida, humilis etiam cum sit, generosum quid spirat, tibi (quæ omni re fortior est) & Deo veritatis fidens tum maximè lætatur & splendescit & fulget, cum suo contrario, ut ut fucato, comparatur. Id autem, siue isto siue alio consilio à te fit factum, nostram disputationem conturbat, & distrahit, & multa cogit repetere. Huc accedit quod hoc loco commentarium mihi videris scribere potius quàm syllogismos necere: nec habere ob oculos statum controversiæ benè constitutum & purgatum; confundis enim sæpè quæ maximè distingui debent, admisces etiam quædam quæ, ut in se vera sint, huc tamen non spectant, quale illud est quod obseruas, & aliquot exemplis probas, sæpè *unum* apud Hebræos pro *primo* sumi. Quominus enim hoc loco sic possit accipi obstat oppositio, quam Apostolus instituit inter vnum hominem & vnum hominem, illum Adamum hunc Christum. Item inter vnum *περὶ πρῶτου* & vnum *διὰ τῶνα* ut taceam scopum Apostoli flagitare, ut vnitas hoc loco opponatur pluralitati: sed non iuvat excurrere. Satius igitur ut ego quidem arbitror fuisset, quæ tu locis disclusa & disiuncta esse voluisti, ea vitandæ vel tardiosæ repetitionis, vel incommodæ distractionis causa, in hunc locum comportare, ac vno contextu sermonis coherentia simul oculis legentis subicere; sed quia tibi aliter visum est, tuæ methodo meam accommodabo, teque sequar *καὶ ἰσθὺς*, eaque ar-

gumenta expendam, quæ tu ex Rom. v. colligere potuisti meis Thesisibus in alium locum rejectis.

Ordiris à vers. 12. is sic habet, ὡσαυτὲρ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἢ ἀμάρτια εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν, καὶ διὰ τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμιθον. *Sicut per unum hominē peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, eo quod omnes peccarunt.* Sic habet locus: nunc eum excutiamus. Si quod in eo latet argumentum illius imputationis, id proculdubio vel ex verbis *peccatum in mundum introiit*, vel ex sequentibus *per peccatum mors*, vel ex his ἐφ' ᾧ, vel denique ex verbo ἥμιθον *peccarunt*, excidet.

Ex verbis illis, *peccatum in mundum introiit*, quascunque in partes te vertas, non elicies, nisi istud, Si per peccatum, quod in mundum introiit, intelligendum est peccatum primum actuale Adami, & non potuit peccatum actuale introire in omnes homines aliter quàm per imputationem, consequens est primum peccatum actuale Adami imputari omnibus hominibus. Atqui prius est verum; Ergo & posterius. Nego utrumque antecedentis membrum. Tu prius probas, nimirum, per peccatum quod in mundum introiit intelligendum esse primum peccatum actuale Adami, sed addis (quod tuam mentem obscurat) id peccatum *in nos transfusum originale dici*: Et mox, *peccatum originale in nobis ex illo esse*: Item, *Adamum in nos corruptionem genitura transfudisse, quam peccatum originale dicimus*. Et paulò post, hoc peccatum *ab ipso quidem Adamo commissum esse, sed culpa atque reatu per imputationem in nos trāsisse, Idcoque in ipso actuale & personale fuisse, sed in nobis originale dici*. Sic modò peccatum originale cum peccato actuale Adami

confundis. modò distinguis, & modò peccatum actuale Adami cum corruptione originaria commifces; modò ab ea feparas. Loquere, te rogo & quæfo, diftinctius & magis enucleatè: nihil enim adedò veritatis indagationi officit, ac vel ambiguitas orationis, vel ejus cui tecum res eft inconstantia & lubricitas fermonis. Si, quod nonnulli faciunt, duo credis peccata originalia, vnum imputatum, alterum nobis inhærens, cur nullo loco id dicis apertè? Si non nifi vnum credis, dic conftanter, aut cum Pighio id eſſe peccatum actuale Adami nobis omnibus imputatum, aut cum fidei confeſſione noſtrarum Eccleſiarum corruptionem hæreditariam, ſeu vitium inhærens: nec duo iſta permifce aut confunde, quæ ſecundum tuam ſententiam maximo interuallo inter ſe diſtant. Peccatum primum actuale Adami ante quinque millia annorum commiſſum præteriit, nec permanſit in rerum natura: vitium inhærens cum natura humana permanſit, eſtque & viget hodie. Illud vnicum eſt numero, hujus tot ſunt indiuidua quot homines. Illud fuit actio, hoc ſe habet ad modum habitus. Illud extra nos eſt, nec poſſibile eſt eſſe in nobis, hoc eſt intra nos in nobis hærens. Illud tu putas noſtrum eſſe, ſed imputatione duntaxat Dei, hoc verè noſtrum eſt, nobis penitus infixum, & inhærens: Illud vis eſſe culpam, hoc illius pœnam. Hac ambiguitate & confuſione ſublata, videamus quibus rationibus probes, Apoſtolum per peccatum quod in mundum introiit peccatum actuale Adami intelligere. quæ certè fuit ſententia Pighij, quam ipſe Bellarminus aliquot argumentis confutauit, ſed nolo te præjudiciis vrgere.

Vteris,

Vteris, quantum colligere possum, quatuor argumētis. 1. Per vnum hominem Apostolus intelligit primum hominem scilicet Adamum. Ergo per peccatum quod per vnum hominem introiit in Mundum intelligit primum peccatum actuale Adami. Nego sequi. Non enim Apostolus dicit Adami peccatum, sed per Adamum peccatum introiisse in Mundum. Adamum considerat vt huius peccati causam, Mundum, id est, homines vt subiectum: nec docere voluit, quis primus in Mundo peccauerit (nam Adamo prior Eua, & hac prior diabolus peccauit) sed in omnes homines per Adamum introductam esse corruptionem peccati. 2. Apostolus, agit de peccato quod Mundum infecit, & mortem inuexit. Hoc autem conuenit tantum peccato actuali Adami ex quo peccatum originale in nobis. Ergo Apostolus agit tantum de peccato actuali Adami. Distinguo peccatum quod Mundum infecit: nam infecisse dicitur vel formaliter, vel causaliter siue efficienter. Priori modo mundum infecit vitium & corruptio inhærens, posteriore peccatum actuale Adami. Loquitur autem Apostolus hoc versu de peccato quod infecit mundum priori modo: non enim ait peccatum infecisse mundum, sed *introiisse in mundum*. Peccatum actuale Adami mundum infecisse dicitur *causaliter*, quia causa est ejus peccati quod introiit in mundum. Peccatum verò quod introiit in mundum, cum sit intra mundum *formaliter* eum afficit & inficit in quo est. 3. *ἡ ἀρτία* cum articulo certum peccati indiuiduum designat, adeò quidem vt vix apud Paulum inuenias τὴν ἀρτίαν addito articulo aliud declarare, vt notant doctissimi interpretes. Ergo non designat corruptionem hæreditariam, quæ non est

vnum peccati indiuiduum, sed peccatum actuale Adami. Nego antecedens. Nullum interpretem me legere memini, qui nomen ἀμρτία cum præfixo articulo obseruet certum peccati iudiuiduum seu singulare quoddam peccatum vnum numero apud Paulum significare: contrà obseruant id fere vbique hæreditariam illam corruptionem, quæ in omnibus hominibus inest ab ortu, designare. Quarta denique tua ratio est petita ex alijs nominibus, quibus tu putas Apostolum hoc peccatum quod in mundum introiit insigniuisse. Quod in sequentibus versibus Apostolus vocat παραβασιν transgressionem, παραπτώμα lapsum seu deflectionem, παρακολω inobedientiam, illud est peccatum actuale Adami. Atqui hoc peccatum quod in mundum introiit, vocat Apostolus παραβασιν, παραπτώμα, & παρακολω. Ergo hoc peccatum, quod in mundum introiit, est peccatum actuale Adami. Respondeo distinguendum esse nomen παραπτώμα à duobus alijs: Illo enim Apostolus modò peccatum Adami, modò vitium ex peccato Adami in omnibus hominibus ortum designat: His solum peccatum Adami significat, non quidem actuale præcisum ab habituali, sed simul cum habituali. Itaque quantum ad hoc nomen παραπτώμα attinet, nego Maiorem: quantum verò ad alia duo, nego minorem. Deinde nego Apostolum vllò eorum trium nominum peccatum actuale Adami designasse præcisum à corruptione quam in Adamo peperit, cum tamen de peccato actuali ita præciso intelligenda sit hæc nostra controuersia. Vis enim peccato illo suo actuali Adamum meruisse cum sibi tum nobis illam corruptionem. Non ergò potes probare per ἀμρτίαν hoc loco peccatum actuale Adami

esse intelligendum. Factamen intelligi; negabo peccatum illud introiisse in mundum per imputationem; sed dici introiisse in mundum, quia suum venenum reliquit in Adamo, quod sine eiusmodi imputatione serpsit ab Adamo in Sethum, à Setho in Enosch, ab hoc in Kenanem, & ita paulatim à patre in filios manauit, donec ad nos perueniret propagatione & multiplicatione naturali.

Sustinui impetum tuum, vide an possis meum. Hinc enim mihi surgit argumentum tuam euertens sententiam. Dabis mihi profectò dogma illud de imputatione peccati actualis Adami toti generi humano, si verum est, si credendum est, doceri alicubi in Scriptura absolutissimâ fidei nostræ normâ. Dabis etiam; sicubi docetur, doceri in hoc loco, vbi Apostolus quicquid ab Adamo mali in humanum genus manauit explicat accuratè. Dabistandem quæcunque mala Adamus cum posteris suis communicauit, ea ab Apostolo reuocari ad hæc duo, *peccatum & mortem*. Videamus ergo quodnam peccatum intelligat. Tu vis esse peccatum actuale Adami imputatum omnibus hominibus ad duas pœnas, priuationem iustitiæ originalis seu vitium originale, & mortem. Ego dico esse vitium originale seu corruptionem hæreditariam in singulis hominibus in hærentem, non autem peccatum actuale Adami singulis hominibus immediatè imputatum. Tuam sententiam, quas attulisti, rationes non probant: ijs enim, vt vides, respondi. Ego meam sic probo. Si quod peccatum Apostolus docet Rom. v. fuisse ab Adamo cum omnibus hominibus communicatum, illud profectò est, quod per Adamum docet in mundum introiisse, & per id mortem.

ita vt mors in omnes homines pertransiuerit. Atqui peccatum illud, quod docet per Adamum in mundum introiisse, & per id mortem, est corruptio hæreditaria, non autem peccatum actuale Adami præcisè sumptum. Ergò si aliquod peccatum Apostolus docet, vti reuera docet, ab Adamo cum omnibus hominibus communicatum, illud profectò est corruptio hæreditaria, non autem peccatum actuale Adami. Maiorem non negabis: est enim manifesta. Certè peccatum per quod ait mortem introiisse in mundum, hoc est, vt ipse exponit, & tu post eum, *in omnes homines*, est illud cui proximè generis humani mortem & condemnationem ascribit. Minorem probo. Primam rationem mihi ministrat ipsum nomen peccati ἡ ἀρχαία sic enim (vt doctissimus Beza ad hunc versum notauit) *vocare solet Apostolus morbum illum hæreditarium: adeò quidem vt vix apud Paulum addito articulo aliud declaret.* Morbus autem hæreditarius non est peccatum actuale Adami, sed corruptio, & vitium ab illo ortum.

Cap.
VIII. §.
IX.

G A R. *Et si sapius peccatum originale, inhærens in visceribus hominum, nomine ἡ ἀρχαία designat Apostolus, non est tamen necessarium, vt ubicumque vocabulum illud usurpat, intelligatur id peccatum: quod facile agnoscer, qui Paulum legerit de peccato loquentem, Rom. vi. 2. 6. 23: 2. Cor. 13. 56: 2. Theff. 2. 3. Heb. XII. 4.*

P L A C. Hæc prima mea ratio non est mea, sed maximi viri, Beza, quem Vir doctus per latus meum ferit. Vide sis eius Annot. ad Rom. 5. 12. Per peccatum eo loco id intelligo, quod Calunus, Beza, Martyr, alijque eiusmodi primæ notæ Theologi, intellexerunt, à quibus eatenus, qui me innouatæ doctrinæ accusant, discedunt: quod ne pateret, mentionem Beza, eiusque verba, vnde neruus & robur argumenti pendebat, *adeò quidem vt vix apud Paulum addito articulo aliud de-*

claret, alto silentio Vir doctus præterit. Non enim ex eo argumentor, quod *sapius* eo nomine peccatum inhærens Apostolus designet, sed quod tam sæpe, ut vix vnquam aliud addito articulo declaret, hîc autem additur articulus. Quis verò nescit, vtitatissimam significationem anteponendam esse rarissimæ, nisi fortè grauis impediatur ratio, quæ hîc nulla apparet, aut à viro docto affertur. Imò quæ exempla affert, ea rationem nostram confirmant potius quàm euertunt: in eis enim locis peccati nomine inhærens vitium vel solum, vel cum fructibus suis intelligitur.

GAR. 2. *Cum imputatio primi peccati, & corruptio hæreditaria, sint ἀδικήματα, etiam hîc peccati nomine, ex vi consequentia, intelligi posse corruptionem illam, non inficiamur.*

PLAC. Si essent ἀδικήματα, quandiu manet corruptio, tandiu maneret imputatio: id quod cum omnium Theologorum sententia, quotquot non sunt Pelagiani, pugnat. Tollitur enim imputatio remissione peccati originalis, qua fit, non ut ne sit, sed ut ne imputetur amplius. Quod si peccati quod per vnum hominem introiit in mundum nomine corruptio hæreditaria intelligitur, quo argumento probabunt illi, qui nobis in hac causa aduersantur, peccatum actuale intelligi quod nostrum non sic factum nisi per imputationem? Nam intelligendum esse peccatum inhærens & nomen ἀμάρτια cum articulo, & maximorum theologorum autoritas, & confessio Adversariorum satis confirmant.

Secundam rationem mihi suppeditant verba sequentia, *εἰς ἃ κόσμον εἰσῆλθε* in mundum introiit. Per mundum autem omnes homines intelligi cum tu & fere omnes interpretes fateamini, nihil opus est probare. Sic igitur ratiocinor, Peccatum, quod per Adamum in omnes homines introiit, non est peccatum actuale Adami, sed corruptio hæreditaria. Atquæ Apostolus loquitur de peccato quod per Adamum in omnes homines introiit. Ergo loquitur non de peccato actuali Adami, sed de corruptione hæreditaria. Mi-

nor est liquida. Maior quomodo negari possit non video. Constat enim & conuenit inter nos per Adamum corruptionem hæreditariam quæ verè peccatum est in omnes homines ingressam esse : quoposito, quid est quamobrem de ea non accipiamus Apostoli verba ?

Cap. G A R. *Actuale peccatum Adæ in homines omnes non minùs transit quàm corruptio. Nimirum corruptio in hæfione, peccatum Adæ reatu & imputatione.*

VIII.
§ IX.
pa. 219.

P L A C. Itane non minùs in homines omnes transit, seu vt loquitur Apostolus, introiuit, quàm corruptio ? Estne igitur peccatum actuale Adami intra nos, non minùs quàm corruptio ? aut potestne intra nos esse, & tamen nobis non inesse, non inhærere ? Imputatio illa extra nos est, in Deo, diuque antequam essemus, facta : actuale quoque Adami peccatum desit esse aliquot annorum millibus antequam esse inciperemus, quò igitur dici potest in nos introiuisse, & quidem illa imputatione ? Deinde conuenit inter nos peccatum habituale per vnum hominem in omnes homines intrasse, idque ipsa experientia confirmat ; sed non conuenit peccatum actuale per vnum hominem in omnes homines intrasse ; hoc enim pernegamus, neque potest probari. Nostra igitur interpretatio negari non potest, cùm sit in confesso. Suam igitur qui nobis aduersantur, probent interpretationem necesse est, antequam admitti aut possit aut debeat. Denique cùm duo illi introeundi modi, quorum alter fingitur, alter est certus & confessus, prorsus sint diuersi, alterque alterius respectu, vel nullus vel figuratus sit, quò potest tam diuersa vnum introeundi verbum semel ysurpatum significare ?

G A R. *Cùm causam iustificationis, non sanctificationis hic tractet Apostolus, nihil mirum est, si ex primariâ suâ intentione, hic potius peccatum actuale Adami, quàm corruptionem illam inherentem spectare voluerit, cùm peccatum ab Adamo patratum, & reatus ex illo consequens, respondeat iustitia Christi, & iustificationi per eam nostra : corruptio verò interna, non illi Christi iustitia propriè, sed potius inherenti per Spiritum Sanctum in nobis sancti-*

tati responde at. *Quæ corruptio quanquam hic etiam propter illam quam diximus connexionem comprehendere potest, non tamen Apostolicum scopum directè respicit, sicuti sequentibus de illâ disertè agitur à Paulo.*

PLAC. Quid? Nonne corruptio est verè peccatum? Nonne ex illa consequitur reatus? Nonne omnes & singulos homines, ne parvulis quidem exceptis adhuc in utero matrum delitescens, æterna mortis reos coram Deo peragit? Nonne ab ea nos imprimis iustificari oportet? Mirum est qui nos innouatæ doctrinæ accusant, tam apertè à recepta ab omnibus Protestantibus doctrina discedere.

Deinde planum est peccatum actuale Adami, cùm actio fuerit singularis, &, vt tu ipse loqueris, *personalis*, quæ simul ac fuit præteriit, non potuisse in omnes homines ingredi. Neque potes respondere actionem illam singularem & numero vnicam tantò antequàm nasceremur admissam in omnes homines imputatione introiisse: quis enim vnquam fando audiuit hanc phrasim, *in aliquem introire*, significare, *alicui imputari*? Noli, quæso, vt tuam sententiam tuearis vim facere Dei verbo. Actio illa Adami nunquam intra nos fuit, sed neque eius imputatio, quæ si vlla esset, Dei actio esset intra Deum manēs, non intra nos. Si dixeris actionem illam Adami quæ peccatum eius actuale fuit, introiisse in nos dici, non quidem ratione sui, sed ratione pœnæ quam est nobis commiserita, videlicet corruptionis hæreditariæ, primùm rursus abutèris verbo introeundi: nam aliud est pœnam peccati aliud peccatum in aliquem intrare. Imputata sunt peccata nostra Christo vadi nostro, nemo tamen dixerit per nos peccata in Christum introiisse, quamuis eorum pœnam in se susceperit.

GAR. Resp. 1. *Eadem subtilitate ostendi posse, per illud peccatum, non esse intelligendum (quod tamen volunt qui his ratio-*

Cap.

v. II.

§ VIII.

nibus utuntur) corruptionem hereditariam, unicuique nostrum ab origine inhaerentem. Nam ea corruptio non potest dici intrare in nos: cum sit innata & ingenita, & penitissime insita à principio in naturâ nostrâ: illud autem intrare aliquo dicitur, quod foris eò delatum est, aut venit aliunde, & antea ibi non erat. Certe nemo nostrum prius fuit, quam fuit corruptus.

PLAC. Eadem quidem esset subtilitas, si posset argumentum meum æquè corruptioni ac peccato actuali accommodari: nunc verò cum hæc viri docti subtilitas in argumento à meo valdè diuerso sita sit, intelligere non possum, cur eadem subtilitas dicatur, aut quid argumentis meis noceat? Quamquam vim nullam habet. Quis enim non videt per illum peccati introitum non esse intelligendum introitum situm in motu locali qui proprius est corporum & substantiarum. Quis etiam, nisi sic Pelagianus, non intelligit peccatum intrasse in homines propagatione naturali simul ac gignimur, ac proinde in genitos non fuisse foris delatum? nempe dicitur in nos intrasse, quia reuera intra nos est, nec tamen est à creatione, aut ab ipsa humana naturâ, sed aliunde, à tentatione serpentis & peccato primi hominis actuali. Itaque reuera per vnum hominem vitium illud in naturam humanam vbi antea non erat, nec esse debebat, intravit, & vna cum natura in nos omnes, id quod de peccato actuali dici non potest. Quod igitur innatum est, id si non est à natura, quominus per parentes in liberos introiisse dicatur, nihil potest prohibere. Sic potest dici per parentem in liberos lepra aut podagra intrasse, quamuis lepra insit liberis ab ortu. Non quidem prius tempore, at prius tamen naturâ fuimus quàm corrupti fuimus. Non potest enim corruptio naturæ non esse posterior ipsa natura. Cæterum si prius non fuimus quàm corrupti fuimus, & corruptio sequitur imputationem, prius fuimus peccatores quàm fuimus, & peccatum imputatum est non existentibus, & falsum est axioma, *Non entis nulla sunt accidentia.*

GAR. 2. Non est absurdum si dicatur peccatum, aut actio singularis Ade introiisse, quàm si dicatur Christi iustitia intrasse. At ita loquitur Clar. Amyr. in paraphasi huius versûs, per vnum hominem qui Iesus Christus est, vera iustitia introducta est in mundum.

mundum, quod de iustitiâ imputata, non minùs quàm de inherente dicitur. Quibus non displicet si dicatur iustitia imputata introduci vel intrare, quidni placeat, si dicatur etiam, peccatum imputatum introire?

PLAC. Dixitne Clar. Amyr. iustitiam quæ Christo inhæsit, per eum vnum in homines intrasse? Non certè: Attamen id ab eo dici oportuit, vt posset eius locutione expositio viri docti defendi. Nempe iustitiæ nomine, quæ per vnum hominem in mundum introducta est, aut vehementer fallor, aut cum Caluino remissionem peccatorum intellexit, eamque introductam voluit non in omnes homines, aut in omnes credentes solâ imputatione, sed impetratam à Christo & donatam à Patre & prædicatione Euangelij oblatam omnibus & fide acceptam à credentibus, in quibus constans permanet. id quod de actuali Adæ peccato dici similiter non potest.

Comm:
in Rom:
4. 6.

GAR. 3. εἰσελθεῖν sine introduci dicitur sapius, quod tum demum esse incipit, vt apud Græcos εἰσελθεῖν δίκην intrare in iudicium, est incipere litem, Et Christus dicitur intrasse, & introductus fuisse in mundum, cum in mundo incepit esse secundum humanitatem suam. Act. 1. 21. Heb. 1. 6. Ergo & cum peccatum incepit esse primum in genere humano, quod fuit per primorum parentum inobedientiam, meritò dicitur in mundum intrasse.

PLAC. More eorum qui submerguntur, obuuium quoddamque arripit vir doctus: sed frustra. Significet enim phrasid εἰσελθεῖν δίκην apud Græcos incipere litem, num sequitur, idem verbum cum quouis alio nomine constructum pro incipere vsurpari? Num ex. g. εἰσελθεῖν εἰς τὸ οἶκον, vel εἰς τὴν πόλιν, erit incipere domum vel urbem, aut ita incipere esse in domo vel vrbe, vt antea non fueris? Perperam laudatur locus Act. 1. 21. nam ingredi & egredi Hebraismus est, neque natiuitatem neque mortem significans, sed conuersationem, & vel publicorum vel priuatorum officiorum functiones. vide Bez. Ann. in illum locum. Alter quoque Heb. 1. 6. virum doctum refellit: intelligendus enim non est de natiuitate Christi, sed de secundo eius gloriosissimo aduentu, ut patet ex verbis Apostoli, & toto ps. 97. unde sunt desumpta. Cæterum hanc viri docti responsionem refutauit Bellarminus multis rationibus lib. 4. de

amiss, Grat. cap. 3. & post eum Chamerus, sed breuius, lib. 1. de hom. corrupt. cap. 5. §. 9.

G A R. 4. *Quid est εἰσελθεῖν εἰς κόσμον, nisi εἰσελθεῖν εἰς κόσμον, venire in mundum? Quidni ergo dixerim peccata nostra in Christum εἰσελθεῖν, cum Scriptura dicat, ea venisse in Christum. Dominus fecit venire, vel incurere in eum iniquitates omnium nostrum. Esai. LIII. 6. Et similiter, peccatum Ada in nos εἰσελθεῖν, in nos venisse, quia eius reatum sustinemus, id est, quia illud imputatum nobis est? Itaque quanquam introire simpliciter positum, non sit idem quod imputare, tamen peccatum introire, vel venire in aliquem, si res aut locus, ubi phrasis habetur, ita exigit, potest idem esse quod peccatum illud ipsi imputari.*

P L A C. Non potuit diligentius Pighij expositio defendi, quam fit à viro docto hoc quidem in loco: nullum enim lapidem non mouet vt extorqueat è manibus orthodoxorum argumentum, quod soliti sunt aduersus Pelagium & Pighium ex verbis Apostoli ducere, *per unum hominem peccatum introiit in mundum.* Sed frustra laborat. Expurgari veritas non potest. Quid est, quare sibi dari Vir doctus postulet, compositum εἰσελθεῖν, nihil significatione differre à simplici εἰσελθεῖν? Aut quis ferat dicentem peccata nostra introisse in Christum, aut per nos peccatum intrasse in Christum? Nonne talem locutionem pia refugit conscientia? Locus Esai. LIII. 6. ad rem non est, tum quia non est idem verbum: *ὑπάγει* enim non est fecit ingredi seu introire, sed fecit occurrere, vel incurere; tum quia iniquitas eo loco non ipsum peccatum, sed pœnam peccati significat. Occurrit enim Christo, incurrit, irruit in eum, & si ita vis, intravit in eum non peccatum, sed sola peccati pœna. Hic autem peccatum à peccati pœna distinguitur: sequitur enim, & *per peccatum mors.* Itaque probari non potest idem esse posse, peccatum in aliquem ingredi, & peccatum alicui imputari. Quod si peccatum, quatenus à pœna distinguitur, ingressum est in Christum, quid est cur Christus non potuerit dici peccator? Si hoc est absurdum, illud quoque absurdum esse eonstituendum est. Sed, vt omnis expugnetur pertinacia, loco *introiit* pone *imputatum est*, vide quam bellè procedet Apostoli oratio, per unum hominem peccatum imputa-

sum est mundo, & per peccatum mors. Num imputata est mors? num imputata est per peccatum? num peccatum est imputatum per Adamum? Nonne ridiculum, quantum in ipsis est, qui sic contra me disputant, faciunt Apostolum?

GAR. 5. *Ita quanquam singularis actio, ratione substantiæ suæ non potest dici introire in alium, tamen ratione reatus introire rectè dicitur, quatenus propter actionem illam alius reus habetur, adeoque pœnis subiaceret.*

PLAC. Atqui 1. aliud est actio, aliud reatus. Illa est actio, hæc relatio, illa transit, hoc manente. Num igitur si reatus rectè dicitur introire, rectè etiam dicitur introire actio? Num quicquid dicitur de reatu, dici etiam potest de actione? Num actio est relatio? num manet postquam actio transit? num sequitur actionem? 2. Aliud est propter actionem reum haberi, aliud reatum actionis introire in aliquem: illud externam tantum denominationem significat, hoc aliquid importat amplius. Imò ipse reatus, cum sit relatio, introire dici non potest, nisi aut ratione fundamenti, hoc est, peccati siue sit actio, siue habitus, aut termini, hoc est, pœnæ, tantum abest ut ratione reatus actio dici possit in alium introire.

GAR. 6. *Denique imputatio peccati, est illa quidem actio Dei, à Deo tanquam iudice profecta, sed in homines tendens, tanquam in terminum, & eo respectu in hominem intrans aut veniens, propter effectus quos in ipso producit, id est, propter pœnas quibus eum afficit. Sic maledictio est actio Dei Gen xii. 3. Malach. 2. 2. Et tamen intrare dicitur in homines aliquos Psal. cix. 18. Maledictio ingredietur, velut aqua, intra eum, & velut oleum in ossa eius. Quod autem imputatio peccati sit actio Dei intra Deum manens Theologi vix concedant, qui cum Dei actiones distinguere soleant in immanentes & transeuntes; immanentes eas vocant, quæ in ipso Deo terminantur, ut intellectionem, & volitionem, quæ seipsum intelligit & diligit: transeuntes, quæ terminantur in creaturas, quales sunt actiones diuine providentiæ. Sed hæc alijs disceptanda relinquo.*

PLAC. Quis unquam negavit Dei actiones alias esse immanentes, alias transeuntes; illas in Deo, has in creaturis esse? Et quis nescit in hoc posteriore genere ponendam esse

maledictionem quæ est actio Dei? Quamquam per maledictionem ps. cix. 18. non significatur actio, sed effectum potius Dei irati, nempe miseria, infortunium, malum pœnæ. Vult Propheta huiusmodi hominem omnibus malis corporalibus & spiritualibus omni ex parte indui & penetrari. Itaque præcessit, *optavit ut maledictio obueniret ei, & sequitur, Hoc esto premium aduersantium mihi &c.* Quid autem hoc ad rem, qua de agimus, facit? Queritur quo sensu dixerit Apostolus per vnum hominem peccatum introiisse in mundum, id est, in homines? Dicis per *peccatum* intelligendam esse actionem Adami. Quæro, quomodo actio Adami, quæ diu antequam vlli alij homines essent, fuerat præterita ac esse desierat, dici potuit in omnes homines introiuisse? Dicis introiuisse *imputatione*. Repono, imputationem illam non esse actionem vnus illius hominis, sed solius Dei. Non igitur per vnum hominem, sed per Deum peccatum introiuisse in omnes homines: quo nihil dici potest absurdus. Repono etiam, non fieri imputatione illa ut peccatum actuale, seu actio illa præterita Adami, unquam intra nos fuerit, aut esse possit. Repono denique imputationem, aut esse actionem mentis seu iudicij diuini reputantis nos esse reos actionis illius Adamicæ, aut illius diuini iudicij declarationem latâ sententiâ sermone externo, aut pœnæ inflictionem. Si primum eligis, actio est Dei immanens: non enim alibi est aut esse potest quàm in Deo, in Dei mente. Vocant quidem nonnulli Theologi actiones diuinæ mentis & voluntatis, actiones ad extra, quia habent pro obiecto creaturas, sed non vocant actiones transeuntes, nec negant esse actiones immanentes, ut facit hoc loco Vir doctus, admodum inconsideratè. Si secundum, vbi & quando facta est illa declaratio, & num extra nos, an intra nos? Si tertium, repugnat Apostolus qui peccatum hoc loco distinguit à pœna peccati quam mortem vocat. Inflictione pœnæ, hoc est, mortis intrat quidem mors seu pœna, sed non intrat peccatum. Alius est in verbis Apostoli introitus peccati, alius introitus mortis, ille causa est huius.

Deinde, si peccatum actuale Adami non intrauit in mundum, nisi ratione corruptionis hæreditariæ,

fatendum est hoc attributum *intrasse in mundum*, seu homines, conuenire per se & propriè & proximè corruptioni hæreditariæ, remotè tantùm, & illius corruptionis ratione, peccato actuali Adami. Si igitur corruptio illa est verè & propriè peccatum, etiam post baptismum, vt nostri aduersus Pontificios tuentur, nonne manifestum est, peccatum quod in mundum intrauit, eius potius descriptionem esse quàm peccati actualis Adami? Huc accedit quod Apostolus ait per hoc peccatum mortem introiisse in mundum. Introitus in mundum commune est peccati & mortis attributum. Vtrumque in mundum introiit, sed peccatum per se, mors per peccatum. Mors autem introiit reapse, non imputatione, & mors quæ introiit in mundum non est mors vnius Adami, sed totuplex quot sunt homines. Cùm ergo constet esse peccatum, nempe corruptionem hæreditariam, quod eodem prorsus modo introierit in mundum, quid est, cur id hoc loco non intelligamus potius, quàm id quod neque introitu in mundum, neque numero mortis correspondeat? Denique si per *peccatum quod in mundum introijt*, peccatum actuale Adami intelligitur, necesse est, vt Apostolus, vel prorsus omiserit corruptionem inhærentem, vel eam mortis nomine comprehenderit. Hoc vtrumque est falsum; Ergo & illud. Nam, si dixeris eum corruptionem hæreditariam prætermisisse, sequentur duo: Vnum, eam ex hac tota collatione, quam inter primum & secundum Adamum Apostolus instituit, colligi non posse. Non enim alia mala ex Adamo in genus humanum manasse sequentibus versibus docet, quàm quæ hoc *ψ. 12.* nominauit. Id autem Pighij causam valdè iuuabit,

& quamuis alia extent in sacris literis loca, ex quibus effici possit, nos nasci corruptos peccato, tamen ferè alius nullus est, qui eam corruptionem doceat ab ipso Adamo profectam in omnes homines inuasisse. Alterum, aut eam corruptionem nullam esse, aut Apostolum aberrasse à suo scopo. Si prius, vicerunt Pelagiani, estque adhuc in integro liberum arbitrium. Posterius patet. Scopus enim Apostoli est docere quæ mala à primo Adamo, quæ contrà bona à secundo Adamo in genus humanum fluxerint, vt intelligamus mirum non esse, cum vnus homo ad nos perdendos tam potens fuerit, vnum hominem, Iesum Christum, nos posse seruare. Itaque bona ab hoc in nos profecta malis ab illo profectis accuratè comparat. Quis igitur credat eum voluisse id malum silentio præterire, quod constat & ex Adamo in nos deriuari, & causam omnium nostrorum peccatorum esse? Si verò dixeris, Apostolum mortis nomine corruptionem illam hæreditariam, quæ peccatum est, comprehendisse, primùm discedes ab omnium (quos viderim) interpretum consensu. Deinde causam Pelagianorum aduersus Augustinum iuabis, *mortis* nomen de morte animæ accipientium. Tum Apostolum induces cōtrà suum morem nomine mortis absolutè posito, & sine vlla additione, eiusmodi corruptionem significantem, vnumque & idem nomen semel positum, semel intelligendum, simul propriè & figuratè accipientem. Præterea, quis credat mortem cum à peccato distinguitur, vt fit hoc loco, peccatum significare? Adde quod Apostolus probat hoc loco omnes homines esse peccatores, *peccatum esse in mundo*. id est in hominibus, hoc argumento, quia

De peccat. merit. & remiss. ad marcell. lib. 1. cap. 8. & 9.

omnes moriuntur Putasne probare eum peccatum esse in hominibus, quia sit in hominibus peccatum, nimirum corruptio hæreditaria? Num à latente corruptione morali, quæ ipsa erat probanda, ducit argumentum, cum suppeteret à patente & nota omnium morte? Certè condemnatio & mors sunt apud Apostolum hoc capite *ἀντίσπερα*. Condemnamur ad mortem, non ad peccatum. Mors non est condemnationis causa, sed effectum. Contrà peccatum (est autem corruptio hæreditaria, vt iam sæpius dixi, peccatum) condemnationis causa, non effectum. Denique, vt ne sim æquo polior, cum ait Apostolus vers. 21. regnasse peccatum in mortem, sitne verissimile alio modo accipi mortem, quàm in antecedenti disputatione Apostoli, cuius versus ille conclusio est? At profectò eo versu id significare non potest, quod sit verè peccatum. Præcessit enim illud vers. 20. *lex præterea introijt, vt peccatum abundaret. vbi autem peccatum abundauit, ibi gratia superabundauit.* Illud enim peccati regnum, hæc peccati redundantia id omne in homine complectitur, quod verè peccatum sit, & liquet ex Rom. vi. & vii. id peccatum, quod per legem redundauit & regnauit, esse concupiscentiam, siue corruptionem hæreditariam,

Putabis fortasse te horum argumentorum aciem declinare posse, dicendo, per peccatum *τὴν ἀμάρτιαν* intelligi vtrumque & peccatum actuale Adami, & natum ex eo vitium originale; sed id tibi non licet per statum quæstionis, quæ inter nos versatur. Est enim instituta de peccato actuali Adami præciso à vitio hæreditario. Vis enim primum peccatum actuale Adami & nobis fuisse imputatum, & quia imputatum,

infiictam Adamo & nobis hanc poenam, nimirum vitium seu corruptionem originalem. Itaque secundum tuam sententiam corruptio ista cum peccato actuali Adami non cohæret, nisi diuinæ imputationis interuentu. Quare imputatio naturæ ordine corruptionem antecedit. Est igitur peccati actualis Adami præcisi à corruptione hæreditaria imputatio tibi probanda, non autem cum ea coniuncti ac confusi. Id quod mihi alia suggerit argumenta, sed, vitanda hoc loco nimix prolixitatis causâ, conferenda in alium locum. Adde quod iam probavi peccatum actuale non introiisse in mundum, hoc est, in homines: vnde sequitur hoc attributum *in mundum introiit* sibi iungere peccatum, non quâ significat peccatum, actuale, sed quâ significat vitium ex eo meâ sententiâ immediatè, tuâ verò mediante Dei imputatione ortum. Sic opinor meum argumentum firmaui satis.

Vides prima verba Apostoli, quæ sequentium sunt fundamentum & materia, mihi, non tibi, fauere. Excutiamus nunc sequentia. Nullum tibi, opinor, argumentum cadet ex his verbis, *per peccatum mors*: saltem nullius vestigium deprehendo in tuo tractatu. Quid si ego inde aliquid eliciam sententiæ tuæ aduersum. Dabisne mihi per mortem hoc loco intelligendâ esse eam mortem, quam lex Adamo fuerat comminata, poenam scilicet, & stipendium peccati? non video quo iure id negare possis, præsertim cum sentias eam legem ad totum genus humanum spectare, & Adamum, prout Deus minatus fuerat, mortuum esse. Dabis saltem mortem hoc loco significare poenam peccati, quod in mundum introiit: tu autem vis illud peccatum esse peccatum actuale Adami, & illius poenam

esse non tantum mortem corporis & æternam, sed imprimis mortem spiritualem animæ, positam in priuatione iustitiæ originalis, & corruptione hæreditaria: Ex quo sequitur istam corruptionem nomine mortis hoc loco contineri. Atqui iam probaui non contineri. Quod si Apostolus mortis nomine quicquid pœnæ per Adamum in posteros deriuatum est significauit, nec tamen eo nomine corruptionem hæreditariam seu vitium complexus est, vt iam probaui, vides quid sequatur, nempe vitium illud hæreditarium non esse in numero pœnarum quas Adamus mundo intulit, ac proinde peccatum eius actuale non esse mundo imputatum ad illam pœnam, videlicet vitium hæreditarium.

Veniamus ad sequentes voces ἐφ' ᾧ πάντες ἥμῶν. Hic magnum scilicet causæ tuæ putas te reperisse præsidium. In verbis ἐφ' ᾧ consistis paulisper, mox ijs desertis ad verbum ἥμῶν te confers. nempe tu versionē, quā vtuntur Ecclesiæ nostræ, noluiti prorsus reijcere, quamuis satis apertè præ te feras, eam tibi non probari. Itaque, inquis, *stabilietur & maneat versio nostra gallica, quæ est Iohannis Caluini, eo quod, vel quando omnes peccauerunt.* Aduersus eam tamen nonnulla obijcis hoc cap. & cap. ix. quæ cum ad illud caput peruenero, Deo bene iuuante, ad examen reuocabo, & quamuis mea fere nihil intersit quomodo ἐφ' ᾧ reddatur, *eo quod*, siue *in quo*, tamen ostendam vertendum esse *eo quod*, ac tuebor uersionem, quam Ecclesiæ nostræ probant. Interim tu vis explicari hæc verba *eo quod* vel *in quo* omnes peccauerunt ex prima parte versiculi. At tibi iam primam illam partem extorsi. Si ergo peccasse omnes dicuntur eo peccato quod in mundum

introiit. Id autem peccatum non probasti esse peccatum actuale Adami, ego verò probaui esse vitium inherens, quid superest, nisi vt illud *peccauerunt* interpretemur cum Caluino de vitio nobis singulis innato & insito? *Istād peccare*, inquit, *est corruptos esse & vitiatos*. Gallicè *εμπατιστορῶς*, *Or ce peché, duquel il parlez, ne signifie autre chose, sinon que nous sommes tous corrompus*: illa enim naturalis prauitas quam é matris utero afferimus, tametsi non ita citò fructus suos edit, peccatum tamen est coram Domino, & eius ultionem meretur. Et paulò pòst, *peccauimus igitur omnes, quia naturali corruptione omnes imbuti sumus: ideoque iniqui ac peruersi*,

Id tamen negas tibi *satisfacere*: non enim, inquis, dicit *Apostolus quoniam peccatum est in omnibus* (immò hoc dicit versu sequente) *sed, quoniam omnes peccauerunt* *ἐφ' ᾧ πάντες ἠμῶσιν*, & utitur verbo actiuo, vt significet peccatum actuale, cuius omnes sint participes. In peccato autem originali non peccauimus actu, nisi quatenus in Adamo peccauimus: nam cum peccauit, pro omnibus suis posteris peccauit, & omnes homines, qui ex illo nati sunt, in illo peccauerunt; quia in illo omnes fuerunt. Vis probandi, si qua est, in tuis istis verbis, in hoc consistit, quòd verbum *ἠμῶσιν peccauerunt*, actiuum cum sit, significat peccatum actuale. Reliqua petitiones sunt τῆ ἐν ἀρχῆ. Atqui verbum illud actiuum, si significat peccatum actuale, profectò peccatum actuale significat ab eo ipso commissum qui peccauit. Profer, si potes, contrarium exemplum. Vide igitur ne hæc tua obseruatio Pelagio faueat. Deinde te non fugit peccatum actuale ab originali omnes Theologos distinguere. Si ergo hoc verbum *peccauerunt* actuale peccatum significat: igitur non significat originale; quod tu ipse ab actua-

li hoc loco discernis. Non ergo loquitur Apostolus de peccato originali hoc loco. Sic nobis, quantum in te est, extorques arma, quibus ex hoc loco Pelagium, Pighium, & Socinum conficiamus.

Sed iuuat te alia via aggredi, quamuis enim nunc quidem meæ sint partes respondere, tuæ argumentari, tamen mihi temperare non possum, quin argumenta, quibus mea causa abundat, vbique disseminem. Dic mihi igitur, quæso, quomodo omnes homines intelligas peccasse peccato actuali Adami? Inculcas passim peccatum illud actuale nostrum esse non posse, nisi per imputationem. Si nostrum non est nisi imputatione, utique eo non peccauimus nisi imputatione. Quid erit igitur illud *omnes peccauerunt*? omnibus peccatum actuale imputatum est? Atqui aliud est aliquem peccare, aliud alicui peccatum imputari.

G A R. Respondeo 1. Aliud est si dicas simpliciter aliquem peccare, aliud si, aliquem in alio peccauisse. Nam illud sanè prius, ex vi vocis non significat imputationem peccati, sed hoc posterius designat imputationem. Quomodo enim qui multis post sæculis extiterunt, dici possunt iam antè in alio peccasse, nisi quia ille eum actum exercuit, qui posteriorum ita reputatur, ac si ipsi illum commisissent? Sic satisfacere aliquem, & alicui satisfactionem imputari, sunt sanè longè diuersa, & tamen cum docent Theologi nos in Christo satisfacisse, non aliud sibi volunt, quam Christi satisfactionem nobis imputari, siue Christum eam satisfactionem exhibuisse, quæ propter unionem, quam cum eo habemus tanquam capite nostro spiritali & mystico, nobis imputetur, ita ut apud Deum habeamur, quasi ipsi per nos satisfacissemus.

Cap.
viii.
§. xxii.

P L A C. Primum, non dicit Scriptura nos in Adamo peccasse. Deinde, non video cur illa locutio vi sua significet imputationem, quæ peccatum alienum, nempe Adami fiat aut factuar sit nostrum. Dicimur enim mori in Adamo, nec tamen

mors Adami nobis imputatur, dici possumus in Adamo creati fuisse, creati fuisse iusti & beati, eiekti fuisse è paradiso &c, nec tamen eius creatio, aut iustitia originalis, aut eiektio è paradiso nobis imputatur. Potuimus ergo dici in eo peccasse, quomodo dici possumus in eo fuisse, quia ille quàm naturam tam peccatum suum nobiscum communicavit propagatione naturali. Ad satisfacti onem Christi quod attinet, cùm dicimur in Christo satisfecisse, nihil aliud intelligi mihi videtur, nisi Christum loco nostro pro nobis satisfecisse: num igitur similiter Adamus loco nostro pro nobis peccavit? Tenebamur pro se quisque satisfacere. Id erat nobis impossibile. Christus, qui non tenebatur, vadem nostrum sese constituit, & pro nobis satisfecit. Potestne idem de nobis & Adamo dici? Tenebamur ne peccare? num sese Adamus vadem nostrum constituit, vt pro nobis peccaret? Peto etiam, quando in Christo satisfecimus? opinor quando passus est. Num igitur tunc nobis imputata est Christi satisfactio? Tunc igitur fuimus iustificati, nondum existentes, nondum credentes. Non ergo per fidem sumus iustificati, quando quidem iustificatio nostra tanto nostram & existentiam & fidem antecessit. Adde quod vnionem cum Christo tanquam capite nostro spiritali & mystico non habemus nisi per fidem, sequitur ergo fidem nostram imputatio satisfacti onis Christi seu iustificatio nostra. Quid est cur non dicamus similiter nos vnionem non habere cum Adamo tanquam capite peccatorum, nisi per vitium hæreditarium, quo suum nobiscum peccatum communicavit. Itaque posteriorem esse eo vitio peccati Adamici imputationem.

G A R. 2. *Neque ignotum est in Scripturis peccandi verbo aliquando significari reatum ex peccato consequentem, secundum illam loquendi rationem, quâ ponitur antecedens pro consequente. Vt cùm Iudas secum Beniaminem in Egyptum abdukturus, patrem Iacobum ita alloquitur, Genes. XLII. 9. Ego spondeo pro eo, de manu mea reposcito eum: Si non reduxero eum ad te, & stitero eum coram te, omnino peccauero tibi omibus diebus, id est, sim tibi reus, & à te habeat pro scelerato. Sic Bersabea ad Dauidem 1. Regum 1. 21. cùm occubuerit Dominus meus Rex cum patribus suis, ego & filius meus*

Schelonio erimus peccatores; *id est, agetur nobiscum tanquam fontibus & reis, ut exponunt interpretes, & obseruat Clarissimus Heinsius Exercit. in Ioh. ix. 2. &c. Quid igitur in eo noui erit, si eandem metalepsim Hebrais familiarem hic usurpari doceamus, ut dicamur in Adamo peccare, id est, pro reis haberi, non minùs quàm si, Adamo peccante, nos ipsi peccauissemus?*

PLAC. Cùm hæc rei ponsio Pighiana sit, ac nostris olim obiecta, eam, me tacente, refellat Martyr, Comm. in Rom. 5. 9. & locor. Comm. Class. 2. cap. 1. §. 8. *Postremò, inquit, habemus à Paulo, per inobedientiam vnius hominis, multos constitutos esse peccatores; quod indicat, in illis qui nascuntur ex Adamo esse vitium, propter quod peccatores dici possint. Sed hoc Pighius putat se posse eludere, quod peccatores interdum dicantur propter reatum quamuis actio peccandi præterierit, neque amplius extet. Quamuis hoc ita sit, nunquam tamen ostendere potest è Scripturis, quemquam peccatorem appellari, quin aut in seipso vitium habeat aut certè antè admiserit: nisi dicere velit, Deum homines reos facere, absque ipsorum aliquo peccato. Sed de hac re plura ad X. 19. Fateor igitur, qui puniuntur aut calamitate opprimuntur, peccatores dici, sed non apud Deum, nisi peccatum ipsi aut commiserint, aut in se habuerint: Et verò manifestum est Apostolum in eo esse hoc loco, ut doceat verè peccatum esse in omnes homines propagatum, non autem aliquid quod non sit peccatum, sed peccati tantùm consequens. Si peccati nomen non accipitur propriè hoc loco, sed figuratè, eâ figurâ, quâ ponitur *antecedens pro consequente*, quomodo ex hoc loco argumentantur aduersus Pelagium & Pighium Orthodoxi? Et, si accipitur propriè, quomodo simul accipitur figuratè?*

Imputant nonnunquam homines vel ignari, vel iniusti, alijs hominibus peccata, qui non peccarunt, & qui peccarunt his nonnunquam Deus peccata non imputat: Et, si cui Deus peccatum imputat, imputat quia peccauit, non facit imputando vt peccauerit. Ordine naturæ priùs peccatur, quàm peccatum imputatur.

GAR. *Resp. I. Deus nemini peccatum imputat, quin ille*

peccauerit vel in se, vel in alio, id est, quin vel in se peccatum commiserit, vel alius, quicum arctè coniunctus est; sicut Saulis peccatum filijs eius imputauit, non quia ipsi commississent, sed quia pater eorum commiserat. Et sicut Deus testatur in lege, de peccata patrum visitare in filijs. 2. Deus imputando peccatum alicui, non facit ut peccauerit, sed supponit eum peccauisse, siue in se, siue in alio. Est enim imputatio peccati, actus Dei indicialis, quo declarat aliquem esse reum & dignum pœna ob peccatum, ut ab initio dictum. 3. Peccatur prius ab aliquo, quàm peccatum imputetur; sed non est necessarium, ut ab eo ipso cui peccatum imputatur, prius actus peccatum fuerit; sed necessarium est, ut aliquam habeat coniunctionem cum eo qui peccauit, & cuius peccatum ei imputatur sicut antea docuit Clar. Amyraldus.

PLAC. Idem sonare mihi videntur tres istæ Viri docti responsiones, simul igitur omnes refellam. Principiò distinguenda est coniunctio cum peccatore: alia enim est coniunctio cum peccatore quatenus est peccator, alia cum peccatore quatenus est homo à quo ducimus originem. Vacare peccato non potest qui cum peccatore coniunctus est quatenus est peccator: particeps enim est eiusdem peccati, vel consensione, vel propagatione, vel imitatione &c. At coniunctio cum alio, quatenus homo est à quo ducimus originem, sola non sufficit, ut peccatum ab alio commissum imputetur; alioqui omnia Adami, omniaque parentum nostrorum peccata, nobis posset iure imputari, quod, opinor, nemo dixerit: nulla tamen alia coniunctio nos inter & Adamum, ante communicatam ab eo corruptionem hæreditariam esse potuit. Nec iuuat Virum doctum exemplum Saulis: Nam eius filij, cum in se peccatores erant ac digni ob propria peccata illis pœnis quas perpeffi sunt tum peccati illius paterni participes, ut patet ex verbis ipsius Dei 2. Sam. 21. *V. 1. Propter Saulum, & domum eius sanguinariam, eò quòd interfecit Gibeonitas.* Non igitur solus Saul erat sanguinarius, sed eius domus seu familia. Sic Deus peccata patrum visitat in filijs, nempe cum peccata patrum sunt in filijs, Non enim vbi non sunt, sed vbi sunt visitantur peccata. Sic olim visitauit in decem tribubus peccatum Ieroboami cuius erant participes & rei, 1. Reg. 14. 16. Deinde non videtur

Vir doctus sibi satis constare. Dixerat enim paragrapho præcedente *aliquem in alio peccare ex vi vocis designare imputationem*, idemque esse in alio peccare ac peccatum aliùs imputari, Nunc vult esse diuersa; & prius esse peccare in alio, quàm peccatum aliùs imputari, hocque tanquam posterius, illud supponere, tanquam prius & causam. Deinde passim inculcat peccatum Adami nostrum non esse nisi imputatione: vnde sequitur, nos in Adamo non peccasse nisi imputatione. Attamen nunc vult peccatum Adami nobis imputari, quia nos in Adamo peccauimus. Quomodo autem in Adamo peccauimus, si peccatum Adami nostrum non fuit? Vt igitur priùs in Adamo peccauimus, quàm eius peccatum nobis fuit imputatum, sic priùs nostrum fuit Adami peccatum, quàm nobis imputaretur. Quomodo ergo passim inculcat nostrum non esse, nisi per imputationem? Denique *Deus*, inquit, *imputando peccatum alicui non facit vt peccauerit*. Non facit igitur Deus imputando posteros Adami esse peccatores. Nam peccator non est qui non peccauit. Quomodo ergo dicit Vir doctus peccatum Actuale Adami *propagari imputatione*, nos inobedientia Adami constitui peccatores *imputatione*? Vno verbo, si peccatores sumus antequam Deus nobis imputet peccatum Adami, peccatum Adami non introiit in mundum imputatione, sed imputatio introitum illum sequitur, id quod mihi erat probandum.

Deinde tu vis omnes peccasse in Adamo. Dabis autem fuisse in Adamo quomodo in Adamo peccauerunt: priùs enim est esse quàm agere vel peccare. Fuimusne ergo in Adamo imputatione *scilicet* esse eius? negabis proculdubiò, cur ergo vis nos in eo peccasse imputatione *scilicet* peccare ipsius?

Dices fortasse istud peccare non significare peccatum imputari. Hinc inferam, igitur peccasse omnes peccato actuali, non quia ipsis imputetur, sed alio modo, quem mihi à te explicari cupio, qui toties negas peccatum actuale Adami nostrum esse alio modo quàm per imputationem. Sed præterea quaro,

Quando peccauimus in Adamo eius peccato actuali ? an cùm illud peccauit , an alio tempore ? haud dubiè cùm illud commisit in paradiso ; nullum aliud tempus assignare potes. Audi quid inde sequatur. Qui peccarunt ita vt iustam condemnationem mortis æternæ sibi commeriti sint , illi verè & propriè peccarunt. Qui autem verè & propriè peccarunt , illi tunc cùm peccauerunt verè & propriè fuerunt. Qui ergo hodie incipit esse & nascitur infans , ille verè & propriè loquendo fuit iam tum , cùm Adamus esset in paradiso , ante aliquot annorum millia : quippe , qui tum verè & propriè peccauit. Itaque quod de se dixit Christus Ioh. 8. 18. *Antequam Abraham nasceretur ego sum* , nemo fuerit nostrum , qui idem dicere de semetipso non possit.

Cap. VII. §. XXIV. GAR. *Resp. I. Ex verbis Domini & Dei nostri scommata neclere , vt alios Indibrio exponas , an satis pius sit , aliorum iudicium esto. Malim ego sanè perire mihi centum iocos , quàm vt vno sacra Scriptura verbulo abuti velim.*

PLAC. Egone hic iocos aut scommata nexui ? Imò seriò , maximè , inquam , seriò argumentatus sum , imputationisque immediatæ absurditatem reuelauì. Quid enim est ioci in hoc argumento ? Ex qua opinione sequitur , vnumquemque nostrum posse idem de semetipso dicere quod de se Christus dixit , Antequam Abraham fieret ego sum , illa est falsa & absurda. Id autem sequitur , ex opinione qua dicimur verè & propriè peccasse , atque aded fuisse tunc cùm Adamus esset adhuc in paradiso terrestri. Ergo illa opinio est falsa & absurda. Cum sic argumentor videor ne tibi , Lector , iocari , & ad iocum abuti Scriptura ? Non arbitror. Nihil tamen aliud verba quibus sum vsus continent quàm hoc argumentum.

GAR. *Et qua demum ratio esse potest , vt quis ad infantem vel hominem quemcumque applicet ea verba , quibus teste Caluino , Christus eximit se è vulgo hominum , sibi que caelestem ac diuinam virtutem*

virtutem vindicat, cuius sensus ab initio usque mundi in omnia
 saecula diffusus fuerit. Putasne passurum Sanctum Augustinum,
 ut hic locus vel ioco, vel serio ad creaturam accommodaretur, qui
 cum ea verba diligenter meditatus esset, exclamat, Agnoscite
 Creatorem, discernite creaturam.

PLAC. Pro me, contra se, disputare Vir doctus videtur.
 Idem enim cum Caluino & Augustino sentio, idque Disp. XI.
 lib. I. pro Diuina Domini nostri Iesu Christi natura, satis, opi-
 nor, testatum feci; Nuncque etiam testor, qui idem vestram
 opinionem rejicio hoc loco, quia ex ea sequitur maximum ab-
 surdum, nempe verba illa Christi cuiuslibet alij homini conueni-
 re posse. Si videtur vobis absurdum hoc consequens, ut est
 certè, & quidem tam absurdum quàm quod maximè, cur non
 videtur vobis pariter absurdum antecedens vnde ducitur?

GAR. 2. Sed ratiocinij vanam subtilitatem considerain ex-
 emplo simili. Ita imputatur nobis Christi satisfactio, ut in Christo
 satisfecisse dicamur. Accedat è Socinianorum grege quispiam; ad-
 uersus eam doctrinam arma mutuabitur à Viro docto, & in veri-
 tatem subtili argumentatione consurget. Quando verò demum sa-
 tisfacimus in Christo, satisfactioe eius actuali? An cum Christus
 ipse satisfecit in cruce? An alio tempore? Certè cum satisfecit in
 cruce. Sed audi. Qui satisfecerunt, ita ut iram Dei placauerint,
 illi verè satisfecerunt & propriè. Qui verè & propriè satisfece-
 runt, tunc cum satisfecerunt, verè & propriè fuerunt. Ergone
 Christianus qui nunc vivit verè fuit, cum Christus penderet in cru-
 ce? Quid videtur? Annon valide contortum telum? Dissoluat
 nodum qui neetere docuit. Nec enim Socinianum refellet, ut non
 eadè ratione subtilitatem suam traducat.

PLAC. Hoc exemplum non est simile, nec meam ratio-
 cinationem villo modo euertit. Imputatur quidem nobis cre-
 dentibus Christi satisfactio, sed ea imputatio fidem nostram
 sequitur, non antecedit, nedum ut antecedit nostram existen-
 tiam. Iustificamur enim fide, non ante fidem. Cum igitur
 dicimur satisfecisse in Christo, ut locutio non extat in Scriptu-
 ra, sic commodè accipi debet, nec propriè intelligi potest.
 Sensus alius esse non debet quàm iste, Christus satisfecit pro
 nobis. Nos non satisfecimus, sed alius, nempe Christus, pro

nobis satisfecit. Idemae dici potest de peccato, Nos non peccauimus, sed alius peccauit pro nobis, aut loco nostro? Deinde quaestio, *Quando verò demum satisfacimus in Christo, satisfactione eius actuali?* parum abest quin sit ridicula: innuit enim duplicem satisfactionem, actualem & habitualem; cum tamen non ut est peccatum aliud actuale ab Adamo commissum, aliud habituale in nos propagatum ac nobis inhærens, sic vlla sit satisfactio præter eam quæ à Christo loco nostro præstita est. Præterea propositio quando satisfacimus in Christo, cum propria non sit, eget expositione, & reuocanda est ad propriam: alioqui committitur fallacia plurium interrogationum: continet enim has duas quaestiones 1. Quando Christus satisfecit? 2. Quando nobis Christi satisfactio imputatur? Ad illam respondeo, quando passus est in cruce; Ad hanc, quando credimus in eum. Quod si similiter resolvas quaestionem, Quando peccauimus in Adamo? in has duas, Quando peccauit Adamus? &, Quando imputatur nobis eius peccatum? Facilis erit responsio ad primam, quando manducauit fructum veritum in paradiso, ad secundam, ut taceam supponi imputationem; cum tamen, ut dici possimus peccasse in Adamo non sit necessaria imputatio, sufficiat propagatio peccati, respondeo, quando geniti sumus ab Adamo vitiatum & corruptum. Quid in eo est absurdi? Nec tamen sic potuit respondere Vir doctus, quippe qui velit peccatum Adami nobis, iam ab eo tempore, quo lapsus est Adam, fuisse imputatum. Cæterum quam multa sint inter Christi satisfactionem & Adami peccatum discrimina iam aliquoties obseruauimus, & ad Rom. 5. 19. obseruaturi sumus.

Cap 8. GAR. 3. Sed & Pelagianus telum arripit, & in ipsum §. XXIV. contorquebit. Nam ubi dicit Apostolus nos in Adamo peccasse, quid intelligit Vir doctus peccati voce? Corruptionem hereditariam, vitium illud originale nostrum, & nobis ingentum. Itaque in Adamo peccasse, erit in Adamo corruptos & vitiatos esse. Insurgit iam Pelagianus, & hanc argumentatione fretus quæret. Quando corrupti sumus in Adamo peccato eius? An cum ipse peccauit, & peccando se corrupit, an alio tempore? Certè cum ipse peccauit, & peccando se corrupit: Etenim non sibi soli peccauit,

aut peccato suo nocuit, sed vnius illius lapsu multi, imò omnes mortui sunt. Audi iam. Qui ita corrupti fuerunt, ut mortis aeternae rei facti sint, illi verè & propriè corrupti fuerunt. Qui verè & propriè corrupti fuerunt, illi tunc cum corrupti sunt, verè & propriè fuerunt. Ergòne infans qui nuno nascitur, verè fuit, cum Adamus peccaret, & peccando seipsum corrumperet? Ita qui laqueos alijs confecerant, in eos se induunt, & quam foueam alijs pararant in eam ipsimet incidunt.

PLAC. Hi laquei nulli sunt, meque facilè expedio. Primùm enim Apostolus non dixit nos in Adamo peccasse, & ut dixisset, propositio nos esse corruptos & vitiatos in Adamo quem sensum habere possit, considerandum est. Sensus est nos deriuata ab Adamo corruptione corruptos esse, vel, quod eòdem redit, corruptionem Adami fuisse fontem vnde nostra scaturijt corruptio, vel, corruptum fuisse Adamum, & corruptionem Adami in nos propagatam fuisse. Si ergo quæro, Quando Adamus corruptus fuit? respondebo, cum primùm peccauit, Quando corrupti fuimus vi communionis quam cum Adamo habemus? Resp. quando geniti sumus. Quid est in ea re difficultatis? Taceo Virum doctum vti fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Aliud enim est esse corruptum secundum quid, seu cum hac limitatione in Adamo, aliud esse corruptum simpliciter seu absque eiusmodi limitatione. Hoc ex illo non sequitur, si temporis illius ratio habeatur, cum primùm Adamus corruptus fuit: significatur enim corruptio radice seu fontis, non ramorum aut riuorum, quoniam nondum erant: priùs autem est esse quàm esse corruptum. Id quod mihi responderi non potest, quoniam, ut iam obseruaui, imputationem oppugno quæ diu fuisse creditur, antequam esse inciperemus, & qua factum sit ut verè & propriè peccatores & rei fuerimus.

GAR. 4. Qui sic argumentantur, eos memores esse oportebat eorum, quæ priùs dixerunt. Si peccatum Adami accipiatur non pro actione ipsa præcisè sumptâ, sed simul cum corruptione, quæna peperit, rectè dici Adami peccatum posteris imputari. Nam ita peccatum erit, & ipsa Adami actio & corruptio consequens. Itaque ut rectè dicimur peccare in Adamo propter corruptionem in nos

ab Adamo descendente : Ita & rectè peccare dicemur in eo , propter actionem quæ in Adamo processit.

PLAC. Quomodo id à me fuerit dictum , & quàm non faueat imputationi antecedenti latè patere arbitror ex dictis sup. pag. 161. 162. 163. Quorsum igitur perueat , & quàm vim habeat , hæc Viri docti responsio , non intelligo. Certe corruptio nostra est , quia in nos propagata , intra nos est , actio verò quæ corruptionē peperit non est nostra nisi quatenus corruptio eius quædã participatio & in eam consensio est.

GAR. 5. *Negatur illud , cui totam suam rationem superstruit Vir doctus , Qui peccarunt , ita ut iustam condemnationem meriti sint , eos verè & propriè peccasse. Quia verè & propriè peccare est in propriâ & suâ personâ peccare , & suo non alieno peccato delinquere ; Proprium enim alieno opponitur : At etiam qui alieno peccato peccant , id est , quibus alienum peccatum imputatur , ij iustam condemnationem merentur. Nam filij Saulis peccauerunt alieno , nempe patris , peccato , & tamen iustam mortis condemnationem ex Dei mandato perpeffi sunt , adeoque meruerunt , quia iusta sunt Dei iudicia. Et peccata , quibus patres actu peccarunt , non sunt propriè peccata filiorum , quia non sunt ab ijs personaliter patrata ; & tamen iuxta Decalogi comminationem , propter ea filij in varias poenas & iustam comminationem incurrunt. Ita ergo possumus in Adamo peccasse , ut iustam mortis sententiam meriti simus , & tamen non idèò huc deveniendum est , ut dicamus , nos propriè siue personaliter peccasse , cum Adamus peccavit ; sed tantùm ita censerì apud Deum , ac si cum ipse peccavit , omnes peccassimus. Nam quicumque ex illo uno multi in seipsis futuri erant , in illo unus erant ; Et in quo erat natura communis , ab illius vitio nemo est immunis , ut loquitur Sanctus Augustin. Epistolâ centesima sexta.*

PLAC. Putabam verè opponi falsò , & propriè tò impropiè seu figuratè , atque ita accipiebam , sed docet me nunc Vir doctus utrumque hoc loco idem valere quod personaliter , vel in propriâ personâ. Quæro igitur , qui ita peccauerunt ut iustam & propriam condemnationem sint commeriti , utrum verè , an falsò peccauerint ? Falsò , opinor , nemo dixerit. Qui enim dicitur ita peccasse ut iustam condemnationem sit pro-

meritas, si potest probare id falsò dici, fieri non potest ut ob eiusmodi peccatum damnetur ab iudice iusto. Rursus quæro an propriè dici possit peccasse, necne, hoc est, non figuratè, aut metaphoricè? Nemo etiam dixerit, peccasse tantùm metaphoricè aut figuratè: cùm enim pœna & peccatum sibi mutuò respondeant, pœna verè & propriè dicta supponit peccatum verè & propriè dictum, alienum quidem cùm pœna infligitur alicui ut vadi peccatoris, suum verò, cùm infligitur ut peccatori pœnam propriè dictam commérito: Nec negari potest quin nascamur ex Adamo verè & propriè peccatores, ab eoque peccatum verè & propriè sic dictum trahamus. Adde quod negat Augustinus, negant theologi alij magni nominis ob alienum peccatum quenquam damnari. Vide si placet verba Martyris à nobis laudata sup. pag. 136. ex loc. Com. Classi. 2. cap. I. §. II. Necnon verba Caluini & Chamieri laudata sup. 95. 96. 97. 98. Addam hæc pauca Martyris, ex eodem loco Com. §. 7. *Huic commento, (intelligit commentum Pighij) nos, nec possumus, nec debemus acquiescere: nam ira Dei, non nisi iuste prouocatur. Neque enim ea eiusmodi est, ut temerè, aut fortuitò inflammari possit. Quare oportet in natura nostra aliquid esse prauum, ad quod ulciscendum, ira diuina excitetur.* Alioqui, quomodo mereremur veram & propriè dictam condemnationem, si nullum esset nostrum eiusmodi condemnationis meritum? Est nostrum, inquires, imputatione. Facit ergo, inquam, imputatio ut mereamur pœnam æternam, quam alioqui non meremur. Id ne Dei æquitatem deceat, rogo te, Lector, diligenter considera. Cùm enim scopus nobis propositus debeat esse Dei gloria, vide, quæso, num id sit Deo gloriosum, & an eius æquitatem & iusticiam faciat clariorem? Vide etiam an deceat eius veritatem? peccauimus in Adamo, iustam mortis sententiam meriti sumus, idque sine dubio nec falsò nec figuratè dicitur, *non tamen proprie sine personaliter peccauimus cùm Adamus peccauit: sed tantùm censemur apud Deum, ac si cùm ipse peccauit, omnes peccassemus.* Hocne iudicium est secundum veritatem? gloriosum Deo? At, inquiet aliquis, censemur apud Deum ac si iusti essemus. Nempe reuera iusti sumus, non iustitia legali sed euangelica, non iustitia operum

fed fidei, non iustitia à nobis profecta aut acquisita, sed data à Deo & per fidem accepta. Dispar est ratio peccati, non promittitur, non datur à Deo, non accipitur à nondum existente. Verba Augustini causæ meæ non obsunt: fateor enim ab Adami *vicio* neminem esse immunem. Ad exemplum filiorum Saulis iam respondimus, eos paterni peccati fuisse participes. Peccata patrum visitantur in filijs, vt dixi, cum reperiuntur in filijs. Dicuntur patrum, quia patres priores illa commiserunt, commiserunt, filijs vt committerent autores fuerunt, vel exemplo & autoritate, vel educatione & institutione, vel etiam lege.

Obijcies, quod etiam hoc loco subiungis Apostolum dixisse *Leui fuisse decimatum in Abrahamo, quia adhuc in lumbis patris erat, cum ei occurreret Melchisedecus*. Sed Apostolus satis innuit phrasim illam non modò non esse propriam, sed duram, cum eam emolliuit hac præfatione *ὡς ἔπος εἰπῶν*. Deinde ad locum illum respondi in thesibus, & tu meam responsionem tibi sumis refellendam in extremo cap. 9. tui tractatus, quàm benè, cum tuis vestigijs insistens ad eum locum peruenero, Deo iuuante, ostendam, eademque opera ratiocinationem Apostoli retegam longè solidissimam, sed ab imputatione, quæ inter nos controuertitur, alienam omninò.

Obijcis etiam similem phrasim in re simili eiusdem Apostoli, *in Adam omnes moriuntur*. Sed ea tuam sententiam euertit. Non vult enim omnes mori in Adamo illa ipsa singulari morte, qua mortuus est Adamus, quæ scilicet omnibus imputetur, sed suâ quisque propriâ morte. Sic viuificamur, seu resurgimus in Christo, non per imputationem resurrectionis Christi, sed reali, & quam quisque in se suscipit, resurrectione: Et, cum versu præcedente Apostolus sic

loquitur, *Quandoquidem per hominem est mors, etiam per hominem est resurrectio mortuorum*, non intelligit vnus Adami mortem reliquis hominibus imputatam, nec vnus Christi resurrectionem imputatam, sed mortem & resurrectionem specie vnâ, numero multam, qua omnes, quisque sua, moriuntur & resurgunt. Id ita manifestum est vt probatione non egeat. Concludamus igitur, cùm idem Apostolus ait, per vnum hominem peccatum in mundum introiisse, intelligendum esse non singulare illud actuale peccatum quod vnus ille homo commisit, sed peccatum ab illo natum, & in omnes homines sparsum ac propagatum: Et, cùm ait, omnes peccasse in Adamo (quanquam id non dicit) intelligendum esse omnes peccasse, non vno illo singulari peccato actuali Adami illis imputato, sed suo quemque, sibi insito ac proprio peccato, quod ab illo Adami ducit originem. Morimur ergo in Adamo, id est, vi communionis naturalis quæ nobis cum Adamo intercedit, non autem in ipsa Adami persona, & viuificamur in Christo, non in ipsa persona Iesu Christi, sed vi communionis nostræ supernaturalis cum ea: sed hac de re rursus cum ad Thefes ventum fuerit.

GAR. *Resp. I. Qui negant nos in ipsâ Adami personâ fuisse morti addictos, illi manifestè deserunt Confessionem Ecclesiarum nostrarum, quæ id docet & dicit expressè Art. 10.*

CAP.
VII.
§ XX.

PLAC. *Egône illam Confessionem desero, quam totam amplector, arctèque tenco, imprimis articulum illum decimum? At nego nos in ipsâ Adami personâ fuisse morti addictos. Primum illa verba, fuisse morti addictos, mea non sunt: neque præterito vsus sum, sed præsentis, neque de additione locutus sum, sed de ipsa morte. Verba enim Apostoli, Sic in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur,*

de præterita eiusmodi additione intelligi non possunt, ut vel ex futuro, *vimiscabuntur*, perspicuum est. Loquor igitur de morte qua quisque moritur, de resurrectione qua quisque formaliter resurgit. Nec aliud volo, cum nego nos mori in ipsa Adami persona, quam nos mori ipsa morte Adami nobis imputatâ, cum nego nos resurgere in ipsa Christi persona, quam resurgere resurrectione Christi nobis imputatâ, ut patet ex verbis meis antecedentibus. Contrarium ne docet Art. ille Confessionis decimus? Cur igitur cum illo committor? At dicit, *nos in ipsius (Adami) persona spoliatos bonis illis omnibus, in omnem hanc miseriam & maledictionem incidisse.* Ergo morimur in ipsâ Adami personâ, hoc est, morte Adami nobis imputatâ. Nihil tale sequitur ex illis Confessionis verbis. Imò ne imputatio quidem ulla ex ijs colligi potest, vel donorum illorum, vel spoliationis illius, ut plenius declarabitur cap.

XII.

GAR. 2. *Unionem cum Adamo naturalem non tantum agnoscimus, sed etiam imputationis illius, de quâ agitur, fundamentum esse dicimus.*

PLAC. Si imputatio intelligitur antecedens seu immediata, non est illius fundamentum unio illa. Sed pergat.

GAR. *Nec minus certum est unumquemque nostrum, & mori morte suâ propriâ, & habere corruptionem internam sibi propriam, & personaliter distinctam à corruptione, quam peccatum actuale fecit in Adamo. Habere autem utrumque ex vi coniunctionis illius, quæ nobis cum Adamo tanquam capite generis intercedit. Illa tamen non impediunt, quominus ad imputationem ea verba Apostoli pertinere dicantur, cum testatur, nos in Adamo mori.*

PLAC. Itane, ad imputationem mortis Adami? Quis unquam audiuerat, mortem Adami nobis imputari? Manet igitur responsio mea, vel si ita vis, argumentatio, si propositio *in Adamo morimur* vera est, quamvis mors Adami nobis non imputetur etiam propositio *in Adamo peccauimus* vera esse potest, quamvis peccatum Adami nobis non imputetur.

GAR. *Vnde contrario modo concludo, atque collegit Vir doctus. Si dictum Apostoli, in Adamo morimur ad imputationem spectat:*

ſpectat: Ergo & quod ait, nos in Adamo peccaſſe. Atqui prius ad imputationem ſpectat; ut certa ratione oſtēdi poteſt. Nam neq; in Noacho, neq; in quoquam alio maiorum noſtrorum mori dicimur, ſed tantum in Adamo; Et tamen ſicut dicimur ab Adamo prognati, ita dici poſſumus prognati à patribus, & omnibus maioribus noſtris. Cuius discriminis aliquam prorsus cauſam eſſe oportet. Non eſt autem illa ſimpliciter quærenda in coniunctione naturali, aut eâ propagatione quâ descendimus ab Adamo. Nam non minùs à maioribus alijs noſtris propagati ſumus, neque minùs ſumus cum eis coniuncti, quàm cum Adamo; imò propinquior eſt cam eis, quàm cum Adamo, communio ratione temporis. Neque etiam in eo, quòd Adam principium eſt noſtræ originis, ſive ille à quo genus humanum inceptit. Nam ea quidem legitima cauſa eſſe poteſt, quare in Adamo mori dicamur: ſed non eſt legitima cauſa quare idem de alijs maioribus dici non poſſit. &c.

PLAC. Quomodo certa ratione oſtendi poteſt, dictum Apoſtoli in Adamo morimur, ad imputationem ſpectare, ſi ſine imputatione cauſa legitima eſt, quare in Adamo mori dicamur? Agebatur enim de eo quod ab Apoſtolo dicitur, non de eo quod non dicitur. At quare idem de alijs maioribus non dicitur? Si ſæpiùs diceretur ac inculcicaretur in Scriptura nos in Adamo mori, meritò quæri poſſet, quare ſæpe rem illam repetens Scriptura, perpetuò vnus Adami, nunquam aliorum maiorum meminifſet: nunc, cùm ſemel id dictum ſit, mirum videri non debet, ſi alij maiores ſilentio præteriti ſunt, nec locus eſt ſilentij illius rationem quærendi. Si tamen eius ratio reddenda eſt, ab imputatione arceſſi non debet: ſuccreſceret enim ſtatim alia quæſtio, cur non æquè in alijs maioribus, ac in Adamo, quod imputaretur poſteris fuiſſet? Tandemque ad Dei voluntatem eſſet conſugiendum: quæ ſine imputatione poſſet hoc loco pro ratione afferri. Sed non eſt opus: ſuccurrunt enim aliæ rationes, & quidem duæ. Prima, à voce omnes. Sicut, inquit Apoſtoloſ, omnes in Adamo moriuntur. Iam autem manifeſtum eſt omnes in ſolo Adamo mori. Altera inde peti poteſt, quod notatur primus fons, prima origo mortis. Reliqui maiores veluti canales fuerunt, per quos peccatum & mors ab illo fonte in nos dimanarunt, ſolus Adamus primus fuit autor mortis. Sic, communis omnium

regum Israelis idolatria peccatum Ieroboami vocatur, non autem alicuius alterius regis, propterea quod primus illius auctor vnus Ieroboamus fuerat.

Interim nonne vides omnes homines eodem modo accipi ab Apostolo, cum in eos mortem transire, & cum eos peccasse dicit? *Mors*, inquit, *in omnes transit, quoniam omnes peccarunt.* utrobique vox omnes eisdem homines, eodem modo, significat. Alioqui vitiosus esset Apostoli syllogismus, & ex quatuor terminis componeretur, quem sic struis, *Quicumque peccauerunt, in eos mors transit. Omnes peccauerunt. Igitur in omnes mors transit.* Nam in conclusione vox omnes notat personas omnium hominum inter se & à persona Adami distinctas & separatas. Ergo necesse est vt in minore eadem vox omnium itidem hominum personas distinctas & separatas cum inter se tum ab Adamo significet. Iam autem manifestum est, omnium hominum personas distinctas & separatas à persona Adami non commisisse peccatum illud actuale vnum idemque numero quod Adamus commisit, & tam impossibile esse vt omnium personarum generis humani sit vnicum numero peccatum actuale, quam vt sit vnica numero mors omnium.

CAP. **VIII.** **§. XXI.** **G A R.** *Resp. huius rationis quamvis sit vis ad impugnandam peccati Adæ imputationem videre difficile est & dicere. Nam aut longè fallor, aut nemo eorum qui pro hac imputatione pugnant, vquam somnauit personam suam, vel alterius cuiuscunque hominis esse confusam cum personâ Adami, aut ita indistantem, vt in vnum ὁμοσίμμερον cum eâ coaluerit. Hoc ne quidem animo concipi potest. &c.*

P L A C. Quandoquidem videre huius rationis vim Vir doctus non potuit, eam explicabo. Meminerit igitur, Lector, si placet, me non impugnare imputationem mediatam seu consequentem quæ cuiusque existencia & corruptione posterior

est, sed immediatam & antecedentem, quam Vir doctus communem appellat, & ita describit cap. I. §. XIII. *Imputatio*, inquit, *peccati Adæ communis est, qua peccatum Adæ non ipsum modò reum fecit; sed etiam totum genus, quod in ipso seminaliter & radicaliter continebatur, eodem reatu implicuit, iam ab eo tempore, quo lapsus est Adam. Et paulò pòst subiungit, Existente autem humana natura in individuo illo principali, in illo etiam dici possunt homines communiter extitisse. Extiteruntne igitur à persona Adami distantes & separati? Non arbitror quæquam hoc dicturum. Et Cap. 2. §. XVII. Communis, inquit, illa siue immediata, quemadmodum posterior fuit prima actuali Adæ transgressione, ita prior fuit personali cuiuscunque hominis ex Adamo prognati existentia, atque aded etiam corruptione illa, quæ in singulos naturali generatione descendit quatenus ab initio rei fuerunt omnes communiter in Adamo. Facta est igitur ista imputatio cum nondum essemus personæ separatæ & distantes ab Adamo: vel, ut loquitur is quicum mihi res erat, cum confideraremur à Deo tanquam unus homo in Adamo. Nunc, opinor, quam vim habeat argumentum, ipse per te, Lector, satis intelligis.*

Rectius igitur mea sententia fecisses, si Caluini interpretationi acquiescens non contempsisses id quod legere potuisti in Clavi Scripturæ ad nomen *peccatum*, his verbis, *significat quoque crebrò verbum נון peccauit, in prima coniugatione non actionem, sed qualitatem inherentem, seu sortem ac conditionem hominis, seu esse peccatorem, esse reum, sicut solent verba hebræa sapissimè tantùm existentiam rei, non actionem aut passionem aliumue motum indicare. Et paulò pòst, sic Rom. v. in Adamo omnes peccauerunt: id est, scelerati ac Dei hostes facti sunt. Quæ quasi habitualis significatio verbi & nominis peccati diligenter obseruanda est. Et rursus, Romanorum quinto, sicut per unum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit in quo omnes peccauerunt, non actionem sed ipsum habitua-*

le, aut potius innatum & essenziale malum significat quòd nempe per Adamum omnes facti sint corrupti &c. Eodem sensu Logici notare solent verba in definitionibus posita aptitudinem, non actum designare, vt cum definitur albedo, color qui visum disgregat, id est, qui aptus natus est visum disgregare. Sic cum Dominus dicit omnem arborem malam malos ferre fructus, malè colligeret qui infidelium irrogenitos infantulos malas arbores esse negaret, quòd non ferant malos fructus; haud secus certè ac qui legisset, omnem volucrem volare, malè inde concluderet, auiculam recens exclusam, quòd nondum volet, volucrum non esse. Itaque Anabaptistis quibusdam idem quod tu obijcientibus *peccare esse verbum actiuum & actionem significare*, Georgius Sohnius nihil respondit, nisi *verba apud hebraeos non tantum significare actualiter, sed etiam habitualiter, hoc est, non tantum actionem, sed etiam defectum & prauitatem inherentem.*

Cæterum non satis intelligo tua ista verba, *in peccato originali non peccauimus actu, nisi quatenus in Adamo peccauimus.* Quid enim? Visne nos actu peccauisse in Adamo tum cum peccauit? Id Zanchius, quem tu pro tua sententia laudas Cap. tui tractatus VII. negat, addita hac ratione, quia nondum eramus actu. Nam qui fieri potuit, vt, quum nondum essemus actu peccaremus actu? vnde sic argumentor, Moriuntur homines actu. Ergo peccauerunt actu. Absurdum enim est vt qui potentià tantum peccauit non autem actu, puniatur actu, & quidem poenà grauissimâ. Atqui non peccauerunt actu in Adamo cum peccauit actualiter. Aliud igitur sit oportet peccatum ob quod actu moriantur homines, nempe vitium illud origi-

hale quod omnibus & singulis inest verè , propriè , actu , inhærenter , tam certè actu quàm fuit in ipso Adamo.

Minùs etiam capio quæ subnectis , *cum Adamus peccauit , pro omnibus suis posteris peccauit*. Si intelligis eum magno omnium posterorum malo peccasse , nihil verius. Hinc enim natum est vitium illud quod genus humanum inuasit & morti addixit : sed si intelligis eum loco nostro peccauisse , nihil dici potuit à te minùs consideratè. Nam neque id Scriptura dicit vsquam , & valdè absurdum est. Satisfecit quidem loco nostro Christus iustitiæ diuinæ. quippe , nos enim tenebamur satisfacere. Moriendum erat omnibus nobis , ipse mortem loco nostro gustauit. Puniendî eramus omnes , ipse omnium loco passus est. Num igitur peccare tenebamur , vt nostro loco Adamus peccaret ? Mihi quidem hætenus inauditum fuit peccare aliquem loco alterius tanquam eius vadem posse. Sed fortasse nostræ partes erant legem , tunc Adamo latam , tunc obseruare , atque adèdè audire , memoriæ mandare , intelligere , exequi. Adamus autem vt nos hac molestia leuaret se suffecit in locum nostrum qui nostrum officium impleret , nostras partes ageret. Apage tales cogitationes. Profectò , si loco omnium posterorum Adamus legem illam impleuisset , eius posteri ad eandem legem implendam ipsi in proprijs suis personis non fuissent amplius obligati , quemadmodum quia loco nostro Christus iustitiæ diuinæ satisfecit , non tenemur amplius ei satisfacere. Certè quemadmodum tunc temporis nulla erat in mundo persona humana præter Adamum & Euam , sic nulla præter eos duos persona humana aut poterat , aut de-

bebat legi illi pro illo tempore parere. Neque verò
 Adamus ea mente peccauit vt loco nostro peccaret,
 neque, si mens ea ipsi fuisset, in cuiusquam potestate
 est loco alterius non consentientis peccare. Neque
 id naturæ lex exigebat vt posteriorum loco peccaret,
 neque Dei bonitatem & iustitiam decebat id efficere
 & constituere. Præterea si loco nostro peccauit &
 peccatum illud merebatur, pœnam quæ esset peccatum
 videlicet corruptionem, dic mihi, quæso, cur non sit
 etiam loco nostro illa affectus pœna? nam quo tēporis
 articulo peccauit, eodem corruptus & vitiosus & in-
 iustus factus est. Annon quo nomine peccauit eodem
 puniri debuit, præsertim eodem momento? nisi ve-
 lis, quemadmodum sacrificulus pontificius inter ce-
 lebrandum missam, modò Christi personam induit,
 modò deponit, atque ita diuersas agit personas eodem
 penè momento, sic Adamum similiter modò perso-
 nam nostram repræsentasse, modò suam vnus susti-
 nuisse, atque eodem momento, & peccasse loco no-
 stro, & punitum suo, non nostro. Nam si loco nostro
 ea pœna castigatus fuit quæ est peccatum originale,
 non conuenit nos eadem pœna affici: quàm enim lo-
 co nostro peccauit, tam loco nostro punitus est. Si-
 cut enim quamuis ipsi in proprijs nostris personis pec-
 cauerimus, tamen quia Christus loco nostro punitus
 est, non debemus amplius puniri, ita si pro illo pec-
 cato actuali punitus est Adamus loco nostro inflig-
 tione peccati originalis, non potest amplius pro eo-
 dem illo peccato nobis peccatum originale infligi.
 Vides quo te ducat tua ista assertio pro nobis peccasse
 Adamum, nimirum ad negandum peccatum nostrum
 originale. Quod ipsum etiam effici potest hoc argu-

mento, vt videas magis magisque quàm pernicioſa ſit illa ſententia, à qua te dimouere cupio, & conor. Quod Adami peccatum nobis per imputationem conuenit, vel, ſi ita mauis, nobis proximè & immediatè imputatur, id ex quo ſumus reipſa neque à nobis commiſſum eſt, neque nobis inhæret. Res manifeſta eſt de peccato actuali Adami: id enim vis nobis imputari, non autem ineſſe, aut à nobis natis committi. Nam quod per imputationem conuenit, non conuenit per realem inhærentiam ſiue inexiſtentiam. Duo iſti modi inter ſe pugnant. Cur enim aut faciam aut patiar quod alius loco meo vel fecit, vel paſſus eſt? Atqui ſi peccatū actuali Adami nobis imputatur, profectò etiam imputatur eius peccatum habituale ſiue corruptio inhærens. Nam quæ ratio afferri poteſt pro imputatione peccati actualis Adami, quæ eadem non militet pro imputatione peccati eiufdem habitualis, & quidem validiùs? Illud enim fuit actio præteriens, hoc vitium permanens: illud iam pridem præterierat cùm anno ætatis 130. Adamus Sethum genuit, à quo nos ducimus originem, hoc verò tum aderat præſens & inhærens penitus facultatibus Adami cùm generationi operam daret: illud vulgò dicitur eſſe perſonæ, hoc naturæ. Itaque aut æquè aut magis etiam conueniebat Adamo vt capiti noſtro & origini, & noſtram perſonam ſuſtinenti, quàm peccatum illud actuali, quod actio fuit ſingularis. Si ergo peccatum actuali Adami nobis imputatur, imputatur etiam nobis eius vitium ſiue peccatum habituale & inſitum. Si imputatur, non eſt in nobis. Quod enim nobiſcum Adamus communicauit imputatione, id non communicauit nobiſcum reali exiſtentia. Quod peccatum peccauiſmus in perſona

Adami, id non peccauimus realiter in nostris personis postea quàm geniti sumus. Alioqui magis peccatores ex Adamo nasceremur quàm fuit Adam. Nam ei non est imputatum nisi ipsius peccatum actuale & habituale, nobis idem vtrumque, quemadmodum Adamo imputaretur, & præterea imputaretur idem specie peccatum habituale nobis actu insitum ac inherens: nam, velis nolis, corruptio innata peccatum est, nisi condonetur, imputandum ad mortem. Non modò autem imputatio quam tueris tollit vitium originale, quod tamen nobis, proh dolor, omnibus & singulis medullitùs infixum esse, & Scriptura clamat & experientia contestatur, sed ea quoque Dei *φιλανθρωπία* labefactat; quippe qui voluerit Adamum sustinere personam nostram cum peccauit, non voluerit autem nostram personam eundem sustinere cum punitus est: considerauerit eum cum peccauit vt caput nostrum, noluerit eum eodem modo considerare cum puniretur: voluerit eum peccare loco nostro, noluerit puniri loco nostro: nostras personas ei imposuerit vt peccaret loco nostro, ac eodem momento abstulerit ne puniretur itidem loco nostro; perinde ac si nostra ipsorum qui nihil ipsi peccaueramus, morte deletatus fuisset, nihilque aliud illa personarum nostrarum impositione Adamo, captasset quàm occasionem nos omnes efficiendi peccatores. Quod Petrum Martyrem (qui Caluini & Buceri vestigia secutus totus meus est) ac cæteros dicis agnouisse, omnes homines in Adamo peccasse, mihi non obest, qui clamo omnes homines peccare in Adamo, quomodo in Adamo moriuntur, hoc est, vi communionis quam habent cum Adamo, non autem imputatione singularis eius

vel peccati, vel mortis : Peccasse omnes homines in Adamo, quomodo in eo fuerunt. Fuerunt autem in eo non imputatione sed esse ipsius, sed quia eius esse est causa sed esse omnium : Peccasse igitur in eo omnes, non peccati ipsius imputatione, sed quia peccatum eius est causa peccati omnium ; causa, inquam, eo modo quo ipsius esse est causa nostri, non imputationis diuinæ interuentu, sed per generationem & propagationem naturalem.

CAPVT X.

Responsio ad Argumenta, quæ pro immediata imputatione peccati actualis Adami

ducuntur ex Rom. 5. vers. 13.

& sequentibus.

SED pergamus. Ex versu sequente, quo Apostolus id quod dixerat, peccatum introiisse in mundum & omnes homines peccasse, probat, tu nescio quid argumenti colligis, quod & præcedente illo tuo à me iam refutato ac absurdis obruto nititur, & à te ipso continuò destruitur. Nam, inquit Apostolus, usque ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum verò non imputatur, quum nulla lex est. Sic, inquis, ex hoc dicto Apostoli argumentor. Peccatum illud, de quo loquitur Apostolus versu immediatè præcedenti, est peccatum illud quod fuit in mundo usque ad legem, ut patet ex sequela & textura verborum, maximè ex illa particula sed, quæ est rationalis. Hoc concedo, & ut memineras rogo, nam

& verum est, & ad tuam sententiam euertendam, meam autem firmandam apprimè utile. Subsumis, *sed peccatum primum Adami fuit illud peccatum de quo loquutus est Apostolus versu immediatè præcedenti, vt supra probauimus.* Nititur igitur hæc tua propositio superiori tua argumentatione, quam vides à nobis capite præcedente multis telis confossam ac confectam, vt iure meo possim eius loco hanc ponere, Atqui vitium originale omnibus hominibus inhærens est illud peccatum de quo loquutus est Apostolus versu immediatè præcedenti, vt supra probaui. Ergò peccatum illud quod fuit in mundo vsque ad legem est vitium originale omnibus inhærens, quod vitium omnibus, nisi condonetur per Christum, imputari non fateor modò, sed contendo etiam.

Verùm ego alia ratione hoc idem argumentum in te torquebo, quæ non nitetur superiori disputatione, sed eam suo proprio pondere augeat, eoque graui & momentofo. Peccatum illud, de quo loquitur Apostolus versu immediatè præcedente, est peccatum illud quod fuit in Mundo vsque ad legem, vt rectè probasti. Atqui peccatum primum actuale Adami non est peccatum illud quod fuit in mundo vsque ad legem. Ergo peccatum primū actuale Adami non est peccatum illud de quo loquitur Apostolus versu immediatè præcedenti, ac proinde non est peccatum illud quod *in mundum*, idest, te interprete *in nos* introiit, & quo omnes homines peccauerunt. Maiorem propositionem negare non potes; est enim tua, & si negares, facilè, vt tu rectè obseruasti, ex particula causali, & textura disputationis Apostolicæ reuinci posses. Minor suapte luce manifesta est. Nonne enim perspi-

cuum est peccatum primum actuale, quod actio fuit singularis, & numero vna, vix horam vnā durans, non fuisse in mundo toto illo tempore, quod ab eo peracto ad legem vsque Mosis fluxit, hoc est, non perdurasse in mundo spatio duorum millium & quingentorum annorum? hoc certè conuenit vitio originali, quod tamdiu est in mundo, quādiu est genus humanum: sed non conuenit vni actioni indiuiduæ & singulari, quæ dum fit præterit cum tempore, & vt non desisset esse in mundo viuente Adamo cuius accidens quoddam fuit, nimirum actio, tamen eo extincto quæ potuit eade numero in mundo, id est, in hominibus esse bis mille & quingentos annos? Noli confugere ad imputationem quam iam sæpius confutauī: nam aliud est peccatum esse in mundo, aliud imputari mundo: hoc ordine naturæ sequitur, illud præcedit. Adde quod negare non potes, certè non debes, reuera toto illo tempore peccatum in mundo seu hominibus fuisse, immò regnasse obedientibus eius concupiscentijs hominibus.

G A R. *His pedicis facile nos extricabimus. Etenim I. His verbis Apostolum id confirmare, quod superiori versu dixerat in confesso est, vt iam audiuimus. Dixerat autem, omnes in Adamo peccasse, quibus verbis imputationem inobedientia actualis Ade doceri, manifestis rationibus addiximus. Itaque ratio qua id confirmat & elucidat Apostolus hoc V. 13. non potest non esse imputationi fauorabilis.*

Cap.
VIII.
§ XLVI.

P L A C. Nos verò quàm illæ rationes nullæ sint, nostris & responsionibus & rationibus ita clarum fecisse arbitramur, vt nullus sit reliquus dubitandi locus.

G A R. 2. *Argumento quod hic usurpatur aduersus imputationem peccati Ade, non minùs uti poterit aliquis aduersus imputationem actualis obedientia Christi. Nam si rectè colligitur*

inobedientiam Adami non fuisse imputatam vsque ad legem, quia non perduravit vsque ad legem: quidni etiam legitime colligatur, actualem Christi obedientiam, quã se obedientem præstitit vsque ad mortem, nobis nequaquam imputari posse, quia non duravit vsque ad nostra tempora?

PLAC. Non collegi inobedientiam Adami non fuisse imputatam vsque ad legem, quia non perduravit vsque ad legem. Argumentum meum, quod est iniectum, Vir doctus in aliud transmutat ineptum & absurdum, quod possit facile & traducere, & refellere. Argumentor à verbis Apostoli. Quæritur quod peccatum sit intelligendum, cum dicit Apostolus, *per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors.* Item, *eo quod omnes peccaverunt.* Atio, illud idem intelligendum esse, quod significatur verbis seqq. *Nam vsque ad legem peccatum erat in mundo.* Negatne, an concedit Vir doctus? Concedere videtur. Subsumo igitur, Atqui verbis illis significatur peccatum habituale; id enim fuit in mundo hoc est, in hominibus vsque ad legem, nonne? Quid est in hoc meo argumento, quod reprehendi possit. Illud quæso relege, ut est in manuscripto, & expende, lector æquissime, aut etiam ut recitatum est à Viro docto.

GAR. 3. *Sed objectio facile utrinque solvetur, si distinctione utamur. Nam in obedientiã quidem Christi distinguendus est actus à fructu, & existentia ab imputatione. Etsi enim obedientia illa actualis non est amplius ratione actus & existentia; perdurat tamen, & perseverabit vsque ad finem sæculi ratione imputationis & fructus, quatenus vnius obedientiã iusti constituantur multi. Rom. v. 19. Sic in Adami peccato illo primo distingui par est actum à reatu: ut dicamus, actum quidem non durasse vsque ad legem, cum momento transferit; sed reatum perseveraturum vsque ad mundi finem, quippe cum descendat in unumquemque naturalium Adæ posterorum: Reatus enim ex vno venit in omnes in condemnationem, Rom. v. 16.*

PLAC. Cum igitur Apostolus loquatur de peccato quod vsque ad legem fuit in mundo, quid per illud peccatum intelligendum est? Actus? minimè; fatetur enim Vir doctus illum *non durasse vsque ad legem, cum momento transferit:*

Reatus? Igitur per peccatum quod vsque ad legem durauit in mundo, solus reatus intelligendus est. Detur igitur nobis locus aliquis è Nouo Testamento in quo *ἡ ἀμάρτια* pro solo reatu vsurpetur; imò detur saltem aliquis è veteri, vbi sic vsurpetur, cum de Dei iudicio agitur. Cur enim hoc loco vox illa, tam frequens, acciperetur sensu prorsus inusitato? Hoc primum; Deinde quid fiet de corruptione, quæ verè peccatum est, & reuera fuit in omnibus hominibus vsque ad legem? Quid est cur peccati nomine hoc loco, pro Apostoli more, non debeat intelligi? Potuitne Vir doctus quicquam comminisci, quod magis causam Pighij, imò Pelagij, iuuaret? Quod si dicas, peccatum, quod vsque ad legem in mundo fuit, vna cum reatu corruptionem complecti, quem intelligas reatum quæram; Illum ne qui sequitur corruptionem; (peccatum, enim cum sit, reatum ex se fundit.) an verò illum qui corruptionem antecedere dicitur, & cuius respectu corruptio non est peccatum, sed pœna peccati? Ille certè excludi non potest: intelligitur igitur corruptio duplici stipata reatu, altero antecedente, altero subsequente, quomodo peccatum accipi aliquando, nullo exemplo probari potest.

Huic argumento accedat alterum hinc petitum quod Apostolus non simpliciter dicit *peccatum fuisse in mundo*, sed addit *ἀρχὴ νόμου ἄχρι καὶ νόμου*. Intelligit autem proculdubio legem Moïsis, quam versu 20. *πρὸς τὴν ἰσχυρίαν* ut abundaret peccatum docet. Itaque loco *ἀρχὴ νόμου* dixit vers. sequente *ἄχρι καὶ νόμου*. Cur autem Apostolus illud vsurpauit *ἄχρι καὶ νόμου*, *ἄχρι καὶ Moïsem*? Nempe, vt verbis vtar Caluini, dubitari poterat an ante legem esset peccatum in mundo. Post legem fuisse minimè dubium erat. Tantùm hærebat quæstio in tempore legem præcedente. Satis igitur fuit probare peccatum fuisse in mundo ab Adam vsque ad legem. Loquitur ergo Apostolus de peccato quod post legem ita patuit in mundo esse vt probatione non egeret. Atqui primum illud pecca-

tum actuale Adami fuisse omnibus hominibus imputatum immediatè tam post latam legem Mosis quàm ante obscurum fuit. De eo igitur Apostolus non loquitur. Lata lege vitium innatum sese multò quàm antea clariùs prodidit, ac pessimorum fructuum copia redundauit. Sed imputatio primi peccati actualis tam latuit quàm antea, nullo legis præcepto, nulla cõminatione. nulla sententia declarata. Immò illa imputatio cum lege Mosaica stare non potest, vt, Deo bene fauente, suo loco planum faciam. Frustrà igitur Apostolus illam temporis circumscriptionem adhibuisset *vsque ad legem*, si de eiusmodi peccato actuali vnus hominis omnibus imputato quæstio fuisset.

Cap.
viii. §
xxvi.

G A R. *Non est verum peccati illius actualis Ada imputationem, & ante, & post legem datam, obscuram; corruptionem autem innatam & ex Adamo propagatam, cognitam fuisse. Nam si de Gentibus loquaris extra Ecclesiam, & Dei fœdus agentibus, æquè fuit ignotum utrumque: Si de fidelibus, & fœderis gratiaque diuina consortibus, æquè notum utrumque: Neque enim putandus est Paulus, cum omnes docuit, in Adamo peccasse, nouum aliquod dogma procudisse, quod sub veteri Testam. fuerit omninò inauditum & incognitum. &c.*

P L A C. Primùm vnde habet Vir doctus fidelibus veteris Testamenti *æquè notum utrumque* fuisse? Ex Scriptura? Cur locum non protulit? Ex traditione non scripta? Non igitur sufficiebat illis Scriptura; Et vbi illa traditio? Ad Paulum frustra confugit, vtrùm enim illam imputationem antecedentem docuerit, nec-ne, nunc quidem inter nos controuertitur: docuisse non probauit Vir doctus; Ego non docuisse jam aliquot argumentis probaui, & in eo sum vt probem. Deinde si *æquè ante ac post legem notum* fuit, cur Apostolus dixit *vsque ad legem*? quorsum spectant illa verba? Certè si tam notum fuit ante legem, quàm post legem, peccatum fuisse in mundo, non magis opus fuit probare, peccatum ante quàm

post legem in hominibus fuisse. Denique corruptionem innatam post legem, quam ante, notiores fuisse, ex legis & testimonijs quibus demonstrari potest, & sine qui fuit patefacere peccatum, & experientiã, ac diserto Apostoli testimonio, *peccatum non cognoui nisi per Legem* &c, ita clarum est, vt mirum sit cæcutiisse Virum doctum in tanta luce. Subiungit aliquid Augustini ex lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27. quasi ille agnouisset imputationem illam antecedentem, sed frustra. Nam & malè interpretatus est verba Dei Gen. XVII. 14. *peribit anima illius de populo meo, quoniam testamentum meum dissipauit*, ea enim de malculo infante accepit nimis duriter, & videtur Vir doctus per testamentum illud non fœdus circumcisionis intelligere, sed lex lata Adamo: cùm tamen nec hæc vnquam fœdus aut testamentum dicatur, & manifestum sit illud debere intelligi. Deinde ideò vult Augustinus perire illum infantem, quia non est *reginitus*: opponitur autem regeneratio corruptioni inhærenti, quæ habitualis est testamenti Dei dissipatio ab Adamo propagata, non autem imputationi.

Tertium argumentum mihi suppeditant quæ sequuntur apud Apostolum, *peccatum non imputatur cum lex non est*. Atqui lex non est secundum quam nobis imputetur peccatum actuale Adami. Ergo non imputatur nobis. Probo minorem: nam maior est Apostoli. Si qua eiusmodi lex esset, ea esset singularis illa de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Atqui illa iam ab aliquot annorum millibus non est ampliùs, sublatâ é rerum natura illa arbore, aut nobis prorsus ignota, &, vt cæteras Dei creaturas, concessã. Ergo lex non est secundum quam nobis imputetur peccatum actuale Adami: Ac vt lex illa primùm eiecto è paradiso homine, deinde ipso paradiso sublato, esse non desiisset, quemadmodum proculdubiò desuit, tamen eam vt legales cæremonias Dominus suo aduentu abrogasset. Fuit enim interdictum illud ceremonialis quædam lex libertatem arbi-

trij humani circa rem natura sua indifferentem circumscribens. Quemadmodum igitur non potest nobis imputari violatio legis ceremonialis, quia non sumus sub lege, sic non potest nobis imputari violatio legis olim latæ in paradiso terrestri, quoniam sub ea non sumus, ac iam olim abrogata est. Atque hæc tria argumenta versus 13. mihi dedit, tibi nullum.

Cap. 8. G A R. *Responsio in promptu est. Imprimis enim quod dicit*
 §. 27. *Apostolus, non imputari peccatum ubi non est lex, omnino gen-
 erinum est illi, quod prius dixerat, Roman. 14. 15. Ubi non est
 lex, ibi nec transgressionem esse, quod Calvinus, ad quem pro-
 vocat opponens, ita exponit, ut doceat, Apostolum, non loqui de
 simplici iustitia transgressione, à quâ nemo eximitur, sed transgres-
 sionem appellare, ubi animus edoctus quid Deo placeat, quidus
 displiceat, fines voce Dei sibi definitos sciens ac volens perum-
 pit &c.*

P L A C. Hæc responsio ad rem non est. Propositio enim illa, non imputatur peccatum ubi non est lex accipitur à Caluino cum restrictione ad legem scriptam, & hominum iudicium, Ego verò illam nunc quidem vsurpo absolutè & sine restrictione, quatenus, vniuersaliter accepta, vera est. Quid enim est in genere peccatum, nisi, à voluntate, aberratio à lege, legis transgressio? & quid est iudiciaria imputatio, nisi actio iudicis iudicantis secundum legem, siue ea naturalis, siue positiua, voce aut scripto, lata fuerit?

G A R. *Deo non sunt leges externa constituta, secundum quas necessaridè ipsi agendum sit, presertim in iudicijs occultis, Deus nolter est in cælo, quodcumque libuerit, facit, Psalmo cxy. v. 3. Atqui imputatio peccati Adæ est actio Dei iudiciaria, ut dictum ab initio, in quâ occultum iudicium & admirabile consilius eius agnoscendum est. Ergo etiam sine lege posita, potuit illud peccatum imputare. Sic ante legem à Mose traditam, imputatum est Canaani à Deo Chami patris peccatum, & peccati ab Abimelecho commissi poenas dedit familia. Quis legem externam proferat tunc existentem, secundum cuius regulas ea imputatio facta fuerit?*

PLAC. Primum de lege in genere agebatur, non in specie de lege externa. Aberrat igitur Vir doctus ab argumento cui respondere se profiteretur. Deinde, non quærebatur, an essent positæ leges Deo secundum quas ipsi necessariò agendum esset. Hoc planè alienum est à proposito. Tantùm contendo omnem imputationem peccati iudiciariam fieri secundum aliquam legem. Quomodo enim actio iudiciaria esse potest, si non fit à iudice, & ut iudicem decet? Iudex autem cùm peccatum imputat, cùm damnat, cùm punit, respectum habet ad legem, ut iustitiæ, ut legi satisfiat. Alioqui causam non video, cur eiusmodi actio iudiciaria dicatur. Quod ait imputatum à Deo Canaani peccatum patris Chami fuisse, id si verum est, imputatio illa non fuit actio iudiciaria: itaque non pertinet ad omnes Chami posteros; aut si iudiciaria fuit, ex omnibus filijs Chami autor vel particeps illius culpæ solus Canaam fuit. Certè illius solius, etiam patre Chamo omisso, Noachus, cùm maledictionem pronunciaret, nomen, & quidem ter, expressit. Quod §. xxviii. sequente subiungit Vir doctus legem secundum quam illa imputatio iudiciaria fit, esse primordiale illam legem, *quo die comederis, morte morieris*, mihi mirum videtur. Quo enim argumento ex verbis illis exsculpsit, manducationem illam omnibus Adami posteris imputari debere? Participes quidem sunt pœnarum omnes homines, sed quia sunt participes peccati. Hoc enim propagato, quid est cur illæ non propagatæ fuissent? Vidit in posteris Adami Deus malitiam omnem inobedientiæ Adami, corruptionem hæreditariam, hoc est, incredulitatem, inimicitiam habitualement aduersus Deum, legi naturæ repugnantiam &c, similiter malos similibus pœnis addixit. Flagitat enim naturæ lex, ut pariter malis, pariter malè sit. Punimur ergo propter peccatum Adami, sed mediante corruptione propagata, à qua immediatè sunt illæ pœnæ.

GAR. Cùm pœna propriè dicta, sit vindicatio peccati ex instituto legis à legitimo iudice posita: oportet sanè pœnas omnes peccati, qua in omnes homines ab Adamo prognatos hætenus incubuerunt, & ad finem usque seculorum incubitura sunt, secundum alienius legis denunciationem esse à Deo influctus, & porrò infligenda.

Cap. 8.
§. 29.

das. Est autem mors, quæ omnes iam ab initio mundi homines inuasit, pœna peccati ex propriâ suâ naturâ & conditione. Itaque ab initio omnibus inflictam fuisse consentaneum est, iuxta declarationem alicuius legis antea constitutæ. At hæc non alia inuenitur, quàm quæ Adamo posita est, & obedientiam ab eo sub disertâ mortis comminatione postulauit; cùm ab Adamo vsque ad Mosem nulla legatur alia lex vniuersalis, quæ pœnas transgressoribus minetur ac denunciet.

P L A C. Præterquam quod hæc ratio est superioris responsionis Viri docti confutatio, laborat triplici falsitate. Primò falsum est pœnas omnes peccati, quæ in omnes homines ab Adamo prognatos hætenus incubuerunt, & ad finem vsque seculorum incubituræ sunt, fuisse vindicationem peccati ex instituto legis à legitimo iudice positæ. Id patet ex eo quòd pleræque eiusmodi pœnæ non minùs infliguntur pijs, pro quibus Christus plenissimè iustitiæ & legi satisfecit, quàm impijs. Deinde falsum est omnes illas pœnas secundum alicuius legis denunciationem esse à Deo inflictas. Quæ enim legis denunciatio iubebat infligi Eux multiplicationem dolorum conceptûs & partûs, & Adamo hanc pœnam, vt in sudore vultus sui vesceretur pane, & terra proferret illi spinas & tribulos &c? Tertio falsum est nullam aliam legem vniuersalem generi humano ab Adamo vsque ad Mosem positam fuisse, quæ pœnas transgressoribus minetur ac denunciet, præter illam quæ obedientiam ab Adamo sub disertâ mortis comminatione postulauit. Nam vt omittam legem vniuersalem latam Gen. ix. de homicidio, & de sanguine, nonne ipsi Adamo & toti generi humano lata est *lex natura*, quam Apostolus vrget Rom. i. & 2? Denique vt taceam alia vitia, quæ in hoc Viri docti argumento deprehendi possunt, aberratio est à statu quæstionis. Non enim nego pœnas peccati Adami pertinere ad eius posteros, quia nempe ad eos peccatum Adami pertinet. Communicaui enim nobiscum Adamus per generationem carnalem, peccatum suum, & per peccatum, pœnas. *Per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, & per peccatum mors.* Fateor etiam propagatum in nos peccatum originale dignum esse mortis supplicio, cùm sit verè peccatum repugnans legi natu-

ræ, immò omni legi diuinæ. Hæc inter nos controuersa esse non debent. Sed quærebatur de imputatione primi Adæ peccati actualis, antecedente seu immediata, omnibus Adæ posteris, secundum quam legem fiat? Si fit secundum aliquam legem seu legis denunciationem, non potuit non fieri quin lex illa violaretur; cur igitur eam imputationem Vir doctus liberæ Dei voluntati ascribit passim? Si non fit secundum aliquam legem, quomodo est actio iudicialia, & punitur sic imputatum illud peccatum, ut legi & iustitiæ satisfiat? Nulla enim lex ut sic imputaretur, & imputatum puniretur exigebat.

G A R. Ad argumentationem, lex illa iam ab aliquot annorum millibus non est amplius &c. *Resp. Nec Arborem exarare amplius, neque adeò legem illam perdurare, quatenus respiciebat: citonalem usum fructûs illius vetiti; sed vno tamen legis perseverare, quatenus inobedientia illi Adami punitionem interminabatur, qua non Adamo tantum incubitura, verum & in omnes posteros dimanatura esset. Sicut etiam Christus in arbore Crucis directus est, & ibi maledictionem pertulit, ex vi & præscripto legis illius à Deo constituta, maledictus qui pendet in ligno, ut docet Paulus Galat. 111. 13. Sublata est Crux, & lex illa non perdurat; & tamen obedientia à Christo in maledictâ illâ Cruce præstita meritum ad nos imputatione gratiosa dimanat, & ad mundi finem dimanaturum est.*

P L A C. Nec diuinationem illam legis, nec verba, quibus concepta est, exagitabo, tantum dicam vim legis vel in mandato, vel in comminatione spectari. Illam nec perseverare, nec ad nos pertinere certum est. Hanc ad nos pertinere nec probat Vir doctus, nec quomodo probari possit intelligo. Nihil enim est in verbis comminationis, ex quo deduci possit, eam ad alios spectare, quam ad quos spectat mandatum seu interdictum. *Quo die comederis ex ea, morte morieris.* Quis non videt ad eandem personam utrumque illud verbum *comederis & morieris* spectare, non autem hoc ad omnes homines, illud ad solum Adamum? An est sensus, quo die tu & omnes posteritui comederitis ex ea, tu & posteritui moriemini? Non certè; Nemo enim posterorum Adami ex ea comedit. Num igitur est sensus, Quo die Tu comederis ex ea, eo die morte

morieris tu & omnes posteri tui? Quis non videt verba, & omnes posteri tui, affui textui, nec magis contineri in verbo *morieris*, quàm in verbo *comederis*? Quod si eo die mortuus fuisset Adam, ut merebatur eius peccatum, morte corporis & æterna, quàm vnus fuisset peccatum, tam vnus fuisset punitio, & tamen satisfactum fuisset legis comminationi. Exemplum Christi, qui, ut vas noster, loco nostro punitus est, iam aliquoties ostendi nihil iuuare imputationem immediatam primæ Adami actualis inobedientiæ. Miror autem vnde habuerit Vir doctus, Christum in cruce maledictionem pertulisse, *ex vi & præscripto legis illius à Deo constitutæ, maledictus qui pendet in ligno*. Docet quidem Paulus Gal. 3. 13. Christum pro nobis factum esse maledictionem, idque probat quia pependit in ligno, & scriptum est, maledictus quisquis pendet in ligno. Sed non docet factum fuisse maledictionem ex vi & præscripto illius legis. Nulla enim lex fuit quæ iuberet Christum in crucem agi, nec fit nobis imputatio obedientiæ à Christo in maledictâ illa cruce præstitæ secundam illam legem, aut secundum legem, sed ex mera gratia, secundum promissiones Euangelij.

Cap.
VIII. §
XXXI.

G A R. Deinde opponitur, etiamsi lex illa permaneret, tamen abolitam esse respectu nostri, ut legales ceremonias, cum fuerit lex ceremonialis, cuius violatio non potest nobis imputari, quia non sumus sub ea lege; sicut violatio legum ceremonialium non potest nobis imputari, quia sub ijs legibus non agimus. Resp. I. Qui per Christum redempti sunt, & redemptionis illius participes, ijs sanctè, ut à legibus ceremonialibus, ita etiam ab huius legis primæ rigore liberati sunt, adeoque ad eos non spectant comminationes illi additæ. Sed tamen, ut natura prior est gratiâ (cum gratia natura superueniat, eamque reformet & instauret) & unusquisque concipitur prius esse homo, quàm sit fidelis aut Christianus: Ita etiam status natura, & lex sine fœdus Naturale prius est fœdere Gratiæ, adeoque unusquisque consideratur prius sub fœdere naturali, quàm sub gratuito. Quare non debuit supponi, sed probari nos iam non esse sub ea lege. Nos verò contrario modo concludimus. Sumus naturaliter sub eâ lege. Ergo eius violatio meritò nobis imputatur.

P L A C. Itane sumus naturaliter sub illa lege? Tenemur

igitur eam obseruare. Imò ne Adamus quidem naturaliter fuit sub illa lege. Non fuit enim naturaliter in paradiso, nec lex illa naturaliter lata est, sed supernaturaliter per verbum Dei. Sumus quidem sub lege naturæ, quam & habitu, & actu, nimis, prohdolor, violamus. Sed quis non videt legem illam ceremonialem, & positiuam, verbo Dei latam, liberi arbitrij libertatem circa rem naturâ suâ moraliter nec bonam nec malam circumscribentem, hominique non quatenus homo fuit, aut mundi incola, sed tantum quatenus incola fuit paradisi, conuenientem, non fuisse legem naturæ? Putauitne Vir doctus nos naturaliter esse in paradiso terrestri? licere nobis vesci alijs arboribus paradisi? Ad legem autem naturæ quod attinet, obligat omnes & singulos ad obedientiam, sed pro se quemque, & quamdiu est. Ostendi mihi velim aliquid in ea lege, vnde probari possit, primum primi hominis peccatum actuale omnibus illius posteris imputari debere immediatè.

G A R. *Interim non est quòd putemus legitimam esse illam argumentationem; legales ceremonias esse abrogatas; hanc esse legem ceremonialem; itaque abrogatam abolitamque. Nam legales ceremonia cum hîc nominantur sine dubitatione intelliguntur statuta illa ritualia siue ceremonialia, quæ sunt à Deo Israëlî constituta per manum Mosis, vnde & ceremonia Mosaica vulgò dicuntur. Eas Christi aduentu abrogatas fuisse nihil mirum est, cum umbra essent & figura, quarum veritas & corpus est in Christo, Coloss. 2. 17. Respiciabant enim omnes ad Christum, tanquam ad complementum suum. At ceremonia, quæ in hac primauâ lege inerat, ad Christum non respiciebat, tanquam ad significatum suum. Vnde non consequitur, vt si ceremonia illæ Israëlîtica antiquata sunt, concludendum sit eo ipso, etiam abrogatam esse legem illam primordiale, ita vt nullus sit amplius eius usus, & ad homines nullâ ratione spectet.*

P L A C. Miserec me Viri docti tantum operæ ponentis, vt probet legem de arbore scientiæ boni & mali, quæ neque alibi fuit quam in paradiso terrestri, & iam ab aliquot annorum millibus esse desit in rerum natura, non esse antiquatam. Obseruat autem discrimen inter hanc primam legem ceremoniale, & Mosaicam ceremonias quod nullum est, & ad con-

firmandum potius quàm euertendum argumentum meum vā-
lere debet. Nam si ceremoniæ legales erant typi adumbrantes
ea quæ Iesu Christi Euangelio reuelata sunt, idem de ceremo-
nia illa antiqua confitendum est. Nonne enim & Adamus, &
Eua, & paradifus terrestris, & arbor vitæ, quæ in eius erat
medio, vmbrae fuerunt, quarum veritas & corpus est in Chri-
sto, aut saltem ad eus doctrinam pertinet? Quid est igitur,
cur non idem sentiamus de arbore scientiæ boni & mali?

Veniamus ad vers. 14. *sed regnavit mors etiam in eos
qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adam
qui est typus futuri.* Hic tu rectè obseruas Apostolum
causam inferre ex effectu, ac probare, omnes pec-
casse, quia mors regnavit in omnes; ac sic formas
argumentum Apostoli, debuisti dicere, tuum. Apo-
stoli enim longè abit à mente. Vbi mors regnat, nec
est reatus ex peccato proprio actuali, ibi necessariò
est imputatio reatus primi peccati. At ante legem
mors regnavit, etiam in eos in quibus non fuit rea-
tus ex peccato proprio, nempe in paruulos. Ergo in-
fantibus reatus primi peccati necessariò fuit imputa-
tus. Tu ipse vidisti negari posse maiorem: nam præ-
ter reatum ex proprio peccato actuali, & quem fru-
strà probare conaris ex peccato actuali Adæ imputa-
to, est reatus ex proprio peccato innato, & vt ita lo-
quar, habituali. Itaque obuiam is, *Nec cauillandum
est, inquis, reatum in illis esse à vitio inherente, & à pra-
ua dispositione & corruptione. Nam unde fit, vt rei & cor-
rupti nascantur, nisi quod in Adamo inclusi in illo pecca-
runt, vt dixit Apostolus, & peccatum illius ipsis imputa-
tum fuit, vt sint rei & corrupti? Nondum enim volun-
tate propria peccarunt, nec cogitatione, nec verbis, nec actio-
ne. Indè sic concludo, Quicumque moriuntur sunt peccato-
res. Pueri in utero matrum, aut recens nati moriuntur, vt*

constat experientia. Ergo pueri in utero matrum & recens nati sunt peccatores. Si sunt peccatores, idè sunt, vel quòd actu peccauerint, vel quòd primum peccatum primi parentis ipsis imputetur. Tertium siquidem dari non potest, quod illos constituat peccatores. Nam peccator quis dicitur ob peccatum; nec ullum aliud peccatum potest imputari, nisi illud primum. &c. Quid est negare vitij inhærentis seu corruptionis innatæ reatum, si hoc non est? Putarem tibi ista excidisse imprudenti æstu disputationis abrepto in Pighiani erroris scopulum, nisi te viderem diu hærentem & versantem in hac re probanda, & inculcanda quod à te factum esse, pro eo quò te prosequor amore, vehementer doleo. Dubium autem mihi non est quin admonitus statim pedem ex hoc errore referas, quem tu ipse Cap. 2. huius tui tractatus refutasti, aut saltem refutare præ te tulisti. Ego certè multò pluribus refutarem si mihi aut cum Pelagio, aut cum Pighio, aut cum Pontificio aliquo (quanquam Pontificij hoc vitium inhærens ante baptismum peccatum esse confitentur, sed post baptismum negant) negotium esset. Nunc cum sit mihi res tecum, fratre, symmista, religionem reformatam profitente & docente, te vel semel monuisse satis esse puto. Pauca tamen quædam respondebo tibi, Quæris unde fit ut rei & corrupti nascamur? Respondeo nos reos nasci, quoniam corrupti nascimur; nullum enim in infante, cum nascitur, reatum agnosco, cuius fundamentum & causa non sit corruptio inhærens. Si rursus quæras unde fiat, ut nascamur corrupti? Respondebo quia nascimur ex corrupto parente. Sic quærenti; cur homo natus sim? Respondeo, quia natus sum ex homine: cur vitiosus? Quia natus sum ex vitioso. Quod

natum est ex carne caro est. *De naturâ peccato vitiosâ non nisi natura nascitur vitiosi, id est, peccatrix secundum quod ait Apostolus Paulus, quilibet terrenus, talis & terrenus, & hoc quomodo nisi per seminis spersionem?* Sed his ipsis quæstionibus iam supra pluribus satisfeci. Hæc corruptio, quæ & concupiscentia, & peccatum antonomastice, & peccatum peccans dici solet, quæque in irrogenitis regnat, in regenitis habitat, primum est peccatum nostrum, scaturigo cæterorum. Ab ea primus noster reatus nascitur imputatâ nobis ad mortem. Moriuntur ergo infantes non ob peccatum alienum, videlicet actuale Adami sibi imputatum, sed ob proprium inhærens, insitum. At, inquis, *infantes nondum voluntate propria peccarunt, nec cogitatione, nec verbis, nec actione.* Ergò non habent proprium peccatum actuale quidem concedo, habituale verò pernego. Distingue igitur, si placet, inter peccatum quod est actio vel omissio actionis, & peccatum quod est ad ejusmodi actionem vel omissionem propensio, proclivitas, habitus. In peccato actuali, cum sit actio, ratio peccati pendet ex relatione quam habet ad suam causam efficientem, puta voluntatem. In peccato verò habituali, cum sit qualitas, ratio peccati pendet non ex ordine ad causam, sed ex relatione ad subjectum cui inhæret. Nam actio denominat causam, qualitas subjectum. Peccatum igitur infantium non est actio; nihil enim mali egerunt, sed qualitas voluntati infixâ, nimirum obliquitas, prauitas, malitia, cupiditas, ad peccata omnis generis proclivitas. Vnde vnde venerit ista malitia nihil ad rationem peccati habitualis interest, hoc ipso quod malitia, quod moralis immunditia, quod iniustitia est,

ea nos

ea nos facit formaliter malos, immundos, iniustos, qui cælo recipiamur indignos, qui detrudamur ad inferos dignos. Quod si in vtero materno, vel recens nati nihil mali egimus, id impedimento à natura posito, non autem voluntatis nostræ inclinationi adscribendum, quæ remoto illo naturæ impedimento non priùs agit, quàm actione peccat. Vides præter peccatum actuale proprium & peccatum actuale primi parentis imputatum dari tertium, scilicet peccatum habituale ingenitum. Addis paulò post, *pueros in vtero matrum aut recens natos nondum peccasse actu*, idque probas hoc argumento: *Qui non habent actum voluntatis non possunt peccare actu proprio. Sed pueri non habent actum voluntatis. Ergo pueri non possunt peccare actu proprio.* Respondeo, si peccare actu significat admittere peccatum actuale, totum concedo. Testatur enim Apostolus pueros Esauum & Iacobum nihil boni maliue egisse in vtero materno. Sed id nihil te iuuat, me potius, qui nolo eos commisisse peccatum actuale multis seculis antequam vllam haberent voluntatem, nedum voluntatis actum. At si peccare actu significat habere actu peccatum habituale, aio pueros etiam in vtero materno actu peccare: quamvis enim non habeant malum actum voluntatis, tamen habent malam voluntatem habituali aduersus Dei legem rebellionem altissimè imbutam. Addis, *pueros legem nescire, & idè transgredi non posse.* Respondeo peccato actuali, Concedo: habituali, nego: vt enim in illis nondum est actualis cognitio legis, sic neque est actualis transgressio, sed hæret tamen lex peccati in membris eorum, immò in ipsa voluntate quoad actum, vt vulgò loquuntur, primum

infixa penitus, atque natura sua repugnans legi naturæ. Hæc igitur repugnantia legi Dei & auersio habitualis ab eo quod præcipit, conuersio autem ad id quod vetat, solo Christi sanguine & spiritu medicinalis, est habitualis quædam & permanens transgressio, in pueris & adultis dormientibus: alioqui non æquum esset actu puniri qui actu nullo modo peccassent, nec puniri in propria persona qui in propria persona nullo vnquam modo peccassent.

Hinc aliquot argumenta mihi nascuntur. Primum sic habet. Probat Apostolus omnes homines peccasse siue peccatum esse in mundo, argumento ducto à regno mortis in omnes homines. Atqui eo argumento non potuit probare omnibus hominibus imputari peccatum actuale Adami, nisi negato reatu vitij inhærentis. Hunc autem reatum noluit negare. Noluit igitur eo argumento probare imputationem peccati actualis Adami omnibus hominibus.

Cap. ix. GAR. Resp. I. non probat Apostolus eo argumento omnes peccasse, sed tantum eos qui ab Adam vsque ad Moysen ante legem datam vixerunt; ut inde concludat, absurdum videri non debere, si is, qui post legem datam vixerunt, Ada peccatum imputetur, ut in loci illius analysi diximus superiori cap. n. 18. Quamquam quod ad rem ipsam, non nego eo argumento rectè probari posse, omnes omninò homines, nullo quoquam excepto naturalium Ada posterorum, peccauisse.

PLAC. Quid ad infirmandum argumentum meum facit hæc responsio? Nam siue probet Apostolus eo argumento omnes peccasse, siue probet tantum eos peccasse, qui ab Adam vsque ad Moysen vixerunt, ad argumenti mei robur nihil prorsus interest. Quamquam manifestum est, hoc non probare Apostolum, nisi ut illud probet: Et verò consilium esse Apoli hoc vniuersè probare, ipse Vir doctus, loco quem citat, affirmauerat. Dixerat nempe, inquit, Apostolus, omnes in Ada-

no peccasse, nullo quoquam excepto, eorum qui sunt ab ipso naturaliter prognati. Illud ergo vers. 13. & 14. probat hoc modo. &c.

G A R. 2. *Nego argumento Apostolico non posse probari imputationem, nisi negatâ corruptione, vel reatu vitij inherentis. Imò cum reatus ex peccato Adæ, & ex vitio nobis inherente, non sint duo reatûs distincti, sed unus idemque reatus ex utroque consurgens, quicumque probat nos reos esse propter peccatum Adæ, eadem ratione probat nos esse reos ex vitio inherente.*

P L A C. Si imputationem intelligit consequentem seu mediatam, rectè negat; sed aberrat à statu quæstionis. Agitur enim in argumento de sola imputatione immediata. Itaque cum subijcit ex peccato Adæ & ex vitio nobis inherente non duos reatus distinctos, sed vnum eundemque reatum consurgere, causam meam iuvat: mea enim hæc est sententia. Vnus idemque reatus ex utroque consurgit, nimirum ex vitio nobis inherente immediatè, ex peccato Adæ actuali mediatè. Hæc est imputatio mediata seu consequens corruptionem, quam vrgeo. Nam postâ imputatione antecedente seu immediatâ, necessariò sunt duo reatus distincti: nam alter est immediatè ex peccato Adæ actuali imputato, alter ex vitio nobis inherente; ille antecedit corruptionem, hic sequitur, illius respectu corruptio est pœna propriè dicta inflicta propter reatum imputati peccati, vt puniatur seu vindicetur, huius verò respectu corruptio nullo modo est pœna, sed peccatum tantum; denique corruptio est illius reatus effectum, huius verò fundamentum & causa. Sunt igitur admodum distincti.

G A R. 3. *In causis socijs, ex vnius positione non est inferenda alterius negatio. At imputatio & corruptio sunt cause sociæ & coniunctæ reatûs illius nostri, quo morti subijcitur. Ergo ex positione reatûs provenientis ab imputatione, non est negandus reatus ex corruptione, neque putandus Apostolus negasse.*

P L A C. Quis non videt hanc argumentationem Viri docti, si imputationem intelligit immediatam, nihil nisi peccationem esse τὸ ἐν ἀρχῇ? Sumit enim in minore id ipsum quod

internos controuertitur. Sin imputationem mediatam intelligit, præterquam quod aberrat à statu quæstionis, falsum est corruptionem & peccatum actuale Adami causas esse socias reatus nostri: hic enim, vt dixi, immediatè est à corruptione, & mediatè, hoc est, mediante corruptione à peccato Adæ actuali. Causarum sociarum altera sine altera non sufficit producendo effectui; sed corruptio sufficit damnando generi humano teste Confessione fidei Art. XI. Peccatum etiam actuale imputatum immediatè, si fides habetur illius imputationis autoribus, vel defensoribus, meretur corruptionem seu mortem animæ, mortem corporis, & æternam. Non sunt igitur causæ partiales seu sociæ, sed, vt ita loquar, totales. Sed præterea, à positione vnus non intuli negationem alterius, sed tantum affirmari, *eo argumento*, quo utitur Apostolus, ducto à regno mortis, *non potuisse probari, omnibus hominibus imputari*, nimirum *immediatè, peccatum actuale Adami, nisi negato reatu vitij inherentis*. Experiatur qui volet, num ex illo argumento id probari possit, & comperiet verum esse quod dixi. Hoc quia hîc Vir doctus non facit, nec facere tentat, à re-cta & solida disputandi ratione, vt alibi solet, discedit.

Secundum est eiusmodi. Vbi mors regnat, ibi regnat peccatum ad mortem. In omnibus hominibus mors regnat. Ergo in omnibus hominibus regnat peccatum ad mortem. vbi autem peccatum regnat, ibi reuera est, non autem imputatiuè tantum. Cùm enim secundum Apostolum mors & peccatum reciprocentur: dixit enim versu antecedente, mortem ad omnes pertransiisse, quia omnes peccauerunt, & rursus, peccatum fuisse in mundo, id est, in omnibus hominibus, quia mors regnavit in omnes homines; Certè vbi verè, & reapse, mors est, ibi etiam verè & reapse est peccatum, & vbi est regnum mortis ibi etiam est regnum peccati. Absurdum autem, peccatum vbi verè & reipsa regnat, ibi non esse nisi imputatione. Quod si regnum mortis in omnes homi-

nes testatur in omnibus esse & regnare peccatum, Nullum autem sit in omnibus præter vitium innatum. Fatendum est de eo intelligendam esse rationationem Apostoli, ac proinde ea non doceri imputationem primi peccati actualis immediatam omnibus hominibus.

G A R. *Ratiocinatio hæc nos ne longâ quidem manu ferit. Cap IX: Vbi peccatum regnat, inquit, ibi reuera est, non tantum imputatiuè. Agnosco. Sed quid hoc aduersus me? Argumentabor enim. Vbi peccatum reuera est, non tantum imputatiuè, ibi etiam imputatiuè esse agnoscitur. At vos fatemini & docetis, ubi peccatum regnat, ibi esse reuerâ, & non tantum imputatiuè. Ergo & ibi esse imputatiuè agnoscitis. Quid igitur vobis ita displicet imputatio peccati?* S. VIIIo

P L A C. Hæc responsio & argumentatio nititur voce tantum, non tantum imputatiuè: quæ vox neque in Manuscripto extat, neque in verbis meis, ut sunt à Viro docto recitata. Nempe illam de suo addidit, ut posset sic respondere, & argumentari. Quanquam etiam si vsus fuisset illa voce tantum, id nihil mihi officeret. Quod enim in nobis reuera est peccatum, id in nobis non est imputatiuè vlllo modo: quamuis enim nobis imputari possit, & nisi condonetur, imputetur, tamen non est in nobis per imputationem, sed per veram inherentiã: & vice versa, peccatum quod dicitur nostrum non esse nisi per imputationem, in nobis reuera non est. Si ergo loquitur Apostolus de peccato quod non est in nobis tantum imputatiuè, sed reuera, cerè non loquitur de peccato actuali Adæ: hoc enim, si dici potest esse in nobis, est in nobis tantum imputatiuè: sed de peccato propagato, quod imputatur quidem nobis; sed non tantum nobis imputatur, verum reuerâ inheret in nobis. Nobis porrò non displicet imputatio peccati inherentiã, nec imputatio peccati actualis primi mediata, solam immediatam, seu antecedentem oppugnamus.

G A R. 2. *Quod subicitur, hunc, nisi fallor, sensum habet. Apostolus loquitur de peccato, quod in omnibus regnat. At non est aliud peccatum, quod in omnibus regnet, præter vi-*

*tium & corruptionem innatam. Ergo de eâ solâ loquitur Aposto-
lus. Cujus argumenti partem illam non supponere, sed probare
debuerunt, videlicet, non esse aliud peccatum, quod in omnibus
regnet, præter corruptionem hereditariam. Nam potest ea haud
immeritò negari. Cùm enim peccatum regnare dicatur, ubi
vim suam exercet, & hominem mortis reum efficit: peccatum
autem illud primum & actuale Adami vim suam in omnes ho-
mines exerccat, & eos morti addicat, quemadmodum suprâ fa-
tebantur, cum dicerent Apostolum verbis illis ἐπὶ ὧν πάντες ἠμάρ-
των docere, quod mirum videri non debeat in vno vnius homi-
nis peccato tantam vim inesse, ut totam hominum multitudinem
morti addiceret, cap. 8. n. 17. consequitur, ut rectè dici possit, illud
actuale peccatum regnare in omnibus.*

PLAC. Sic etiam argumentatus sum, Apostolus loqui-
tur de peccato quod in omnibus regnat. Atqui peccatum ubi
regnat, ibi reuera est. Ergo loquitur de peccato quod est re-
uera in omnibus hominibus. Illud autem est corruptio inhæ-
rens, non autem prius peccatum actuale Adami. Item sic,
Apostolus loquitur de peccato in omnibus regnante. Atqui
Corruptio est peccatum in omnibus regnans. Loquitur igitur
de Corruptione. Iam si loquitur de Corruptione, quo argu-
mento probabitur eum loqui de peccato actuale Adami omni-
bus immediatè imputato? His argumentis nihil respondet.
Cui autem respondet, id facilè tueor. Primum enim illud
constat, in omnibus regnare corruptionem, antequam rege-
nerentur: regnare verò peccatum actuale Adami immediatè,
seu per imputationem immediatam, id nunc non constat, sed
illud ipsum est, quod inter nos controuertitur. Hactenus igitur
melior est causa mea quàm eorum qui me oppugnant.
Supponunt enim, quod probari prius debuit, quàm supponi,
nec tamen aut probatum ab eis est, aut probari potest. Dein-
de si peccatum regnare dicitur, ubi vim suam exercet, & hominem
mortis reum efficit sola imputatione, quamuis reuera non ibi
sit, potuit dici peccatum regnare in Domino nostro Iesu Chri-
sto mortem ob peccata nostra perpeffo. Id quod tamen quo-
minus dici possit pia refugit conscientia. Præterea cùm Deus
sit autor imputationis, & imputatio sit causa cur peccatum il-

Iud actuale eo modo regnet, Deus erit autor regni peccati: qua à cogitatione etiam conscientia abhorret. Denique cum argumentetur Apostolus à regno mortis ad regnum peccati, & per mortem intelligat, non mortem Adami, sed mortem qua quitque reipsa moritur, consentaneum est, vt peccatum intelligat, non peccatum Adami, sed quod reuera in vnoquoque homine est, viuit, regnat, donec per Christum damnetur ac destruat. Peccatum actuale Adami ex nostra sententia non imputatur, nec totam hominum multitudinem morti addicit, nisi mediante Corruptione. Itaque nobis nullo modo contradicimus.

Tertium peto ex illis verbis, *etiam in eos qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adami*. Quis enim putet Apostolum sic locuturum fuisse, si in eo fuisset vt doceret, omnes homines illud ipsum peccatum actuale, illam ipsammet transgressionem Adami peccasse? Quomodo enim diceret quosdam homines non peccasse quemadmodum ille peccauit, si doceret omnes homines illud ipsum, quod peccauit, peccasse?

G A R. *Argumentum ita est. Qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ, illi non peccarunt peccatum actuale Adami. At Apostolus dicit esse quosdam homines qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ. Ergo significat aliquos esse, qui non peccarunt peccatum actuale Adami. Sed nihil difficile est. Nam qui sunt, qui dicuntur non peccasse ad similitudinem transgressionis Adæ? qui peccatum actuale in propria persona non commiserunt, sicut commisit Adam, quales sunt infantes: qui proinde non possunt dici proprie & personaliter peccatum illud patrassè, quod patrauit Adam. Quod quidem nemo, non dicam de infantibus, sed ne quidem de adultis hætenus somnauit. Sed quibus rationibus probabitur, eos qui personaliter peccatum Adæ non commiserunt, siue infantes, siue adultos, non haberi tamen apud Deum illius actualis peccati reos?* Cap. IX.
S. IX.

P L A C. Videtur Vir doctus Maiorem argumenti negare. Nam alioqui quo tenderet ista eius responsio, aut quid

noceret argūmento ? Eam igitur sic probo, aut, si hoc magis placet, argumentum sic formo. Qui peccauerunt, peccatum dissimile transgressioni Adæ, illi non peccauerunt transgressionem Adæ : transgressio enim Adæ non est sibi ipsi dissimilis. Atqui illi qui peccauerunt, nec tamen peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adæ, peccauerunt peccatum dissimile transgressioni Adæ. Ergo non peccauerunt illam ipsam transgressionem Adæ. Docet enim Apostolus omnes peccasse, quod peccatum ? Peccatum, si creditur Viro docto, adeo non dissimile transgressioni Adæ, vt sit ipsa Adæ transgressio ? At illi non peccauerunt personaliter. Imò, inquam, Apostolus tam personaliter vult peccasse, quàm personaliter moriuntur. Agitur enim de regno mortis, quod omnibus & singulis personaliter conuenit, ex quo infertur regnum peccati omnibus & singulis itidem personaliter conueniens. Omnes enim ita peccauerunt, vt cuiusque propria persona sit peccatrix, sit rea. Quibus personaliter peccatum verè, & meritò seu iure imputatur, illi personaliter peccauerunt ; alioqui falsò illis personaliter imputaretur peccatum, quod personaliter illis non conueniret: imputatur enim non vt vadibus peccatorum, sed vt peccatoribus, hoc est, peccati causis vel subiectis.

Pergis, & quia in fine huius versus 14. Apostolus dixit Adamum fuisse typum illius qui venturus erat, videlicet Christi, obseruas *inter typum & rem typo adumbratam esse similitudinem oportere : respondere autem hunc typum antitypo in contrario effectu*, Et hætenus rectè. Explicas autem illam similitudinem sic. *Quemadmodum per Adamum peccatum introijt in omnes homines, & per peccatum mors, eo quod in Adamo omnes peccauerunt : sic per Christum iustitia introijt in omnes credentes, & per iustitiam vita, eo quod in Christo omnes credentes pro peccatis satisfecerunt.* Hicaliquid desidero. Primum enim duas expositiones verborum *ep' & simul* coniungis, quarum tamen alterâ te contentum esse oportuit. Deinde dicis omnes homines peccasse in Adamo

Adamo eo sensu, quem alienum esse à mente Apostoli docui. Tum in redditione similitudinis mentionem facis modi quo simus compotes iustitiæ Christi, nempe fidei, à qua consultò abstinuit Apostolus in tota hac comparatione. Præterea tu eadem verba in redditione retines, quæ sunt adhibita in protali, quæ si ipse Apostolus *αποδοσει* expressisset, meâ quidem sententiâ immutasset paululum, atque ad rei naturam accommodasset: non enim quemadmodum peccatum in nos introiit tam verè quàm mors, sic in nos introiit Christi satisfactio tam verè quàm vita. Adhæc tu in *αποδοσει* vsus es verbis præteriti temporis præter consuetudinem Apostoli in hac collatione. Denique tu vrges illa verba, *& ita in omnes homines mors pertransijt, eo quòd omnes peccarunt*, quæ tamen nihil sunt nisi præcedentium, *peccatum introijt in mundum & per peccatum mors*, expositio; vt quàm latè vtrumque illud malum pateat intelligamus, ac simul confirmatio: quod enim omnibus hominibus commune est, id à communi omnium hominum origine fluxisse putandum est. Malim igitur hanc comparationem ita simpliciter instituire, *Quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum introiit & per peccatum mors, sic per vnum hominem donum iustitiæ indultum est mundo, & per iustitiam vita æterna. Quod si libet etiam illa verba reddere, & ita mors in omnes homines transijt, quia omnes peccauerunt*, sic reddam, & ita vita æterna omnibus communicabitur, quoniam omnes iustificabuntur. Sed hæc verba, vt dixi, non videntur ad iustitiam & vitam accommodanda, & sic accommodata sententiam aut falsam, aut benignâ interpretatione molliendam efficiunt. Sed per-

ge. *Quemadmodum, addis, satisfactio Christi nostra fit per imputationem, sic peccatum Adami nostrum est per imputationem: & veluti obedientia Christi nobis imputatur, ita transgressio Adami nobis imputatur.* Hoc falsum est nec sequitur vlllo modo ex collatione quam Apostolus inter primum & secundum Adamum instituit. Christi satisfactio nostra est dono: Itaque vocatur ab Apostolo in hac comparatione χάρισμα, δώρημα, χάρις, δωρεά. Transgressio Adami nostra non est dono. Deum non decuit eâ nos donare. Adamus nec voluit nec potuit. Bona dando attribui possunt, non culpæ. Est enim peccati imputatio à iustitia, satisfactionis à gratia.

Cham.

panstr.

tom. 3.

lib. 1.

c. 4. §.

VI. VII.

Audi Chamierum, Si nihil habent infantes peccati proprij, cur propria morte pereunt? Nam propter alienam culpam, que tantum aliena sit, non fert iustitia divina. &c. Quod si excipiat quis servari fidelis propter iustitiam, non suam, sed Christi: Itaque posse etiam damnari propter alienam iniustitiam, is verò non videt comparari valde diuersa: Nam damnatio est à iustitia, salus autem à gratia. Nam si esset etiam ipsa à iustitia, non posset nos aliena iustitia servare: quare ne aliena quidem culpa damnare.

G A R. Resp. 1. Imputationem peccati ex illâ comparatione

Cap. 9. sequi, si negat disputator; At certè rationes suprâ demonstrarunt,

§. x. que simplici negatione, tanquam oris flatu, dissipari non possunt.

P L A C. Imputationem primi peccati actualis immediatam nego ex illâ comparatione sequi, eaque neque suprâ demonstrata est, neque vlla ratione demonstrari potest, neque hoc loco vtor simplici negatione, sed rationes & ab Apostolo, & à præstantissimo Chamiero validas mutuatus, sum quibus meam negationem fulcirem.

G A R. 2. Ratio verò cur Adami transgressio imputari non possit, nullius momenti est, quia scilicet, inquit, transgressio est ex iustitia, satisfactio est ex dono, Quasi verò nihil imputari

*posset, quod est ex iustitia, sed illud tantum quod est ex dono. At-
qui fieri potest, ut & quod ex dono est, non imputetur; & quod ex
iustitia est, imputetur, &c.*

PLAC. Ad id quod mihi obiectum fuerat, *Quemadmo-
dum satisfactio Christi nostra fit per imputationem, sic peccatum
Adami nostrum est per imputationem*, responderam negando,
quomodo satisfactio Christi nostra est, eodem modo nostrum
esse peccatum Adami: illam enim nostram esse dono, quomo-
do peccatum Adami nostrum esse non potest. Nonne id ve-
rum est? Estne in hac responsione quod iure queat reprehen-
di? Quid ergo facit Vir doctus? Perinde disputat ac si nega-
rem, nihil imputari posse, quod sit ex iustitia; id omne & solum
imputari posse, quod sit ex dono: ita fingit sibi monstrum,
quod debellet. Hoc mihi satis est hoc loco, nostram esse Chri-
sti satisfactionem dono; id quod non negat, nec potest nega-
re Vir doctus; peccatum autem Adami dono nostrum non esse:
id quod etiam confiteri mihi videtur. Sed argumentemur ex
concessis. Iustitia suum cuique tribuit, non autem alienum.
Si ergo nobis tribuit & imputat peccatum actuale primum
Adami, nobis id tribuit quia nostrum est. Peto quomodo no-
strum est? quomodo Christi satisfactio nostra est? minime;
dono enim nostrum nec est, nec esse potest. Propagatione
naturali? Non propagatur, nisi quatenus corruptio quæ pro-
pagatur, illius quædam communio & habitualis approbatio
est; unde nulla exoriri potest imputatio, nisi consequens seu
mediata. Imputatione? Facit ergo iustitia, tribuendo seu im-
putando, nostrum, quod nostrum non erat: id quod non est iu-
stitiæ, præsertim iudicantis secundum legem. Alioqui posset
Iudex innocentem quemlibet damnare, imputando nempe
ei alterius peccatum, si quidem imputatio sufficeret, ut esse
posset ex iustitia peccatum eius cui imputaretur.

GAR. 3. *Quid est quod addunt; si satisfactio esset à iusti-
tiâ, non posset aliena iustitia nos servare? Nam sane quod Christus
Patri satisfecit, fuit ex ratione iustitiæ divinæ, quæ non nisi illâ sa-
tisfactione præstitâ poterat ab universali hominum de-
structione; quod illi quibuscum agimus multis argumentis alibi
astruunt; Et tamen illa satisfactio nobis imputatur. Est ergo à*

gratia quidem satisfactionis imputatio ; sed à iustitiâ est satisfactio exactio. Ita ex iniustitiâ fuit, quod Adam peccauit ; ex iustitiâ, quod eius posteris peccatum illud imputatum est. Sed ex iniustitiâ fuit, quod Christus Patri satisfacit. Ex gratiâ est, quod illa satisfactio nobis imputatur.

PLAC. Nunc Chamierum, cuius verba laudaueram, oppugnat ; sed, pro suo more, aliquid in verbis & sensu mutando, vt sibi ipse ansam præbeat aliquid reponendi. Non dixerat Chamierus, si *satisfactio* esset à iustitiâ, sed si *salus* esset à iustitiâ. Interest autem discriminis nonnihil inter quas illas voces, salutem & satisfactionem : Certè salus non est ex ratione iustitiæ diuinæ, sed ex mera misericordiâ & gratia : Nam contraria saluti perditio erat ex ratione iustitiæ diuinæ. Deinde vt maximè salutis nomine satisfactio intelligeretur, spectaretur non respectu iustitiæ Patris cui satisfactum est, sed respectu nostri, quorum non est ex iustitiâ, sed ex dono tantum. Cum igitur illa dono nostra sit, etiam ex gratia est quod nobis imputatur. Ad peccatum autem Adami quod attinet, si nobis imputatur ex iustitiâ, idè nobis imputatur, quia verè nostrum est. Non enim nobis tribuit iustitiâ, nisi quod nostrum est. Prius igitur est nostrum, quàm vt nobis imputetur. Falsum ergo est quod toties inculcant, nostrum non esse nisi per imputationem. Iam quæritur quo iure sit nostrum. Ad coniunctionem naturalem confugere non potes : ita enim nostra essent alia peccata Adami, nec non aliorum parentum nostrorum : Nec ad fœdus, cuius neque vestigium vllum apparet in Scriptura, & cum æquitate conciliatio impossibilis.

Ex versibus sequentibus, in quibus Apostolus summâ, vt solet omnia, sapientiâ hanc Adamum inter & Christum comparationem persequitur, tu obseruas Apostolum memorare *lapsus vnus, peccatum vnus, reatum ex vno* ; & inde sic argumentaris, *Si lapsus, & culpa, seu reatus vnus, qui solus peccauit, est condemnatio omnium hominum, & omnes morti obnoxios reddit, necesse est vt omnes homines sint correi, seu participes eiusdem lapsus & reatus.* Atqui verum prius ex

*Apostolo in textu. Ergo & posterius, scilicet omnes homines esse correos & participes lapsus & reatus Adami, quomodo verò participes, nisi illius vnus lapsus & reatus ipsis imputetur, eo quod in ipso peccauerint? Non obseruabo diligentius tua hæc verba: non dicam Apostolum non dixisse lapsum, culpam, reatum vnus, qui solus peccauit, esse condemnationem omnium hominum, cautiùs locutus est. Non dicam, si Adamus solus peccauerit, nos igitur vna cum eo non peccauisse. Non dicam, si illius vnus lapsus & reatus nobis imputetur, eo quod in ipso peccauimus, nos igitur prius peccasse, ac illud peccatum nostrum esse quàm vt nobis imputetur: Itaque non fieri, vt tu dicere soles, nostrum imputatione. Respondebo tantùm illud ipsum quod tu tibi ipse respondes, nos esse participes lapsus Adami ac proinde correos, non quidem illius vnus lapsus & reatus imputatione, sed reali communicatione & propagatione in nos vitiositatis, quam suo illo lapsu contraxit, quæ, quia habitualis quædam inobedientia & rebellio est aduersus Deum ex actuali illa inobedientia nata ac in nos propagata, reos nos facit & condemnatione dignos. Quid reponis? *Corruptionem illam reuera esse pœnam, & effectum illius lapsus.* Effectum Concedo. Pœnam qualem tu intelligis proprièdictam & nostri respectu, Nego. Id affirmasti jam sapiùs, probare ne semel quidem conatus es. Ego jam refutaui, & Deo dante iterum refutabo suo loco. Addis, *sed Apostolus loquitur de reatu, qui est ex vno lapsu.* Loquitur sane de reatu, qui ortus quidem est ex vno lapsu Adami, sed mediante corruptione inhærente. Hoc medocuit Calvinus, vellem te etiam, *Quod vnus delicto perijisse**

nos tradit, sic accipe, quia ex ipso in nos corruptio transfusa sit. Neque enim sic perimus eius culpa, quasi extra culpam ipsi simus: sed quia eius peccatum peccati nostri causa est, exitium nostrum illi Paulus adscribit. Peccatum nostrum voco quod nobis ingenitum est, & cum quo nascimur. Id ipsum me Martyr quoque, alijque docuerunt Theologi maximi. Sed non libenter humanâ auctoritate diuinam veritatem fulcio, quam suis ipsam viribus satis pollentem semper existimaui. Fateor nos esse participes peccati & reatus Adami, sed nego ideò participes, quia nobis imputetur. Id tibi probandum est, non simpliciter, vt perpetuò facis, affirmandum. Nego corruptionem esse poenam offensæ Adami, quemadmodum tu rursus sine vlla probatione inculcas. Transgressio Adami fuit actualis rebellio aduersus Deum, ea reliquit in anima Adami rebellionem habitualem, quam vitium & corruptionem & peccatum originale appellamus, eam sine vlla imputatione tam propagauit, quam ipsam naturam humanam. Hinc quàm sumus participes naturæ eius humanæ, tam sumus participes eius rebellionis. Hanc participationem reatus noster sequitur. Hoc oppugna, si potes.

Cap. 9.
§. xi. **G A R. I.** *Vt videatur illius responsionis & de vicia reuocandi sunt ad scopum Apostoli, qui cum hoc agat, vt ex Adami typo & comparatione illustret doctrinam de iustificatione per imputationem iustitiæ Christi, vt diximus; aut parum omnino agit, aut de imputatione primi peccati agit. Neque enim si, non imputatione peccati Adæ, sed tantum vitiositatis propagatione, rei sumus, rectè & legitime vnquam ex illa comparatione inferri poterit, nos esse iustos imputatione iustitiæ Christi. &c.*

P L A C. *Iam aliquoties negauimus comparisonem illam inter Christum & Adamum institutam ab Apostolo fuisse,*

vt illustraret modum per quem iustificamur, seu per quem iustitia nostra est : is enim modus, cum sit oppositus ei modo quo peccatum est nostrum, dissimilitudinem potius inter vtrumque, quam similitudinem efficit, eamque dissimilitudinem, vt dixi, Apostolus dissimilibus vtens vocibus satis apertè insinuauit. Supponit igitur Vir doctus, quod erat probandum, Apostolum ex illa comparatione inferre velle, nos esse iustos imputatione iustitiæ Christi : hic enim modus nec ab eo exprimitur, nec potest ab illa comparatione deduci, nisi quatenus, vt non damnat in foro peccatum nisi imputetur, sic non iustificat iustitia nisi ipsa quoque à iudice imputetur. Sed imputatio peccati, quoniam aliunde esse non potest quam à iustitia, quæ suum cuique tribuit, ipsa rei naturâ & veritate nititur. Imputatio verò iustitiæ ex gratia cum sit, Dei & Christi donatione nititur : Est enim in nobis reuera peccatum quod nobis imputetur ad condemnationem, sed nulla est in nobis iustitia, quæ possit nobis ad iustificationem imputari, & peccatum Adami nostrum est naturâ, quia naturâ propagatum nobis inhæret : Christi verò iustitia nostra est ex gratia; gratuitum enim Dei donum est. Condemnatio est ex merito nostro, iustificatio ex merâ Dei gratiâ.

G A R. Si iusti sumus in Christo, quomodo peccatores in Adamo, & in Adamo non imputatione, sed vitiositatis tantum inhesionem sumus peccatores, rem sibi consecutam habent Pontificij, vt ex ista comparatione concludant : Ergo, nos esse iustos in Christo, non aliqua iustitia ipsius imputatione, sed vera iustitiæ infusione & inhesionem. Ita non possunt nobis doctrinam imputationis peccati excutere, vt non eodem molimine iustitiæ imputationem concutiant, & iustificationis doctrinam hoc loco ab Apostolo tractatam per latus nostrum confodiant.

P L A C. Nostræ doctrinæ Vir doctus imputat culpam suæ. Non enim ex nostra, sed ex ipsius falsâ hypothesi, nos esse iustos in Christo quomodo peccatores sumus in Adamo, Pontificia illa conclusio sequitur, quæ positâ illa hypothesi nulla arte declinari potest. Sic enim illi colligent, Si iusti sumus in Christo, quomodo peccatores sumus in Adamo, & in Adamo non tantum imputatione ipsius iniustitiæ, sed etiam vera iniustitiæ

nobis inhærentis communicatione peccatores sumus. Ergo; iusti sumus in Christo non tantum iustitiæ ipsius imputatione, sed etiam veræ iustitiæ nobis inhærentis communicatione; iusti, inquam, sicut peccatores, in foro diuino.

G A R. 2. *Quantumuis lapsus primi reatus ad nos non perueniat, nisi mediante Corruptione, quod cum Caluino agnoscimus, & superius expositum est, illud tamen obstare non potest, quominus reatus ille sit non tantum corruptionis nostra, sed & primi actualis Adæ peccati reatus: Imò contra concludendum est; quod ad nos peruenit alio mediante, ipsum tamen verè peruenit, vt, lumen solis, quia peruenit ad nos mediante aère, eo ipso ad nos verè pertinere dicimus. Atqui peccati primi reatus, mediante corruptione ad nos pertingit. Ergo ipse reatus primi peccati verè ad nos peruenit, & ex illo lapsu, & per illum lapsum verè rei sumus.*

P L A C. Totum concedo. Egregiè hîc pro imputatione mediata, contra immediatam loquitur hoc loco Vir doctus. Vtinam sic cum Caluino constanter & ipse sensisset, & omnes sentirent: me certe haberent omni ex parte consentientem. Agnosco enim primi peccati reatum mediante corruptione ad nos pertinere. Nos ex illo lapsu & per illum lapsum, mediatè; hoc est, mediante corruptione, reos esse: vt sit reatus immediatè à corruptione, & mediatè à primo peccato Adæ. Nec displicet ductum à lumine solis exemplum. Pertingit enim ad nos immediatè lumen solis, non illud quod inhæret in sole, sed illud quod est in aère à sole.

G A R. 3. *Quomodo rebellio habitualis, quam in ipsius Adami anima transgressio actualis reliquit, sit ipsum vitium & peccatum originale in nobis inherens: explicet qui poterit. Mibi sane monstro simile videtur, vt quod adhaesit in alterius anima, sine omni imputatione nostrum dicatur, imò nobis inherere asseratur, cum tamen non amplius sit in mundo: dixisset potius effectum esse & sequelam illius corruptionis in Adami anima inherentis; sed ipsam illam corruptionem dici nulla ratio patitur, quantum ego quidem cogitatione assequi possum.*

P L A C. Atqui id explicatum à me satis est in hoc ipso Manuscripti loco, si voluisset Vir doctus attendere. Maluit, vt haberet quod reprehenderet, fingere sibi quiddam monstro simile.

simile, quasi illam ipsam rebellionem habitualem, quæ in ipsius Adami anima hæsit, eandem numero nobis inhærere assererem; cum tamen disertis verbis propagatam vna cum natura dixerim: differt autem numero, ut natura, sic rebellio habitualis propagata à propagante. Quid est natura nostra nisi natura Adami propagata? Quid est similiter nostra corruptio, nisi corruptio Adami propagata? Hoc faciliè intelligit qui vult intelligere.

Repones fortè qualem naturam Adamus habuit talem ad nos transmisisse; habuisse autem ream & corruptam; talem igitur ad nos transmisisse. Totum concedo. Tantùm obseruo naturam propriè loquendo nec peccare, nec ream esse. Vtrumque personarum est proprium, nec conuenit naturæ nisi quatenus certo quodam modo singulari subsistit, hoc est, est persona. Adamus autem primò commisit actionem illam singularem quæ eius est transgressio seu peccatum actuale, deinde hoc ipso corruptus factus est. Itaque eius reatus non modò ex corruptione illa, sed etiam ex eius actione ortus est. Nos autem, quoniam actionem suam propagare non potuit, nullum ab eo trahimus peccatum præter illam corruptionem, neque alium reatum quàm eum qui ex illa corruptione nascitur. Quocirca Apostolus obseruat reatum, qui per unum qui peccauit introiit in mundum, esse ex vna offensa tantùm, nempe ab Adamo non habemus, nisi vnum peccatum habituale siue lapsum habitualement, ex quo vno noster reatus. Alioqui posita inputatione peccati actualis Adami, aut negandus esset reatus qui ex corruptione nascitur, aut fatendum reatum quem ex Adamo habemus esse ex tribus peccatis: primùm ex peccato actuali Adami nobis imputato immediatè; deinde ex peccato habi-

tuali seu corruptione quæ fuit in ipso Adamo : dici enim non potest cur eius peccatum actuale nobis imputetur , non imputetur potiùs eius corruptio ; hæc enim naturæ peccatum dici solet , illud personæ. Tertio denique ex corruptione in nos propagata ac nobis inhærente ; vt taceam causam idoneam reddi non posse , quamobrem , si nobis primum peccatum Adami actuale imputatur immediatè , non imputentur etiam reliqua eius peccata actualia : nam si eramus in eius lumbis cum primùm illud peccatum perpetravit , eramus pariter in eius lumbis spatio centum & triginta annorum antequam Sethum generaret , cum eo toto tempore varia peccata admittèret contra legem naturæ. Si dicas solum primum eius peccatum actuale corrupisse naturam , verum quidem dixeris ; sed nihil ad rem , quoniam vis primum illud peccatum actuale præcisè sumptum & Adamo & nobis immediatè imputari , ac quia imputetur , infligi & Adamo & nobis corruptionem in pœnam. Sequitur igitur tuâ sententiâ corruptio imputationem vt pœna , ac proindè causa nullo modo est cur peccatum illud actuale nobis imputetur. Vides igitur illam tuam imputationem verbis illis Apostoli confossam vers. 16.

τὸ μὲν ὃ κρίμα ἐξ ἑνὸς sub. παρ᾽ ἑπιώματος , *Nam reatus quidem est ex vno peccato.* Ac ne dicas vnum pro primo vsurpatum , opponit Apostolus vnum multis , non autem secundo ; τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν ἁμαρτημάτων εἰς δικαίωμα , *donum verò est ex multis peccatis in iustificationem.*

Supereit vers. 19. ὡς περ ὃ δια τῆς ἁπακοῆς τῆ ἐνὸς ἀνθρώπου ἀνθρώποι καταδικάζονται οἱ πολλοί , ἕτοιχ δια τῆ ὑπακοῆς τῆ ἐνὸς δικαιοῦ καταδικάζονται οἱ πολλοί , *sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi , ita per vnius obe-*

dientiam iusti constituentur multi. Hinc sic argumentaris, *Si peccatores constituti sumus per inobedientiam Adami, necesse est ut illius inobedientia nobis imputetur: Nam non potest constituere nos peccatores nisi sit nostra, nec nostra esse potest nisi imputatione. Atqui constituimur peccatores per inobedientiam Adami. Ergo inobedientia Adami nobis imputatur.* Huius tui argumenti solutionem legere potuisti apud eruditissimum Chamierum Pâstr. tom. 3. lib. 1. de homine corrupto cap. VIII. à me in thesibus laudato §. XVII. eam ab ipso mutuabor, & ad tuum argumentum accommodabo. Per inobedientiam constituimur peccatores *vel formaliter, vel causaliter.* Formaliter constituimur peccatores per inobedientiam, quæ vel à nobis ipsis commissa est, vel *in nobis ipsis inest tanquam qualitas peccatrix, ut albus paries formaliter constituitur per albedinem ipsi inherentem & podagricus quispiam per habitum podagricum ipsius articulis insitum.* Causaliter verò peccatores constituimur per inobedientiam, quæ est causa efficiens qualitatis illius peccatricis, qua in nobis hæret. Inobedientia, quæ nos constituit formaliter peccatores, nobis imputatur immediatè; quæ tantùm causaliter, ea aut non imputatur, aut si dicitur imputari, id accipiendum est mediatè tantùm; quia eius causa est quod nobis imputatur. Maior tui argumenti vera esset, si per inobedientiam vnus formaliter constitueremur peccatores, nunc cum id sit impossibile, falsa est.

Vin' probem his ipsis Apostoli verbis non constitui nos formaliter peccatores per vnus hominis, id est, Adami inobedientiam, ac proinde illam nobis non imputari? Id conficio duobus argumentis. Primò sic. Per eam inobedientiam formaliter consti-

tuimur peccatores, quæ formaliter nostra est, vel actio, vel qualitas. Atqui inobedientia vnus hominis non est formaliter inobedientia multorum hominum (opponitur enim hoc loco vnus homo multis) Ergo per inobedientiam vnus hominis multi homines non sunt formaliter constituti peccatores. Rem faciam exemplo claram; Si quis dicat, per suam quisque doctrinam doctus constituitur, id formaliter intelligendum est: est enim doctrina cuiusque forma per quam est doctus. Sed si quis dicat, vnus doctrinâ multi sunt facti vel constituti docti, id erit accipiendum causaliter seu efficienter: nemo enim formaliter doctus est alienâ doctrinâ, sed potest doctrina vnus causa efficiens esse similis doctrinæ in alio. Iam verò sicut nemo alienâ doctrinâ formaliter doctus est aut albedine albus, sic nemo formaliter est peccator alieno peccato. Quare cum dicat Apostolus multos esse constitutos peccatores per inobedientiam vnus, manifestum est id non formaliter, sed causaliter esse accipiendum, nihilque eum aliud vel le, nisi vnus inobedientiam causam esse eius vitij & peccati, quo sibi insito multi sunt peccatores.

cap. IX
§. XIII.

G A R. Respondeo 1. Si hoc argumento imputationem peccati Adæ refellere voluit, eodem plane refelli posse imputationem iustitiæ Christi: Nam & planè simili ratione Bellarminus ei refutandæ vitur lib. 2. de Iustif. cap. 7. Argumento quarto &c. Argumentum ergo Pontificius ita instituit. Non possumus formaliter constitui iusti, nisi per eam obedientiam que est formaliter nostra vel actio, vel qualitas: sicut non possumus constitui formaliter docti, nisi per nostram propriam doctrinam. At obedientia Christi non est formaliter nostra vel actio vel qualitas. Ergo per eam non possumus constitui formaliter iusti. Hoc argumentum est omninò illi geminum, quo hîc vitur Vir doctus &c.

PLAC. Primum Vir doctus de me vno refellendo sollicitus Chamierum non deserit modò contra Salmeronem pugnantem, sed per latus meum ferit, Salmeronisque argumentum defendit: Nec mirum; nam si tuetur imputationem immediatam quam impugno, hæc causa illi est cum Pighio & Salmerone communis; nec est vllum discrimen, nisi ratione punitionis illius peccati imputati, quam illi mitiorem statuerunt. Itaque si præstantissimi Chamieri valet responsio aduersus Pighium & Salmeronem, mea certè, quæ eadem prorsus est, repudiari non debet. Non enim, vt obseruare videtur Vir doctus §. XII. Primum argumentatus sum, deinde respondi; sed contrà, primò respondi mutuatâ à Chamiero distinctione, deinde argumentum nexui. Responsionis ne meminit quidem: Argumentum primò absurdo premit, deinde soluere videtur. Absurdum est; eodem planè argumento refelli posse imputationem iustitiæ Christi. Hoc nego, quomodo probat? Planè simili ratione, inquit, Bellarminus ei refutandæ vtitur. Minimè, inquam, gentium. Primum enim non eum sensum, quem primo loco proponit, & concedit, nosque probamus, refellit, sed alium, quem non agnoscimus. Videantur eius verba (recitantur enim à Viro docto memorabili parte mutilata) & Responsio Chamieri Panstr. Tom 3. lib. 21. cap. 20. §. 21. Deinde nihil aliud agit, nisi quod probat nos non esse formaliter iustos per iustitiam Christi; id quod Vir doctus, qui imputationem iustitiæ Christi arctè tenet, concedit. Probat autem argumento quo non sum vsus, nec simili, quia, inquit, *cùm in aliquo due sunt formæ contrariæ, vna inherens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inherente forma potius quàm ab extrinseca.* Sed Vir doctus ipse argumentum meo simile conficit, quo oppugnat imputationem obedientiæ Christi. Simile quidem est argumentum, sed conclusio, vel ipso Viro docto fatente, concedi potest illibatâ imputatione obedientiæ Christi. Eam igitur non conuello, qui contendo nos alio modo per obedientiam Christi iustos constitui, quàm per inobedientiam Adami constituimur iniusti. Interim tamen argumenti eius nego Minorem, Atqui obedientia Christi non est formaliter nostra vel actio, vel qualitas: est

enim nostra, non quidem inhęsiuē, sed dono, quo modo, vt iam aliquoties obseruauī, nostra non est Adami inobedientia. Ad id quod nobis imputatur Christi satisfactio, non propriē vt est actio, aut qualitas, sed vt est pœna, quam loco nostro passus est; quo sensu iustitia dicitur non sensu morali, sed tan tū forensi. Tantūm autem abest vt refellendo imputationem immediatam inobediētię actualis Adami euertamus imputationem iustitię Christi, vt contrā illam ab hac dissociando, tan quam imparem & malę fidei socium, hanc magis tutam prelle nus.

G A R. *Si qui sic argumentantur, vocem formaliter accipiunt, quomodo sumi solet apud Philosophos, ratione sua nihil efficiunt, quod nos non prolixē largiamur. Quid est enim formaliter? Audi Philosophorum principulos. Formaliter idem est seu ἰσοδυνάμει sequentibus, ἐνὸς παρὰ ἄλλου subjecto aliquid quod reipsa inest, vt forma, vel in modum forme, ἐκτικῶς, habitualiter &c. Hac si ita sunt, agnoscimus nullum esse hominem, qui vel per actualem inobedientiam Adę formaliter peccator sit, vel per actualem obedientiam Christi formaliter iustus. &c. Neque enim dicimus nos imputatā iustitiā iustos esse formaliter, sed imputatiuē, non ἐκτικῶς, sed ἁπλοῦς; non subjectiuē, sed relatiuē. Ita nos in hac causa non dicimus, nos imputatā Adami inobediētiā peccatores esse formaliter, sed imputatiuē, non ἐκτικῶς, sed ἁπλοῦς, non subjectiuē, sed relatiuē.*

PLAC. Si ita est, Apostolus neque causaliter, neque formaliter voluit multos esse per inobedientiam Adami constitutos peccatores, seu iniustos, sed tantūm imputatiuē. Hocce inuenit Vir doctus? ita videtur. Atqui constat, nec potest vilo modo negari, multos, seu omnes, esse inobediētiā Adami constitutos peccatores causaliter: est enim illa inobedientia causa peccati quo sumus formaliter peccatores. Constat quoque, nec potest negari, omnes esse formaliter peccatores seu iniustos, idque à prima illa inobedientia Adami profluxisse. Quomodo ergo Apostolus constitui peccatores neque causaliter, neque formaliter intellexit, sed imputatiuē tantūm, cū verum sit nos esse formaliter peccatores, & huius rei causam esse inobediētiā Adami? Si non for-

maliter, sed imputatiuè, non subiectiuè sed relatiuè peccatores ex Adamo nascimur, vicit Pighius, & originale vitium inhærens aut nullum est, aut non est verè peccatum omnes homines coram Deo reos peragens. Nascimur quidem, inquit fortè aliquis, peccatores formaliter, sed huius peccati inhærentis rationem hoc loco non habet Apostolus, quia non loquitur de sanctificatione, sed de iustificatione. Imò verò, inquam, huius peccati, quia de iustificatione loquitur, habere rationem eum decuit, siquidem est verè peccatum, & omnes homines reos coram Deo peragit, omnibusque damnandis sufficit; eatenus enim maximè iustificationi opponitur, & ab eo iustificandi fuimus. Sed audiamus qua ratione Vir doctus probet nos imputatâ Adami inobedientia non esse formaliter constitutos peccatores.

GAR. *Nam ita peccatores constituimur, quomodo fuimus in Adamo. At in Adamo non fuimus formaliter, sed radicaliter. Ergo neque in eo dici possumus constitui formaliter peccatores; sed quia quod ille fecit, imputatur eis qui in ipso erant radicaliter, id est, ut loquebatur superius Augustinus, qui in seipsis multi sunt, sed in Adamo unus homo erant.*

PLAC. *Quid si subsumam, At in Adamo non fuimus imputatiuè. Ergo neque in eo dici possumus constitui imputatiuè peccatores? Quid respondebitur? Negabiturne maior? nullum igitur est hoc argumentum Viri docti. Negabiturne minor? non potest; euidenter vera est: nam neque esse nostrum imputatum, est Adamo, neque esse Adami imputatum est nobis. Quomodo ergo fuimus in Adamo? Radicaliter, inquit. Ergo, inquam, constituti sumus peccatores in Adamo radicaliter. Hoc posita maiore necessariò sequitur. Quid porrò est, fuisse in Adamo radicaliter, nisi, Adamum fuisse radicem, vnde nos tanquam rami prodijimus? esse Adami fuisse radicem, principium, causam nostri esse? Quid erit ergo constitui radicaliter peccatores in Adamo, nisi Adamum vel Adami peccatum esse radicem, vel principium, vel causam, vnde tanquam ramus enatum est peccatum nostrum? Hoc autem ipsum est quod dixi, præeunte Chamiero, nos esse inobedientiâ Adami constitutos peccatores causaliter. Quid enim in-*

terest inter radicaliter & causaliter? Ceterum qui dicit causaliter constitui peccatores, intelligit peccatores constitui peccato formaliter inhaerente: itaque constitui causaliter, & constitui formaliter peccatorem subordinantur, sequeque mutuo, ut causa & effectum, ponunt & tollunt. Impossibile enim est ut quis constitutus fuerit verè peccator seu iniustus, nec tamen formaliter fuerit peccator seu iniustus. Qui enim iniustum dicit, duo dicit, subiectum ut materiam, & iniustitiam ut formam: Est enim nomen, ut loquuntur, concretum, cuius materiale significatum est persona, formale iniustitia. Quod est causa iniustitiæ, illud constituit iniustum causaliter, ipsa verò iniustitia iniustum constituit formaliter; est enim ipsa forma & essentia iniusti, sine qua nec esse, nec concipi animo potest. Quare si sumus iniusti imputatâ Adami iniustitiâ, constituit nos iniustos illa iniustitia, non ut causa efficiens nostræ iniustitiæ, sed ut forma, quam iusti nomen eo sensu sumptum formaliter significat; id autem mihi est formaliter constituere. Formaliter igitur nos constituit iustos imputata Christi iustitia, iustos, inquam, non sumpto hoc vocabulo sensu morali aut philosophico, sed sensu forensi: est enim satisfactio pro peccatis nostris præstita loco nostro à vade nostro, ac ita nobis donata. Formaliter verò iniustos eo modo facere nos non potest Adami iniustitia: non enim loco nostro ab Adamo præstita est, nec vlllo modo nobis donata: Iustitia autem Iudicis non facit nos peccatores seu iniustos imputatione alieni peccati: nihil est enim eiusmodi imputatione alienius à iustitia iusti iudicis. Quamvis igitur dici possit aliquis iustus forensi ratione à forma externa, iustitia datâ & imputatâ, seu remissione, vel abolitione forensi peccatorum, tamen nemo potest dici peccator vel iniustus verè seu in foro diuino ab externâ formâ, iniustitia aliena imputatâ. Est enim Dei iudicium secundum veritatem & æquitatem, nec vlllo modo causa cur simus peccatores & iniusti.

Alterum argumentum duco ex nomine *peccatores ἀρπυλοὶ*: est enim aduersus Pighium & Socinum obseruatum à magnis Theologis, neminem dici *peccatorem* in sacris literis coram Deo, qui verè in se peccatum

catum non habeat. Id argumentum sic Petrus Martyr proponit aduersus Pighium. *Postremò habemus à Paulo per inobedientiam vnus hominis multos constitutos esse peccatores: quod indicat in illis qui nascuntur ex Adamo esse vitium, propter quod peccatores dici possint. Sed hoc Pighius putat se posse eludere, quod peccatores interdum d'cantur propter reatum, quamuis actio peccandi præterierit, neque amplius extet. Quamuis hoc ita sit, nunquam tamen ostendere potest ex scripturis quemquam peccatorem appellari, quin, aut in se ipso vitium habeat, aut cerè antea admisit: nisi dicere velit Deum homines reos facere absque ipsorum aliquo peccato.* Chamierus verò sic aduersus eundem Pighium, uno verbo, nunquam ἀμάρτωλδς d'citur de simplici reatu, & absque vllò vitio, aut peccato. Ergò cùm dixit Paulus multos esse constitutos peccatores per vnus inobedientiam, nihil aliud intellexit nisi eo Adamo peccato effectum esse vt omnes homines reuera & in sese peccatores essent. Et rursus alio loco, A Paulo autem doceri vnicum esse numero in omnibus peccatum originale: hoc verò insigniter falsum. Nam contrà per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi: eodem capite. Peccator autem est qui ipse habet peccatum suum, non autem cui alienum imputatur. Alibi ἀμάρτωλδν nunquam dici, nisi in quo sit peccatum, probat memorabili ratione, alioquin, inquit, Christus dici possët ἀμάρτωλδς peccator, quod absit. Enimverò si per vnus hominis peccatum nobis imputatum sumus formaliter peccatores, quid dices de Christo, cui tot aliena sunt imputata?

In
Rom. 5.lib. 1. de
homine
corr.
cap. v.
§. vii.Cap.
vii. §.
xx.Cap. 7.
§. xi.

GAR. Resp. Hoc ita simpliciter dici non posse patet ex 1. Reg. 1. 21. Ego & filius meus et vnus peccatores, id est, habebimur tanquam peccatores, & nobiscum veluti cum peccatoribus agetur. Itaque vanum est argumentum quod hîc ex voce peccato-

res desumitur. Dico enim nihil impedire, quominus hic peccatores vocentur, qui reatum Adæ peccati sustinent.

PLAC. Atqui hoc non ita simpliciter dixeram, sed cum hac limitatione quam Vir doctus omisit, *coram Deo*: vt ad rem non sit vlllo modo locus quem laudat ex I. Reg. I. 21. Non enim eo loco habita ratione iudicij diuini temper veri & iusti, sed iudicij humani falsi & iniusti, peccatores Salomon & eius mater dicuntur. Itaque non est vanum argumentum, quod hic ex voce peccatores desumitur, sed solidum & inuictum: Agitur enim hic de constituendis peccatoribus relatè ad forum diuinum, non autem ad humanum. Quod subiungit, imputationem primi peccati & corruptionem inherentes, *utrumque unicum reatum efficere*, id, vt iam obseruauit, pro imputatione primi peccati mediata militat aduersus immediatam. Pighius sentiebat cum ijs, qui mihi in hac causa aduersantur, primum peccatum actuale Adami nobis immediatè imputari. Communis sententia communibus argumentis refellitur. Itaque hoc argumentum, vt alia nonnulla, Theologi aduersus Pighium disputantes mihi suppeditarunt; nihilque potest ei reponi, quod non iuuet causam Pighij. Locus Chamieri, quem hic laudat. Vir doctus ex tom. 3. lib. I. cap. 7. §. 21, egregius est, mihi que ita fauorabilis, Viro autem docto repugnans, vt mirari satis non possim qua mente sit ab eo laudatus. Itaque ego quoque illum transcribam; *Nec contra est quicquam capite quinto. Nam in eo Paulus de initio tractat humane damnationis: quod certum est manasse ab vno illo Adami peccato, per quod constituti sunt peccatores omnes homines; ideòque obnoxij damnationi, & morti. Vides nos esse obnoxios damnationi & morti, quia sumus constituti peccatores. Quid autem per peccatorem intelligit? disce ex eius verbis antecedentibus §. xx. peccator autem est qui ipse habet peccatum suum, NON AVTEM CUI ALIENVM IMPVTATVR.* Sed pergat. Itaque illa oppositio in illo, non in nobis, illius obedientià, non sua proprià quisque; non est à mente Apostoli; sed à Sophista commento. Non enim subalterna repugnant. In Adamo peccauimus omnes: quia Adamus primus peccauit: & inde initium factum peccati in omnibus hominibus: at in nobis etiam peccamus: quia eius peccato con-

stituti sumus peccatores : id est, ab eo in nos peccatum propagatum. Debat dicere ex mente Viri docti, id est, eius peccatum nobis est imputatum. Sed audi quod sequitur ; se enim ipse explicat. *Et illius inobedientiâ eodem modo sumus omnes constituti peccatores : quo nostra etiam propria iam verè sumus peccatores : alioqui falsum esset, nos illius inobedientia constitutos esse peccatores.* Hæc profectò mea est constitutionis illius, & vocis peccatoris expositio, quam Vir doctus reiecit.

Sed ex altero huius vers. 19. membro vltimum tuum argumentum educis. Te igitur audiamus. *Id verò, inquis, clarius & manifestius patet ex altero membro comparationis quam instituit Apostolus inter primum & secundum Adamum.* Nam quemadmodum à primo vno est peccatum, reatus, & mors, sic ab vno Iesu Christo est gratia, iustitia, & vita. In illo malum, in hoc remedium. Hinc conclusio est facilis & manifesta ; velut omnia hæc bona habemus in Christo per imputationem obedientiæ & iustitiæ illius, sic omnia illa mala habemus in Adamo per imputationem inobedientiæ & peccati ipsius. Facilis quidem tibi fuit hæc conclusio, sed mihi non est manifesta : Imò falsum apparet eius posterius membrum. In priore illud etiam obseruo, gratiam, quâ nobis datus est Christus, quâ data & imputata est eius obedientia, non haberi per imputationem obedientiæ Christi ; id enim contradictionem implicaret. Sed tu sic argumentaris, *Obedientia illa Christi nos constituit iustos coram Deo, & dat vitam, quia nobis imputatur. Ergo ex oppositione sequitur, inobedientiam Adami nos constituere peccatores & morti obnoxios reddere, quia nobis imputatur.* Nego id sequi ; cur non sequatur, rationem reddidi & probavi in Thesisibus : Si sic similiter colligam, quid respondebis ? Obedientia illa Christi nos constituit iustos coram Deo,

& dat vitam, quoniam illa nobis Dei summâ gratiâ data est. Ergo ex oppositione sequitur inobedientiam Adami nos constituere peccatores, quoniam illa nobis ex gratia data est: vel sic, Obedientia Christi nos constituit iustos coram Deo, quoniam Christus fuit vas noster & nostro loco satisfecit. Ergo ex oppositione sequitur inobedientiam Adami nos constituere peccatores, quia Adamus fuit vas noster, & nostro loco rebellis Deo fuit: vel sic, Obedientia Christi nos constituit iustos coram Deo, quia ei per fidem consentimus. Ergo ex oppositione sequitur inobedientiam Adami nos constituere peccatores, quia ei consentimus. Item, obedientia Christi nos constituit iustos sensu forensi tantum per imputationem, non autem per infusionem iustitiæ, quæ mereatur vitam æternam. Ergo ex oppositione sequitur inobedientiam Adami nos constituere peccatores sensu forensi tantum per imputationem, non autem per propagationem iniustitiæ seu vitij, quod mereatur mortem æternam. Denique (nam infinitum esset talia omnia enumerare) obedientiâ Christi nos constituit iustos ex verè iniustis, idque supernaturaliter, non per carnalem generationem, sic ut tota nostra iustificatio, quanta quanta est, posita sit in illius imputatione. Ergo ex oppositione sequitur, inobedientiam Adami nos ex verè iustis constituere peccatores eodem modo. Si tibi non probantur hæ consequentiæ, causam non video, cur tua mihi probetur. Ceterum huius tui argumenti solutionem potuisti legere apud Calvinum in Rom. v. xvii. & Clarissimum D. Riuetum in summa Controversi. Tract. iv. q. 2. §. 8. de eodem plura habebis in Apologia pro thesibus meis.

GAR. *Resp. eius ratiocinationis consequentiam cum ratione negari non posse. Demus enim integrum Syllogismum. Ille eiusmodi erit. Sicut obedientia Christi nos constituit iustos, ita & inobedientia Adami peccatores. Atqui obedientia Christi nos iustos constituit, quia imputatur. Ergo & inobedientia Adæ nos peccatores constituit, quia imputatur. Argumentum est legitime constitutum ratione formæ. Itaque consequentia negari non debuit.*

PLAC. *Negavi consequentiam; quia Syllogismus mihi obiectus, non erat integer, sed enthymema; quod cum constet ex duabus propositionibus, vnâ præmissâ, & conclusione, quarum illa antecedens, hæc consequens vocatur, nihil prohibet, idque fieri consuevit, vt negetur consequentia; id quod perinde valet ac si negaretur omissa propositio. Nunc cum suæ integritati restitueretur Syllogismus à Viro docto, respondeo ad Maiorem; eam aut vniuersaliter intelligi, aut particulariter; si illud, falsam esse, si hoc, nullam esse consequentiam Syllogismi in prima figura ex maiore particulari constantis. vel sic, voces *Sicut, ita*, notant similitudinem, vel in ipsa rei veritate sitam, vel in modo illius veritatis: Si prius, negatur consequentia: fallacia enim est. Nam cum maior intelligenda sit de ipsa re, non autem de rei illius modo, subiungitur ei minor in qua agitur de rei modo: itaque sunt quatuor termini. Si posterius, negatur propositio: quàm enim egregia est in ipsa re similitudo, tam est conspicua dissimilitudo in modo, vt exemplis feci manifestum.*

At subiungit Vir doctus, Maior est ex Apostolo, nisi quòd comparationis partes transponuntur, vt ex protasi fiat apodosis, & contra. Maior certè est ex Apostolo, sed non est vrgenda similitudo præter Apostoli mentem. Extensio similitudinis ad modum rei non est de mente Apostoli, eiusque propositionem ex verissima falsam facit. Hæc propositio maior nititur diuersis Christi verbis, debemus esse misericordes sicut Pater noster est misericors. Luc. 6. 36. Transponantur similiter partes similitudinis. Sicut Deus est misericors, ita debemus esse misericordes; & subsumatur minor vera, Atqui Deus est misericors essentialiter, sequetur falsa conclusio, Ergo debemus

esse misericordes essentialiter : Nimirum quia similitudo præter Christi mentem ad modum rei vniuersaliter extenditur, & ita vel falsa fit propositio, vel committitur fallacia à figura dictionis.

G A R. 2, *Non ij sumus qui ex illis comparationis Apostolice verbis existimemus quemlibet comparationis modum colligi posse; Effet enim hoc absurdissimum. &c.*

P L A C. Ergo, inquam, propositio Argumenti cui respondeo, de modo comparationis accepta, non est vniuersaliter vera, sed particulariter duntaxat; quo posito sequitur non bene concludere argumentum, quippe, in prima figura ex maiore particulari.

G A R. *Sed titulum respicimus, id est, scopum & seriem Pauline disputationis attendimus. Voluit enim, ut diximus, & sæpius monere oportet, ostendere rationem iustificationis nostræ coram Deo per imputatam iustitiam ex nobili typo Adæ. At certè non potuit illam imputationem iustitiæ, Adami typo confirmare, si non in Adamo præcessit aliquid, quod ad imputationem pertineat. Sicut ergo Paulus in negotio, quod habebat præ manibus, iustificationem ex imputatâ iustitiâ ostendit per exemplum condemnationis ex imputato Adæ peccato: Ita nos Pauli vestigijs inherentes, ex iustitiâ Christi imputatione colligimus imputationem inobedientiæ Adæ.*

P L A C. Id nec dicendum erat, nec sæpius monendum, sed probandum, saltem semel, quod cum à Viro docto factum non sit, conferre nihil potest ad firmandum argumentum. Rem ipsam confirmare voluit Apostolus nobili illa comparatione, non rei modum, quem dissimilem esse non obscure innuit, ut à nobis iam sæpius est obseruatum, cum illud quod est à Christo vocauit χάρισμα, χάριτι, δωρημα &c, illud verò quod ab Adamo χρεῖμα &c. Cæterum, quoniam de iustificatione agitur, non constituimur iusti in foro diuino nisi imputata iustitiâ, nec peccatores seu iniusti nisi imputato peccato seu iniustitiâ: Quoniam autem nulla est in nobis iustitiâ, quæ possit nobis imputari ad iustificationem nostram, aliena nobis opus est, quæ dono nostra sit, & quia nostra, nobis possit iure imputari: Peccatores verò sumus peccato in hærente, ut nihil opus sit

ad nos damnandos peccato alieno, nec peccatum alienum potest nostrum esse dono; itaque imputari non potest, nisi mediante peccato inhærente quod peccati Adæ participatio est.

Interim quia versum 21. citas, nec tamen quicquam argumenti ex eo exculpis. Ego ex eo & præcedente argumentum colligam. Peccatum, quod ut abundaret lex Mosis præterea introijt, quodque abundavit, & regnavit ad mortem, est illud peccatum, quod per vnum hominem introiit in mundum, & per ipsum mors, ut manifestum est ex connexionione versuum 20. & 21. cum antecedentibus. Sed peccatum, quod ut abundaret lex Mosis præterea introiit, & quod reuera abundavit, & quod regnavit ad mortem, non est peccatum actuale Adami imputatum, sed vitium inhærens, ut patet ex Rom. vi. 12. & 7. 8. 11. 13. 17. Ergo peccatum, quod in mundum introiit, & per ipsum mors, non est peccatum actuale Adami nobis imputatum, sed vitium nobis inhabitans & inhærens.

Denique laudas 1. Cor. 15. vers. 21. 22. *Per bonem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Sed quid habet iste locus, quod faueat imputationi peccati actualis Adami? Per hominem est mors, non vna numero reliquis hominibus imputata, sed hominum suâ quisque morte moritur. In Adamo omnes moriuntur, sed suâ quisque morte, non illa singulari vnius imputata omnibus. Idem de resurrectione statuendum; suâ enim quisque resurrectione refurgit, sed vi Christi. At, inquis, *Apostolus considerat omnes homines in Adamo mortuos.* Visne igitur hoc quoque, ipsam illam mortem,

quá Adamus mortuus est, omnibus imputari. Si igitur potuerunt considerari omnes homines in Adamo mortui, nec tamen omnibus imputari mors Adami, cur non potuerunt in Adamo omnes homines peccatores, nec tamen eius peccatum actuale omnibus imputari? Quanquam falsum est consideratos fuisse ab Apostolo omnes homines in Adamo mortuos: loquitur enim de morte, qua quotidie & moriuntur & morientur homines, quæque adeò singularis, sua cuique, in propria persona reapse tam conuenit, quam olim Adamo sua ipsius vnus mors singularis. Sed, inquis, *quemadmodum hi qui uiuificantur considerantur in Christo cui uiuuntur per fidem, & iustitia eius illis imputatur ad iustificationem; Cur non & ceteri considerantur in Adamo tanquam ipsi uniti, & peccatum ipsius illis imputari ad condemnationem? qui hoc negat, vereor ne alterutrum negare velit.* Noli quæso de tuis fratribus, de seruis alienis, ita iudicare, qui imputationem illam peccati actualis non negant, nisi quia eam nec in Scriptura reperiunt, & Scripturæ repugnare vident, & Deo valde iniuriosam credunt: itaque ab ea ex animo abhorrent. Ceterum errorem Socini negantis satisfactionem Domini nostri Iesu Christi nobis ad iustificationem imputari ex animo etiam detestor: inque illâ imputatione totius meæ salutis spem constituo. Itaque eam sedulò ab improbabili illâ vestrà peccati actualis Adami imputatione separo, ne, si copulentur ac connectantur, disturbatâ aduersariorum machinis illâ peccati primi imputatione, imputatio luuitiæ Christi illius ruinis implicata, aliquid detrimenti capere videatur, quæ alioqui suis proprijs innixa fundamentis, totius religionis Christianæ basis est

sis est ipsâ terrâ solidior. Cæterum qui viuificantur considerantur in Christo id est communiõne Christi, & qui moriuntur, considerantur in communiõne Adami. Illa communiõ est spiritalis, hæc carnalis. Illa ex gratia, hæc ex natura : itaque nihil prohibet illam niti imputatione gratuitâ : huius dispar est ratio. Rursus imputatio iustitiæ est ex gratia, peccatî ex iustitia. Potest autem gratia tribuere alicui id quod ei non debetur, iustitia non potest. Dat gratia beneficium immerenti, iustitia pœnam nisi merenti non irrogat, si meritum præmij imputatur non habenti, gratia est : at si pœnæ meritum non habenti imputetur nec iustitia est, nec gratia, nec quo nomine, nisi iniustitiæ, appellari possit intelligo.

G A R. Resp. I. *Festinasse videtur aliquantulum Vir doctus cum dixit communionem nostram spiritualem cum Christo niti imputatione gratuitâ iustitiæ. Quia communionem cum Christo oportet esse priorem omnibus beneficijs, quæ in Christo Deus nobis impertitur. Christus enim nobis primùm datur, deinde per Christum, & in Christo, beneficia omnia conceduntur, Roman. viii. 32. Cùm igitur inter ea beneficia numerari debeat iustitiæ imputatio, non eâ niti dicenda est communiõ quam habemus cum Christo, sed potius illa communiõ fundamentum esse, cui & imputatio iustitiæ, & alia beneficia inædificentur.*

P L A C. Festinasse aliquantulum vitiosum non est, modo ne nimium. Loquebar de communiõne nostra cum Christo cuius vi viuificamur, seu resurgimus : cam dixi niti imputatione gratuitâ Christi. Id vir doctus reprehendit; quare? quia *communionem cum Christo oportet esse priorem omnibus beneficijs, quæ in Christo Deus nobis impertitur.* Nimitum communiõ cum Christo suos habet gradus. Eius si spectes initium in fide, cum primùm credimus in Christum, facile assentior viro docto, sed si progressum spectes, secus res habet. Loquebar autem non de ipso primo communiõnis illius initio, sed de eius progressu, de communiõne quam habemus cum

Christi resurrectione, quæ nisi ut iustificatione seu remissione peccatorum, atque aded communiōne quam habemus cum eius morte. Rom. 6. 4. Vita enim iustificationem sequitur, ut mors condemnationem.

G A R. 2. *Sicut ea communiō est idonea causa, quare nobis imputetur Christi iustitia: sic & coniunctio carnalis cum Adamo idonea causa esse potest, quare nobis imputetur Adami peccatum.*

P L A C. Communiō cum Christo fit per fidem. Fides est donatæ & oblatæ in Christo iustitiæ acceptio. Iustitia autem data à Deo & accepta à nobis nostra est; itaque nobis imputatur. Coniunctio carnalis cum Adamo, vel simpliciter est cum Adamo homine, vel cum Adamo peccatore: illa fita est in communiōne naturæ humanæ ab Adamo propagatæ, hæc in communiōne vicij naturæ inherētis ab Adamo propagati. Illa sola non est idonea causa, quare nobis imputetur Adami peccatum; hæc idonea quidem causa est cur nobis peccatum Adami imputetur; sed ea imputatio non est immediata illa quam rejicio, sed mediata quam admitto.

G A R. 3. *In imputatione peccati Adæ, iustitia Dei non irrogat pœnam immerenti, sed aliqua ratione merenti. Itaque distinctione opus est. Nam quemadmodum iustitia est vel personalis & propria, vel aliena imputata Ita meritum pœnæ aliud est proprium & personale, aliud participatum & commune, quod scilicet ex imputatione est, siue illa naturalis aut politicæ coniunctionis vinculo nittura, siue fœdere aliquo speciali; siue etiam utroque, ut fit in imputatione peccati Adæ, de quo sapius dictum.*

P L A C. Volui ostendere discrimen inter gratiam & iustitiam, nec id Vir doctus conuellit, utitur enim rationis loco distinctione. Quo iustitiæ alienæ imputatio nitatur, satis, ut arbitror, expositum est. Quo nitatur imputatio peccati alieni, nempe Adami exponit secundum mentem suam Vir doctus. Id enim ait esse coniunctionem naturalem: hanc verò, si naturæ intelligatur coniunctio, non peccati, non sufficere ex eo patet, quod neque alia Adami, peccata, neque aliorum maiorum, dicuntur imputari; cum tamen non minor sit coniunctio naturæ: adiungit quidem coniunctioni naturali fœdus speciale; sed huius fœderis specialis probatioem ex Scriptura petimus:

Vides iam, opinor, quàm faciles solutu tuæ fuerint rationes : iacent non dissolutæ modo & dissipatæ, sed contrarijs argumentis multò & pluribus & grauioribus prorsus obrutæ. Plures non attulisti nulla ingenij culpa, sed quia sententiam quam tueris omnis Scriptura, omnis ratio deficit; obtinuit duntaxat his postremis sæculis quorundam magnorum virorum incogitantia, quorum nomen plurimi re non attentè consideratâ secuti sunt : quod vt Deus tibi, & alijs omnibus, condonet ex toto corde supplex à Domino nostro Iesu Christo peto.

CAPVT XI.

Respondetur ad Patrum loca, quæ pro imputatione primi peccati Actualis adducuntur

Cap. VI.

CVM tam paucas, tamque imbecillas rationes pro imputatione immediata primi peccati actualis omnibus hominibus, inuenire potueris, mirum non est, si suppetias petis à Patribus; quos tamen præfarris te citare, non vt fidei fundamentum, aut normam, (hunc honorem habes soli Scripturæ) sed vt testes fidei suorum temporum. Possem eos faciliè submouere ab hac quæstione. Nam dogma illud de imputatione primi peccati actualis, vel habetur in sacris literis, vel non habetur. Si non habetur, aut Scriptura fidei nostræ perfecta norma non est, aut non est credendum, vt vt illud docuissent Patres. Si ha-

betur, age illud in ea quæramus : pauca continet volumina : perspicuè docet quicquid est nobis cognitu necessarium ad salutem. Eam igitur scrutemur. Multò id cum facilius erit, tum tutius. Si Patres illud dogma in Scriptura non viderunt, quid est cur eos sequamur errantes extra Scripturam? Si viderunt, quid est, cur idem & videre non possis, & mihi ostendere? quod si dogma illud pugnat cum sacris literis, audiendi non sunt qui id docent, etiamsi Patres sint, aut, ut loquitur Apostolus, Angeli de Cœlo. Clamo autem pugnare. Audi igitur primùm Scripturam, tum, si opus est, aduoca Patres. At tu maluisti imitari Pontificios, quos iuuat etiam Patres, ut fidei Ecclesiæ sui temporis testes proferre. Qui tamen non ut testes, sed ut doctores, nec ut aliorum omnium, sed ut suam quisque sententiam proferentes scripserunt. Eos tamen, quando ita tibi visum est, audiamus, eoque libentiùs quòd tibi profectò potiùs quàm mihi aduersentur:stant omnes à partibus meis. Quicquid pronunciant id, vel æquè ad meam ac tuam sententiam accommodatum est, vel tuæ repugnat, meæ fauet. Testes appello illa ipsa loca, quæ tu citasti ex sex tantùm Patribus, Origene, Cypriano, Ambrosio, Augustino, Theophylacto, Bernardo; quorum primi & postremi quàm exigua sit auctoritas, te fugere non potest. Quid enim isti Patres dicunt, quod putes obesse sententiæ meæ? Num dicunt (quæ tua est sententia, meæ opposita) peccatum primum actuale Adami omnibus hominibus necessario & immediate imputari ad has pœnas propriè dictas, mortē animæ quæ est vitium originale, Mortem corporis, & mortem æternam? Minimè. Nullus Pa-

trum id dixit. Num saltem aliquid dicunt, vnde talis imputatio bonâ consequentiâ colligi possit? nihil prorsus. Quid ergo dicunt?

Dicunt, *omnes homines fuisse in lumbis Adam, cum adhuc esset in paradiso: Fuisse Adam, & in illo fuisse omnes: Fuisse omnes in primo homine, quando ille peccauit.* Agnosco communes tibi & mihi locutiones. Sed amabo te, fuimusne in lumbis Adam duntaxat, cum in paradiso primum suum peccatum actuale committeret. Nonne fuimus etiam in eius lumbis, cum eiectus é paradiso multa alia peccaret? Hinc igitur, si conficitur imputatio primi peccati actualis, conficietur eadem operâ imputatio reliquorum peccatorum Adami, saltem eorum, quæ centum & triginta annorum spatio, antequam Sethum gigneret, admisit. Fuimusne in lumbis solius Adami, & non etiam aut æquè, aut magis aliorum parentum nostrorum intermediarum & proximorum? Non assentior Origeni sic colligenti, *Si Leui qui generatione quarta post Abraham nascitur in lumbis Abrahe fuisse perhibetur, multò magis omnes homines qui in hoc mundo nascuntur, & nati sunt, in lumbis erant Adæ, cum adhuc esset in paradiso.* Nam certè Leui non fuit in Adam, nisi quia fuit in Abraham; itaque si magis & minus hîc locum habent, magis fuit in Abraham quàm in Adam, iuxta illud tritum in scholis, Propter quod vnumquodque est tale, illud est magis tale. Non fuimus in Adam, nisi vt effectum in causa. Porrò effectum magis est in causa sua proxima, quàm in remotissima. Nihil ab Adamo accepi immediatè, sed per longam seriem parentum, qui singuli genuerunt, non vt instrumenta aut membra Adami, sed vt causæ, æquè ac Adamus,

principales : Et quicquid fui , cum nascerer , id totum secundum Deum proximis meis parentibus debeo proximè , auis meis remotè , proavis remotiùs , abauis & atauis adhuc remotiùs , Adamo omnium remotissimi. Si igitur fuimus in alijs nostris parentibus eque , aut etiam magis , quàm in Adamo , hinc si efficitur imputatio peccati actualis Adami , efficitur eadem operâ , vt debeant posteris etiam reliquorum parentum peccata imputari ; quod tu ipse agnoscis Apostolo repugnare , vnum hominem , vnum peccatum inculcanti. Cur ergo Patres dicunt nos in Adamo fuisse ? nempe vt intelligamus mirum non esse , si , cum ab eo traxerimus naturam , traxerimus cum natura etiam vitium. Traximus autem ab eo vitium & vitij subiectum naturam , non immediatè , sed alijs nostris parentibus mediantibus. Hinc mihi nascitur contra tuam sententiam nouum argumentum. Nam qui non fuimus in Adamo immediatè & proximè non potuimus in eo immediatè & proximè peccare , sed mediantibus duntaxat omnibus alijs nostris parentibus. Attamen , si vera tua est sententia , in eo peccauimus immediatè. Tameum proximè nobis eius peccatum primum actuale imputatur , quàm ipsi imputatum est , tam saltem , quàm nostris parentibus intermedijs.

Deinde quæro , cum dicimur fuisse in Adamo , qualis ea locutio sit , propria , an impropria ? Propria esse non potest , nisi velis falsum esse primum illud omnis ratiocinationis principium , *impossibile est simul esse & non esse*. Propriè enim loquendo tunc , cum Adamus peccauit , fuisset , & non fuisset ; quæ aperta est contradictionis implicatio. Fuisset propriè

ex hypothesi , non fuisset proprie loquendo , vt pater. Nulla enim tunc pars nostri fuit , immò ne semen quidem , aut pars feminis ex quo sumus procreati. Generatio est mutatio à non esse ad esse. Quod gignitur , aut fit , antè non erat : attamen præstrata est generationi materia , quæ in genito permanet , & non esse geniti , cùm incipit generari , priuatio est , non negatio. Sed cùm peccaret Adamus , nondum erat quicquam materiæ , vnde geniti sumus , ne remotissime quidem. Nam cùm anno demum centesimo & trigesimo vitæ Adami natus sit Seth secundus parens noster , non fit verisimile iam tum cum Adamus peccaret , in eo semen fuisse quo Sethum genuit : quod , si vllum fuisset in Cainum & Abelem esset insumptum. Itaque tunc non fuimus , non iam priuatiuè , sed prorsus negatiuè. Sed quid opus est probare nos proprie loquendo non fuisse aliquot annorum millibus antequam esse inciperemus ? Iam si ista locutio fuimus in Adamo , propria non est , reuocanda est ad propriam , *ὃ γὰρ διαλέκτεον ταῖς μεταφοραῖς*. Quid ergò significat proprie ? nihil nisi nos ducere ab Adamo originem : esse Adami esse causam nostri esse. Qualis autem est causa ? non essentialis , sed accidentalis , non proxima , sed remota , non propria , sed communis , & quæ ad nos gignendos non magis per se contulit , quàm ad multos gignendos , qui gigni quidem potuerunt , sed tamen defectu causæ proximè geniti non sunt ; quibus libenter quæsiuerim , annon etiam imputari debeat Adæ peccatum. Potuit enim Adam eos mediatè & remotè , vt nos , gignere : Et vix potest intelligi , quomodo vt quis ante quinque annorum millia fuerit , vel non fuerit , id pendere ab ho-

dierna vel crastina actione possit. Sed pergamus,
 Quid adhuc dicunt illi Patres ?

Dicunt nos in Adam peccasse, & quidem quasi in massa; & verba Apostoli, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, reddunt in quo omnes peccauerunt. Quid inde sequitur? Peccatum actuale Adami nobis omnibus imputari? non magis rectè, quàm quia in eo fuimus, sequitur nobis eius esse imputari, aut, quia in eo creati sumus, nobis eius creationem imputari, aut, quia in eo mortui sumus, nobis mortem eius imputari. Dicunt nos in eo peccasse, quoniam in eo fuimus. Atqui non fuimus in eo propriè. Non peccauimus igitur in eo propriè. Cur ergo vis eius peccatum nobis imputari propriè, & quia imputetur, nos propriè, immò propriissimè, puniri, & quidem eâ pœnâ, quæ sit peccatum? Argumentum inuictum. Qui propriè loquendo non fuerunt in Adamo, illi propriè loquendo non peccarunt in Adamo. Atqui propriè loquendo non fuimus in Adamo. Ergò propriè loquendo non peccauimus in Adamo. Iam subsumo. Qui propriè loquendo non peccarunt, & his propriè loquendo peccatum imputari & pœna infligi non potest. Atqui propriè loquendo non peccauimus in Adamo. Ergo propriè loquendo peccatum illud Adami nobis imputari, & pœna irrogari non debet. Adde quod ex eo quod in Adamo fuisse & peccasse dicimur, non potes inde inferre, simpliciter nos aut fuisse tunc temporis, aut peccasse, nisi fallaciam committendo à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: tamen simpliciter peccasse nos oportet id peccatum, quod nobis verè & propriè imputatur ad pœnas propriè dictas ac grauissimas. Absti-

ne igitur, quæso, ab hac fallacia, neque puta phrasin illam, *nos in Adam peccasse*, meæ sententiæ obesse, quam (si ex figurata reuocetur ad propriam) continet: reuocatur enim sic, peccatum nostrum ducit originem à peccato Adami, vel sic, peccatum est causa peccati nostri. Hoc significauit Ambrosius, cùm dixit, *in Adam omnes peccasse quasi in massa*, subiecit enim hanc rationem, *ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati sunt sub peccato*. Nempe corruptus corruptos genuit. Quod ex Adam sub peccato nascimur, id corruptioni Adami tribuit, non autem peccato eius actuali, nisi mediante corruptione Adami. Illud autem, *quasi in Massa*, dicitur valdè improprie & figuratè; *Massa* enim causam materialem potius quàm efficientem designat. Nos autem in Adamo, vt in causa efficiente fuimus potius, quàm vt in materia, aut massa; Et quod in Massa est, actu est. Nos autem in Adamo non fuimus actu, sed potestate, eâque remotissimâ, ac nonnisi mediantibus omnibus alijs nostris parentibus. Interim peccauius in Adamo, vt in Massa, quoniam, quemadmodum natura Adami fuit quasi Massa naturæ nostræ, sic vitium inhærens Adamo fuit quasi Massa vitij nostri, quod verè peccatum est, vt ita loquar, habituale.

Dicunt, *in Adam omnes peccauisse*, quando omnes ille vnus homo fuerunt, & explicatiùs, *in Adam omnes tunc peccasse*, quando in eius naturâ, illa vi insitâ quâ hoc gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt; Item, *omnem hominem terrenum nihil esse origine nisi Adam*: Sed hæc omnia meæ sententiæ sunt consentanea. Quàm

enim omnes homines vnus ille homo fuerunt, nimirum Adam, tam omnia peccata originalia, quæ singulis hominibus inhærent, fuerunt vnum illud peccatum, quod Adamo inhæsit ex peccato ipsius actuali enatum. Sed tuæ aduersantur: nam vt peccatum actuale Adami nobis verè & propriè imputaretur, oporteret nos omnes verè & propriè fuisse illum vnum hominem, qui illud commisit; quod affirmare non iam ratiocinari, sed insanire foret. Fuimus ergo omnes vnus ille homo impropriè, quia non modò eiusdem cum eo speciei sumus, sed etiam ab eo oriundi; sic nostra peccata originalia fuerunt vnus illius hominis peccatum, quia non modò eiusdem sunt speciei cum illius peccato, vt ita loquar, habituali, sed etiam ab eo sunt oriunda; ac omninò quam rationem homines habent ad primum hominem, eandem habent corruptiones nostræ naturales ad primi hominis corruptionem.

Dicunt etiam, *omnes in illo vno Testamentum Dei dissipauisse, in quo omnes peccauerunt. Testamentum autem illud primum, quod factum est ad hominem primum, illud esse, quâ die ederitis morte moriemini: Item, præuarcatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnosci.* Hoc quoque meæ, non tuæ conuenit sententiæ. Quo modo enim vis nos primum illud testamentum dissipasse? nullo modo nisi imputatione. Vis ergo nos Testamentum illud dissipasse tantùm imputatiuè. Atqui ego volo nos illud verè & reipsa dissipasse, nempe corruptio illa quam ab Adamo trahimus, nihil aliud est, quàm legis illius præuarcatio, quàm Testamenti illius dissipatio habitualis, planè talis, qualis illa Adamo fuit vnde orta est. In Adamo igi-

tur Testamentum illud dissipauimus, legem illam transgressi sumus, quoniam eius transgressio, prauaricatio, Testamenti diuini dissipatio habitualis in nos transit, non imputatione, sed, planè quomodo ipsius natura, generatione & propagatione carnali. Neque nos verba illa *dissipandi* & *prauaricandi* turbare debent, quæ imputationem haud quaquam significant: Alioqui de Christo, cui, vt vadî nostro, peccata nostra imputata sunt, vsurpari possent; quod tamen dicere pius animus horret. Nam solemne est omnibus hominibus propensiones & habitus verbis describere actiones significantibus, vt suprâ obseruauî. Porrò corruptio ista, quam ab Adami peccato naturali propagatione traximus, imago est Adami corrupti ac vetus Adam, cum suis actibus & operibus mortificandus, deponendus, exuendus, crucifigendus. Habet autem ista corruptio, cum sit verè peccatum, suum reatum non antecedentem, cuius sit pœna, sed consequentem, cuius sit fundamentum vel causa. Itaque.

Dicunt Patres, nos ab Adamo *traxisse reatum*, nempe quia causam reatus traximus, nimirum peccatum seu vitium originale. Item, *peccato primi hominis nasci obnoxios: eius crimine factos esse mortales*; Et si qua alia sunt eiusmodi, quæ profectò vera sunt, siue per peccatum primi hominis ipsum eius vitium nobis carnali generatione infusum intelligas, cuius reatu nascentes inuoluimur, seu peccatum eius actuale, quod nos, mediante corruptione quam peperit, reatu implicat, & mortis pœnâ. Quid enim, putasne nos ab Adamo trahere solum reatum, & non

causam ipsam reatus ? Poenam, & non meritum poenæ ? Si ita sentis, cadit in te fulmen Concilij Arausici secundi, *Si quis soli Adæ prauaricationem suam, non & eius propagini, asserit nocuisse: aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transfissit, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo.* Verba huius Concilij pondera: sunt enim valdè notanda; meamque causam in primis iuant. Asserit duo mala per vnum hominem in omne genus humanum transfisse, mortem quæ est pœna, & peccatum: quod autem peccatum? Num illud actuale præcisè sumptum, de quo nostra hæc disputatio instituta est? Minimè: id enim primum describit ita, vt dicat esse mortem animæ. Est autem mors animæ posita, non in actione illa Adami, quæ tot sæculis antequam inciperet esse anima nostra præterijt, sed in corruptione & iniustitia quæ animæ inhæret, & quam tu ipse aliquoties mortem animæ esse dixisti. Deinde, vult peccatum non minùs quam mortem transfisse in omne genus humanum. Mors autem non transfijt imputatione. Ergò nec peccatum. Adde quod ponere in nobis verè & propriè & re ipsa mortem seu pœnam peccati, & non ponere in nobis verè, & propriè, & re ipsa peccatum, causam meritoriam poenæ, non congruit cum Concilij illius verbis. Nam qui pœnam peccati in Adami propagine agnoscunt, non autem peccatum, illi non faciliè negauerint imputari propagini stirpis peccatum ad illam pœnam: Vides autem Concilium duas asserre rationes quæ tuam causam iugulant: primam his verbis iniustitiam Deo dabit, alteram illis, contradi-

gens Apostolo. Prior præsupponit non posse sine iniustitia propaginem puniri ob peccatum stirpis, si non sit in eâ peccatum, quod poenam mereatur. Altera docet peccatum, quod mors est animæ, illud ipsum peccatum esse quod Apostolus affirmavit per vnum hominem introisse in mundum, ac mortem per ipsum: quibus duobus tu tota ista disputatione contradixisti. Sed quid præterea dicunt Patres.

Dicunt, *omnes homines in Adamo expulsos esse de paradiso, cum ipse inde pulsus est: hanc eius delicti condemnationem in omnes homines peruenisse.* Nempe eiectus ex paradiso non potuit liberis intra paradisum operam dare: ibi enim quisque gignit, vbi est, non autem vbi non est; ibi familiam habet, vbi habitat, non autem vbi sibi esse non licet. Porrò quos genuit Adamus, eos ad imaginem & similitudinem suam genuit, corruptus corruptos, vitiosus vitiosos, immundus immundos, ac propterea indignos quibus Paradisus redderetur.

Item dicunt, *perisse Adamum, & nos omnes in eo, ob vnius delictum nos esse mortuos: mortis vinculum nos tenuisse in eo;* Et si qua alia sunt eiusmodi, ex quibus nullis fidiculis immediata primi peccati actualis imputatio omnibus hominibus elici potest: sed contrà potius non imputatio. An enim quia in eo eiecti fuimus è paradiso, nobis eius eiectio & expulsio imputatur? An quia perijt & mortui sumus in eo, nobis eius perditio & mors imputatur? An quia condemnati sumus in eo, nobis eius condemnatio & punitio imputatur? An quia spoliati sumus in eo iustitiâ originali, nobis illa spoliatio imputatur? An quia corrupti sumus in eo, nobis eius corruptio imputatur?

Perimus igitur in Adam, quia nobiscum non per imputationem, sed per carnalem generationem perditionem suam commuicauit, corruptionem scilicet suam, & vitium inhærens, & per corruptionem illam, quia verè peccatum est, reatum mortis. Itaque ob illius delictum morimur, quia illius delictum causa est nostri delicti, & nostrum delictum causa est mortis nostræ. Nosti autem illud tritum quod est *causa cause, est etiam causa causati*. Quia, inquit Caluinus, eius peccatum peccati nostri causa est, exitium nostrum illi *Pactus* adscribit. Quem locum iam plenius citauit.

Locum è Cypriano, quia tu eius verba maximè notanda dixisti, totum adscribam. *Quanto magis prohiberi non debet à Baptismo infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata*. Putas hunc locum tibi valdè fauere. Quid si ostendero, tuam illam sententiam euertere, meam firmare? Non ponderasti illa verba, *qui recens natus NIHIL PECCAVIT, NISI quòd secundum Adam carnaliter natus CONTAGIUM mortis antiquæ primâ natiuitate contraxit*. Quid est illud contagium, nisi corruptio inhærens? & quomodo illam corruptionem contraxit? non imputatione peccati actualis Adami (peccasset enim etiam illud peccatum,) sed *carnali natiuitate*. Dic mihi etiam, *peccata aliena* plurali numero dixit si solum primum peccatum actuale, numero vnicum, & singulare intellexit? Annon respexit ad illud ps. 51. 8. *in iniquitatibus conceptus sum: Et in peccatis con-*

cepit me mater mea ; ex quibus peccati quidem inhærentis contagium , actualis verò imputatio nequaquam colligi potest. Quæro etiam , per *peccata illa aliena* quid intelligas ? solum ne primum peccatum actuale imputatum ? negavit igitur Cyprianus peccatum inhærens originale , quæ fuit Pelagij hæresis : peccatum enim proculdubiò intelligit illud de quo dixerat , *nihil peccavit, nisi* &c. An utrumque & actuale imputatum , & habituale inhærens ? Potest igitur & debet peccatum seu vitium inhærens alienorum peccatorum nomine intelligi ? Quare nihil suppetit , quo probes ijs vocibus actuale imputatum significari.

Sed audiamus Augustinum hæc ipsa Ambrosij verba interpretantem. *Nulla* , obijciebant Pelagiani , *ratione conceditur , ut Deus qui propria peccata remittit imputet aliena* , Quid respondet Augustinus ? *remittit , sed spiritu regeneratis , non carne generatis . Imputat verò , NON IAM ALIENA , SED PROPRIA : aliena quippe erant , quando ij qui propagata ea portarent nondum erant . Nunc verò carnali generatione iam eorum sunt , quibus nondum spirituali regeneratione dimissa sunt .* Hæc Augustini verba tu quoque laudasti , sed contra te . Nam , si in tua fuisset sententia , debuisset respondere , Deum quidem nobis imputare aliena peccata , sed quæ illa ipsa imputatione fiunt nostra : quæ responsio difficultatem auxisset , non sustulisset . Quærebatur enim , quomodo cum Dei iustitia & bonitate congruere posset , ut nobis imputaret peccata aliena ? Iam si dicas , ut facis , imputatione fieri nostra , sequitur priùs ordine naturæ nobis imputari , quàm nostra esse , quippe , cum quod nostra sint , imputationis sit

effectum. Quod igitur imputatione nostra fiunt, non facit ut illa imputatio iusta sit; immò si non est iusta, auget eius iniustitiam; siquidem eâ fit, ut non modò puniamur, sed etiam fiamus peccatores: sic enim duas iniurias accipimus, peccatum, & poenam. Quia igitur in tua sententia non fuit Augustinus, sed in eâ quam tueor, respondit, id quod res est, quodque obiectiõni satisfacit, *imputare Deum non iam aliena, sed propria*: quibus verbis notat conditionem illorum peccatorum cùm imputantur, non autem postquam imputata sunt, ut manifestum est. Atqui te ipso confitente, & verò ipsa ratione clamante, primum peccatum actuale Adami, si nobis, ut tu sentis, immediatè imputatur, non potest naturæ ordine prius nostrum esse, nobis proprium, quàm nobis imputetur. De eo igitur imputato nec obiectio Pelagianorum, nec responsio Augustini loquitur. Huc accedit quòd peccatum actuale Adami præcisè sumptum ita alienum est, ut non possit esse proprium cuiusque nostrum. Quicquid enim mihi proprium est, id si qualitas est, mihi inhæret, si actio, à me, quatenus ab alijs hominibus distinguor, aliquo modo producta est. Simili argumento vsus est Chamierus, *Dico* inquit, *nullum peccatum vnum numero posse esse commune omnibus hominibus. Nam peccatum vel qualitas est, vel actio. Qualitas ut peccatum originale, actio ut peccatum quodlibet actuale. At nulla qualitas, vna eademque numero potest pluribus subiectis communicari. Ut candor qui est in niue, idem numero non potest esse in Cygno, aut lana. Actiones autem sunt suppositorum. Quare idem homicidium à Caino patratum non potest esse a Lamecho. Itaque nego peccatum illud Adami esse peccatum originale:*

non enim potest omnibus esse cōmune, siue numero, quia est actio; siue specie, quia est indiuiduus actus. Si igitur peccatū illud actuale Adami non est cōmune omniū, quomodo singulorum est idem numero proprium? Hoc igitur vtrumque simul conuenire non potest actuali primo peccato, sed egregiè conuenit corruptioni singulis inhærenti, quæ aliena est respectu causæ, propria respectu subiecti: aliena est, quia venit aliunde quàm à nobis, propria est, quia nobis ipsis inhæret, vt propria qualitas: sic lepra a parente in sobolem propagata dici potest & aliena, & propria: aliena, quia venit à parente; propria, quia hæret in sobole. Atque hanc esse mentem Augustini, ipse sequentibus verbis exponit. *Aliena quippe erant, quando ij qui propagata ea portarent, nondum erant.* Tunc enim nonnisi in alijs erant. *Nunc verò carnali generatione iam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.* Hic notanda sunt primùm illa verba, *qui propagata ea portarent*; deinde ista, *carnali generatione iam eorum sunt.* Obseruo autem primo loco vocem *propagata*, quæ non conuenit peccato actuali Adami: singulare enim cum sit ac numero vnicum, nullo modo multiplicabile, propagari certè non potest: nam omne propagatum differt numero ab eo à quo propagatum est. Natura humana in Adamo propagata non fuit, sed, vt ita loquar, propagans, in nobis autem propagata est ab eo: sic peccatum idem numero, quod in Adamo fuit, propagans quidem fortasse, propagatum certè dici non potuit. Necessè est igitur vt ista peccata propagata numero differant ab Adami peccato. Deinde obseruo verbum illud *portarent*, quod non accipitur ab Augustino quo sensu solet in Scriptura pro *puniti*.

ob peccata ; sed pro illa *sustinere* propagata ac sibi in-
 hærentia ; quo certè modo non potest à nobis porta-
 ri peccatum actuale Adami. Denique non dixit ,
nunc verò diuina imputatione *iam eorum sunt* , quibus
nondum spirituali regeneratione dimissa sunt , quæ tua est
 sententia ; sed *nunc verò carnali generatione* &c ; si car-
 nali generatione nostra sunt , non igitur nostra sunt
 imputatione. Nam quod generatione carnali no-
 strum est , Id , siue nobis imputetur , siue non impu-
 tetur , nostrum est. Cæterum hæc eadem Augustini
 verba Petrus Martyr & Bullingerus , præ nobis duo-
 bus heroes , interpretati sunt , non vt tu de peccato
 actuali imputato , sed , vt ego , de vitio inhærente.

Loc.
Com.
§. XI.

Obijciuntur , inquit Martyr , *illi à Pelagianis duo argu-
 menta satis arguta & difficilia. Vnum : Quis fieri possit ,
 vt Deus qui pro sua bonitate nostra ipsorum peccata remit-
 tit , velit imputare aliena. &c. Ad primum respondet ,
 Deum summè bonum esse , neque , quod isti assumunt , in
 culpa Originis imputare nobis alienum peccatum , sed no-
 stram ipsorum iniquitatem , que nostræ naturæ adheret iam
 inde ab ipsi origine.* Hæc Martyr , sequuntur verba Bu-
 llingerii.

Decad.
3. ser
mon. X.

*Concludimus igitur secum infantes damnationem
 ab utero materno afferre in mundum : naturam enim cor-
 ruptam afferunt , ac propterea suâ culpâ & vitio , non autem
 alienâ , pereunt. Quamuis enim alicubi Sanctus Augu-
 stinus v deatur hoc peccatum alienum , vel ab alio tradu-
 ctum , vt propagari clariùs ostenderet , appellare ; tamen
 ipse hoc peccatum verè nostrum esse , ac suum cuique pro-
 prium , conficitur.*

Supereſt Bernardi Abbatis Clareuallensis testimo-
 nium, quod facile contempſiſſem, niſi tu *maximè notan-
 dum* dixiſſes. Cùm enim iſte Monachus iaculo, vt tu

notasti, vndecimo, hoc est, corruptissimo floruerit, non debet mirum vidèri, si non fuit expers erroris: cuius rei vel illa ipsa verba, quæ tu laudasti, testes esse possunt. *vt, &c, si nesciens in Adam peristi, nesciens viuificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus noxias: nescisti nihilominus quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit.* Nam nescientes quidem per Adamum facti sumus peccatores, sed nescientes non fimus iusti per Christum: est enim fides, qua iustificamur seu viuificamur in Christo, cognitio quædam. Carnalis verò generatio, qua fimus peccatores in Adam, nec cognitio est, nec ab eo qui gignitur, mente cognoscitur. Sed fortasse de solis infantibus loquitur, quamuis hominem in genere & uniuersim compellet. vt vt sit, nihil dicit quod meæ sententiæ incommodet. Nam si culpam vocat alienam, *aliena lauit aqua quos culpa inquinauerat aliena*, corrigit se continuo, *Nec tamen sic alienam dixerim vt negem nostram; alioqui nec inquinaret.* Est igitur ita aliena vt sit nostra: nec nos aliena inquinat, sed nostra: quare nobis imputatur, vt nostra est, non vt est aliena: impuratur enim quâ nos inquinat. Non igitur nostra est, vt tu putas, imputatione; alioqui non inquinatos Deus sua illa imputatione seu actione inquinaret, quod absit. Hæc igitur prima verba, vt tu vides, mihi potius fauent quàm tibi; siquid igitur mihi aduersatur, id in his sequentibus consistat necesse est, *Sed aliena st, quia in Adam omnes nescientes peccauimus: nostra, quia etsi in al'e, nos tamen peccauimus.* Et nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto. Non vrgebis quod ait nos in Adamo peccauisse, iam enim quàm hæc locutio mihi

non obſit, fatiſ me oſtendiſſe arbitror; ſed vrgebis proculdubio poſtrema verba, & *nobis iuſto Dei iudicio imputabatur licet occulto*. Ea igitur expendamus. Primum non ait ſimpliciter culpam noſtram eſſe, quia nobis imputabatur, quæ tua eſt ſententia, ſed culpam noſtram eſſe, *quia etſi in alio, nos tamen peccanimus & nobis imputabatur*. Noſtrum, vt ita loquar, peccaſſe imputatio ſequebatur, non præcedebat. Deinde, Vel nobis iam genitiſ & exiſtentibus imputatam fuiſſe illam culpam, quodam ſenſu alienam, alio noſtram, & nobis propriam, intelligit; vel nobis nondum exiſtentibus quando Adamuſ peccauit. Priuſ ſi eligiſ; aio culpam illam, quæ erat in mundo, ſed, cum nondum eſſemus; aliena à nobiſ, ſimul ac fuimus noſtra fuit, nobiſ propria, ſitam eſſe in vitioſitate innata & inhærente nobiſ, eamque, quia propriè peccatum ſit, nobiſ iuſto Dei iudicio, niſi remiſſa fuerit, & condonata in Chriſto, imputatam fuiſſe: atque ſic Bernardum interpretor. Si verò poſterior eligiſ; primò rd mihi videtur alienum à noſtra quæſtione, qui de imputatione diſputamus, qua nobiſ, cum ſumus, peccatum imputatur; deinde abſurdum mihi videtur ei, qui nondum ſit, iam imputari peccatum, tam certè abſurdum quàm eum puniri, qui nondum eſſe coeperit. Si tamen culpa illa nobiſ imputabatur nondum genitiſ, ſiebat iſta imputatio in ſola Dei præſcientia, cui futura ſunt præſentia; quàm autem noſ præuidebat futuros, tam præuidebat etiam futuros corruptoſ, ac ob hanc corruptionem deriuatam in noſ ab Adamo damnabileſ. Quodocunque igitur Deus nobiſ peccatum originiſ imputare dicatur, ſiue cum ſumus, ſiue antequam ſimus, ſiue in tempore, ſiue ab

æterno, id peccatum aliud nihil est quàm inhærens illud à natiuitate nobis vitium, quod à primo nostro parente non per imputationem, sed per carnalem generationem traximus. Vides, vt confido, Frater obseruande, nihil te reperisse in tota antiquitate quod non sit consentaneum meæ sententiæ, neque verò, nisi me animus fallit, reperiri à quoquam potest. Quod si mihi liberet, tuo exemplo, Patrum scriinia compilare, possem ex eorum monumentis, multo & plura, & certiora, & quæ nulla arte eludi possent testimonia, & pro mea sententia, & contra tuam excitare, ac proferre: sed mihi tempero, partim ne quod in Pontificijs iure reprehensum est à nostris, committere videar, partim quia veritas, quam tueor, diuinis abundè munita præsidijs, humana non desiderat, partim quia, nunc quidem, mihi satis est impetum tuum sustinere, ac respondentis partes tueri.

C A P V T X I I.

*Non posse ex Confessionibus Ecclesiarum
Reformatarum imputationem illam
primi peccati Actiualis
elici.*

PATRIBVS subjungis Ecclesias reformatas, Earumque & Confessiones profers, & quorundam doctorum suffragia, possem te hinc pellere, & ad Scripturam reuocare facillimè. Constans enim est omnium Ecclesiarum Reformatarum sententia, Scripturam esse fidei nostræ regulam perfectissimam, cui

nihil addi, nihil detrahi possit. Itaque nihil extra Scripturam credendum esse. Ex quo manifestum est, dogma illud tuum de imputatione peccati Adami actualis, cum ex Scriptura probari non possit, alienum à doctrina Ecclesiarum Reformatarum esse. Constans etiam est omnium Ecclesiarum Reformatarum doctrina, quicquid aduersatur sacris literis, id non modo non credendum esse, sed toto etiam pectore detestandum. Contendo autem tuum illud dogma sacris literis repugnare, ac peto & flagito, ut me id demonstrantem fratres mei patienter audire sustineant. Meas demonstrationes habebis Deo bene fauente in Apologia Thesium mearum.

Constans quoque est sententia Ecclesiarum Reformatarum, Deum esse iustissimum, æquissimum, optimum, nec ei imputandam esse peccatorum nostrorum causam. Cum igitur eo pertineat tuum illud dogma de imputatione primi peccati actualis, ut causa peccati, & condemnationis posterorum Adami Deo imputetur, ut iam aliquoties probaui, profectò fatendum est tuum illud dogma alienissimum esse à doctrina Ecclesiarum nostrarum. Denique constans est Ecclesiarum Reformatarum sententia Dominum Nostrum Iesum Christum natura sua peccatorem non fuisse: nam si peccator fuisset naturâ ac propterea filius iræ, proculdubiò hominum redemptor & seruator esse non potuisset. Atqui ego contendo & demonstraturum me confido, id sequi ex tuo illo dogmate. Quibus igitur argumentis hoc & superiora euinco, iisdem eademque opera planum facio tuum illud dogma pro Ecclesiarum reformatarum dogmate nequaquam habendum esse.

Id quod ipsum ex illis ipsis Confessionibus fidei, quas citas, colligere potuisti. Explicant enim humanæ miseriæ causam, peccatum originale accuratè describunt, nullam tamen faciunt mentionem imputationis peccati actualis Adami. Vnde sic argumentor. Si eam imputationem Ecclesiæ Reformatæ, omnes vnanimi consensu, credidissent, vt traditam in scripturis & creditu necessariam, vt cuius negatio olim sit damnata in Pelagianis, debuerunt eius mentionem aliquam facere vel in omnibus suis confessionibus fidei, vel saltem in earum aliqua. At nullam prorsus in vlla Confessione fecerunt. Non igitur eam crediderunt. Item sic, si peccatum originale est duplex, imputatum & inhærens, illud præcipuum ac huius causa, profectò malè descripserunt peccatum originale in suis fidei confessionibus omnes Ecclesiæ reformatæ. Hoc autem qua, ducor erga Ecclesias reformatas reuerentia, mihi videtur valdè absurdum ergo & illud. Mala enim est definitio seu descriptio, quæ descripto angustior est, quæ non conuenit toti definito, sed eius duntaxat vni parti, & quidem minus præcipua. Attamen omnes peccati originalis, quæ habentur in fidei confessionibus, descriptiones soli vitio inherenti conueniunt, peccato actuali imputato nullo modo. Itaque necesse est fateri malas esse, quæ suis procul dubio authoribus sunt visæ optimæ, nec immeritò. Sed quando ita visum est tibi, excutiamus singulas.

GAR. *Si simplex Confessionum silentium ita virgendum est in omni Religionis capite, vt ex eo colligatur aliquid non esse habendum pro articulo doctrinæ, quam Protestantes Ecclesiæ communitè amplectantur, vereor vt eliminanda sint multa, quæ, qui doctrinæ*

imputationis sunt iniquiores, pro veritatibus Christianis obtrudunt, de quibus tamen altum in Confessionibus nostris silentium. Deinde, non est quòd omnia quæ pertinent ad doctrinam Christianam putemus intra finem Confessionum aut posse aut debere concludi. Non posse certum est, quia Confessiones succinctæ ac breues sunt, ut ne nimiam mole excrescentes, iam in istos libros & tractatûs euadant, quod necessarium esset, si in singulis doctrinæ apicibus esset immorandum. Sed nec debere liquet, quia in Confessionibus summa tantum & præcipua capita exponuntur, quæ omnes scire inter est, & in quorum fide præsertim constituitur Religionis Christianæ ratio. Cætera doctoribus explicanda relinquuntur, non quòd non recipiantur ab Ecclesia, ut vel inde patet, quod libri eas doctrinas complexi plerumque publicis approbationibus muniuntur; sed quia ea satis est Confessionibus exprimi, quorum cognitio maiorem habet necessitatem, & quæ propius salutem contingunt, & quæ fundamenti instar habent, cui reliqua inniuntur, vel certè a quo non abscedunt.

P L A C. Non sum à simplici silentio Confessionum argumentatus, ut patet legenti. Stat igitur duplicis robor integrum argumenti. Addo etiam, nec futuram longiorem Confessionem, si imputationis meminisset, nisi fortè verbo vno, aut lineâ, & illam imputationem, si eius propugnatoribus credendum est, fundamentum & causam esse omnium Adæ posterorum miseriæ. Illâ peccatores constituti sunt omnes & rei mortis æternæ: Illâ quicquid est in omnibus originalis peccati nititur: Illi imprimis iustificatio, quam per Christum habemus, opponitur. De numero igitur earum doctrinarum censenda est, quæ omitti non debuerunt, siquidem eius defensores non errant.

G A R. Tertiò nimium audax est illa asseueratio, nullam prorsus in vlla Confessione mentionem factam fuisse huius imputationis. Neque vocabulum moror, quia de re ipsâ non de voce agitur; & quanquam imputandi verbum in Confessionibus hîc non occurrat, rem tamen eo verbo significatam Confessionibus saltem nonnullis contineri & manifestè satis comprehendi, non potest absque obfirmato contradicendi proposito negari. Quid est enim imputari nobis peccatum Adæ, aliud, quàm nos propter illud reos esse,

esse, nos illius pœnam sustinere, propter illud mortem & varias pœnas nobis incumbere. Atqui eiusmodi reatum, & pœnam in nos descendere Confessiones agnoscunt.

PLAC. Primum quod dat accipio, non occurrere in Confessionibus imputandi verbum de peccato Adæ usurpatum; quod certè mirum, si imputationem illam omnes Ecclesiæ protestantes unanimi consensu tenuerunt. Rem significatam contineri ait, saltem in nonnullis. Illud saltem in nonnullis, tacita confessio est in quibusdam, ne dicam plerisque, non contineri. Sed quænam est illa res significata? Nos, inquit, propter peccatum Adæ reos esse. Quis nostrum hoc negat, aut negavit unquam? Sed distinguere oportet, ut iam aliquoties feci, cum peccatum Adæ, tum vocem propter. Nam, si per peccatum Adæ intelligitur corruptio in nos ab Adamo deriuata, id nobis proximè seu immediatè imputatur antequam condonetur, Hanc imputationem constanter agnosco. Si per peccatum Adæ intelligitur eius primum peccatum actuale; distinguo illud propter; nam vel sensus est nos propter illud peccatum proximè & immediatè reos esse, qui sensus est à Confessionibus alienus; vel sensus est nos esse reos propter illud mediatè tantùm, hoc est, mediante corruptione illa hæreditaria; atque is sensus nobis nihil obest. Neglectâ distinctione imputationis oberrat perpetuò Vir doctus eadem Chorda, seseque in eo probando fatigat quod minimè controuertitur. Propter peccatum Adæ mors & variæ pœnæ nobis incumbunt; nempe propter peccatum Adæ quod intra nos est, proximè; propter peccatum Adæ quod extra nos in Adamo fuit, remotè, Quod enim est causa corruptionis nostræ, id causa est reatus corruptionis nostræ, nimirum mediatè seu remotè. Quam igitur abest à Confessionibus imputandi verbum, tam etiam ab ipsidem abest res significata quam nego.

Gallicæ nostræ, inquit, assensum præbent satis manifestum. (Non certè tuæ sententiæ, sed meæ potius.) Nam Art. 9. ita habetur, Creditur us hominem creatum purum, & int. gr. m, & imagini Dei conformem, sua ipsius culpa excidisse à gratia quam accip. rat, proinde seipsum &

Deo omnis iustitia, & bonorum omnium fonte abalienasse. Nunquid, addis, ille homo est Adam primus homo? Ego quod homo excidit à gratia Dei & abalienatus est à Deo, nonne culpa primi illius hominis? Equidem quid tibi velis his duabus interrogationibus non assequor. quid enim per hominem illum qui excidit à gratia & abalienatus est à Deo intelligis? Num ipsum Adamum? sensus est igitur sua ipsius culpa Adamum excidisse, quo nihil est verius. Num genus humanum? fateor illud quoque abalienatum esse à Deo culpâ Adami: sed de modo quaritur inter nos, vtrum per imputationem illius culpæ, an verò per vitiositatis illius culpæ propagationem & multiplicationem? Tu prius asseris; Ego posterius. Tu vis culpam Adami nostram esse imputatione, ego reali communicatione & propagatione illius vitiositatis, quam in Adamo culpa illa reliquerat. Nihil habes in illis Confessionis verbis, vnde tua magis quàm mea sententia probari possit. Quanquam nihil necesse est per hominem eo loco Adami sobolem intelligere, de qua sequens articulus loquitur; sed describit Confessio in quantum depravationem & corruptionem primus homo ex statu integritatis ceciderit, vt sequenti articulo doceat eius sobolem totam contagione corruptionis illius infectam esse. Caterum cum homo dicitur creatus purus, & integer, & imagini Dei conformis, vtrum id de solo Adamo, an de reliquis etiam hominibus intelligendum est? Si de solo Adam, de eodem vtique solo sequentia in eodem Articulo verba intelligenda sunt. Si de reliquis hominibus, quero, quomodo fuerint creati puri & integri? Dices in Adamo. Vtrum igitur per imputationem creationis, pu-

ritatis, integritatis Adami? Non arbitror. Quomodo igitur? quia nempe si perstitisset in integritate, eos genuisset puros, integros, imagini Dei conformes. Cur ergo non eodem modo intelligis nos in eo peccasse, quia nos genuit sui similes, peccatores, corruptos, imagini Dei dissentaneos? Sed, inquis, quod sequitur art. 10. id clariùs explicat. *Credimus totam Adami sobolem hac contagione infectam esse, quam peccatum originale vocamus, vitium videlicet ex propagatione manans, &c.* Certè explicari mea sententia clariùs non potuit; tuæ quod faueat ne v^{d} quidem. Laudas etiam sequentia, *Ne putamus necessarium esse inquirere, quònam possit hoc peccatum ab uno ad alterum propagari, sufficit enim quæ Deus Adamo largitus erat non ipsi soli, sed etiam toti ipsius posteritati fuisse data, ac proinde nos in ipsius persona omnibus illis bonis spoliatos, in omnem hanc miseriam & maledictionem incidisse.* Hæc omnia mihi rectissimè dicta videntur, & meæ sententiæ congruenter. Tu tamen singula ponderas, ac nescio quid mihi repugnans elicere satagis, *Hæc, inquis, sonant peccatum originis, & contagionem illam, quæ nos maledictioni submittit, esse ab eo quod sumus Adami soboles.* Rectè sanè: sonant igitur id quod te aduersus defendo, reatum nostrum ex contagione illa seu vitio originis nasci, eamque sequi, non autem, quemadmodum tu putas, antecedere vt causam. Subijcis notandum esse quod dicimur, *in ipsius persona omnibus bonis spoliati in miseriam & maledictionem incidisse.* Id aduersus tuam sententiam noto libenter, ac primùm obseruo spoliationem illam antecedere, miseriam & maledictionem subsequi; nempe illa peccatum sonat, hæc pœnam. Deinde quæro, quo sensu dicamur spoliati

fuisse omnibus illis bonis in persona Adami ? an per imputationem illius ipsius priuationis illorum bonorum, quæ fuit in Adamo ? Bis igitur nobis priuatio illorum bonorum imputatur, quæ semel tantum Adamo fuit imputata : nam & illa quæ in Adamo fuit nobis imputatur, & illa etiam quæ nobis ipsis inest : cur non enim hæc ipsa quoque nobis imputaretur, eum sit intra nos, nobis inhærens ? Profectò eodem sensu spoliati fuimus illis bonis in persona Adami; quo illis donati fuimus in eius persona. Fuimus autem illis donati in eius persona, non per imputationem, sed quia bona illa, si conseruasset, nobiscum reapse, vna cum sua natura, per generationem communicasset, ac propagasset. Eodem modo fuimus in eo bonis illis spoliati, non per imputationem, sed per propagationem spoliatae illis bonis naturæ. Tu tamen inde nescio quid argumenti colligis, quod sic habet. *Si priuatio boni & casus in malum est effectum peccati, peccauimus in persona illius in quo priuati fuimus bono, & in malum incidimus. Atqui priuati fuimus bono & in malum lapsi sumus in persona Adami ex confessione nostra. Ergo in persona Adami peccauimus.* Et si maioris necessitatem nullam video, tamen non grauatè concedo conclusionem. Subsumis, *sed nondum eramus, nec quisquam posterorum cum peccauit : unde sequitur peccatum quod personaliter commisit, non esse peccatum sobolis, nisi quatenus illi tribuitur & imputatur, quia est ab eo, & in eo consideratur.* Hoc verò nego sequi : perinde est ac si, quia in eius persona fuimus, & tamen nondum eramus quamdiu fuit, colligeres, igitur eius esse personale nobis imputari, quia sumus ab eo. In eo fuimus, quia eius esse propagatum est in nos ; in

eo peccauimus, quia eius peccatum in nos similiter propagatum est.

G A R. *Quaquam hæc ad corruptionem illam pertinent, quæ lapsu Adæ labefecit totum genus humanum, & propagatione naturali in omnes & singulos diffunditur; tamen non esse hinc excludendam, sed potius comprehendendam imputationem peccati Adæ, patet ex eo, quod in Adami, non in aliorum maiorum persona spoliati dicimur & in miseriam lapsi; nimirum quia in Adamo aliquid præcessit, quod in alijs non præcessit; &c.*

P L A C. Hactenus bene. Præcessit enim in Adamo peccatum actuale quod Corruptionem illam produxit: in alijs maioribus nostris corruptionem nullum peccatum actuale antecessit. In eo igitur tanquam fonte, ac causa illius spoliationis dicimur bonis illis spoliati: illa enim solus accepit, habuit, possedit, actuali sua inobedientia amisit, & quia amisit, non habuit, nec ad nos transmittere potuit. Id de alijs dici non potest, qui huius spoliationis non magis, quam nos, autores, nec minùs participes fuerunt. Sic quamuis peccatum Ieroboami commune fuerit omnia Regum Israelis, tamen vniuersus Ieroboami peccatum vocari solet, non aliorum Regum; quoniam ille primus autor fuit illius peccati, alij Reges non item. Id autem nullam imputationem importat, quæ Corruptionem, vt causa, antecesserit. Nam & sine tali imputatione propagari Corruptio potuit, & nulla iusta causa fuit, cur actio Adami propria & personalis per imputationem fieret actio omnium.

Quod in alia Confessione fidei nomine Ecclesiarum Gallicarum scripta, vt coram Imperatore & Principibus Germania ederetur, explicatur in hæc verba, omnes naturæ exitio & damnationi obnoxij sumus, non tantum quia Adamus peccauit, sed quoniam peccatores & ipsi sumus ab vtero, Id mihi nequaquam nocet. Fateor enim ad damnationem nostram pertinere, & peccatum Adami, & peccatum nostrum natium; illud vt causam remotam seu mediatam, hoc vt causam proximam seu mediatam.

Sed tu speras lumen à sequenti articulo; eum ergo recitemus, *Credimus hoc vitium esse verè peccatum, quod omnes & singulos homines, ne paruulis quidem exceptis*

adhuc in utero matrum delitescantibus, aeternae mortis reos coram Deo peragit. Affirmamus quoque hoc vitium, etiam post baptismum, esse verè peccatum quod ad culpam attinet, quamvis qui filij Dei sunt minimè idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia illud ipsis non imputat. Quis sperasset te pro tua sententia hæc verba citaturum fuisse? Tu tamen, qua es ἀγνοία, in ijs mediumprehendisti quo eam probares. Cum, inquis, dicimus vitium illud, peccatum illud originis, esse verè peccatum, etiam in parvulis, in utero matrum delitescantibus, & satis esse ad condemnationem, agnoscimus illos eo esse infectos, quia peccaverunt in persona Adami: nondum enim quicquam fecerunt boni vel mali, ut loquitur Apostolus. Non capio mentem tuam. Visne hoc vitio infici infantes, quia illis peccatum actuale Adami imputetur? nihil est in verbis illis confessionis unde id possit exculpi vlllo modo. Visne vitium illud dici verè peccatum ac homines reos peragere non ratione sui, sed antecedentis & coniunctæ imputationis peccati actualis Adami, ex qua sola reatus exsurgat? Si ita sentis; longè abis à mente huius Confessionis. Primum definit hoc vitium esse verè peccatum; Atqui non est verè peccatum, si non dicitur peccatum, nisi quia aut est effectum peccati, aut est coniunctum cum imputatione alicuius peccati: sic ipsa mors corporis verè peccatum dici posset, quod tamen nemo dixerit. Deinde affirmat hoc vitium omnes homines reos peragere coram Deo: sequitur igitur vitium reatus, non antecedit. Tertio asserit hoc vitium, etiam post baptismum, esse verè peccatum, quamvis non imputetur, nec sit cum vlla antecedentis peccati imputatione coniunctum. De-

rique nota tibi est controuersia quæ nobis intercedit cum Ecclesia Romana de concupiscentia , seu vitio illo originis, sitne post baptismum adhuc verè peccatum. Nostri summo omnium Protestantium consensu probant esse verè peccatum, non ducto ab imputatione peccati actualis Adami argumento, sed varijs argumentis, quæ probant ipsam concupiscentiam per sese peccatum esse formaliter & propriè, non quomodo *actio*; nam reuera infantes in vtero materno nihil dum boni vel mali fecerunt, sed quomodo *qualitas* voluntati penitus infixam peccatum dici potest. Ad dis, *Et cum dicimus illam culpam & reatum aboleri in ijs qui filij Dei sunt, quia eis Deus non imputat, numquid fatemur alijs imputari qui damnantur ob illud peccatum?* Certè fatemur ijs qui pereunt imputari vitium illud, quandoquidem verè peccatum est, ac eos coram Deo reos peragit. Cæterùm si vitium illud verè peccatum est, & omnes ac singulos homines coram Deo reos peragit, quid opus est ad condemnationem hominum vt illis peccatum actuale Adami, quod tu ipse *personale* fuisse fateris, imputetur? Cur vitio illo non contentus vis tibi alijsque singularem illam actionem Adami imputari, qua legem transgressus est? Potuitne fidei Confessio disertius, clariùs, significantius docere, generis humani reatum ac condemnationem esse proximè & immediatè à vitio illo omnibus & singulis ingenito, ac proinde non esse à peccato actuale Adami, nisi mediatè & remotè? Porrò hæc tua verba, *cum dicimus illam culpam & reatum aboleri in ijs qui filij Dei sunt*, repugnant phrasi Confessionis: Illa enim culpam distinguit à reatu, & hunc in baptismo aboleri, illam post baptismum remanere testatur.

Gallicam confessionem sequitur *Heluetica*. Artic. 8. cuius tu verba non transcripsisti; tantum tria in illo Articulo obseruasti; vnum, quod dictum Apostoli ad Rom, v. *producit*, *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum Mors, &c. Nam, inquis, dictum Apostoli sententiam nostram continet & firmat.* Quam id ablit à vero, liquet ex cap. 9. & 10. huius meæ responsionis, immò ex hac ipsa Confessione: declarat enim initio articuli 8. quod peccatum introierit in Mundum, & deinde quæ mors, verba adscribam, non enim possum melius meam fidem exprimere. *Fuit homo ab initio à Deo conditus ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis bonus & rectus, sed infectus serpentis & suâ culpâ à bonitate & rectitudine deficiens peccato morti variisque calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est à lapsu, tales sunt omnes qui ex ipso prognati sunt, peccato, inquam, morti variisque obnoxij calamitatibus.* Audis, vt in illo Apostoli dicto, peccatum primo loco nominatum, deinde mortem; quod ergo peccatum intelligunt? non certè primum illud actuale Adami, quæ tua est sententia, sed, quæ mea est sententia, natiuam corruptionem: sic enim ipsi verbis sequentibus sese Heluetij explicant, *Peccatum intelligimus esse natiuam illam hominis corruptionem ex primis illis nostris parentibus in nos omnes deriuatam vel propagatam, qua concupiscentiis prauis immerfi, &c. quo nomine merito nostro ire Dei obnoxij pœnis subijcitur iustis.* Deinde subijciunt se per mortem intelligere non tantum corpoream mortem, sed etiam supplicia sempiterna peccatis & corruptioni nostræ debita. In cuius doctrinæ confirmationem laudant Eph. 2. *eramus mortui delictis & peccatis, &c. & Rom. v. sicut per vnum hominem*

hominem peccatum in mundum introiit, &c. & addunt agnoscimus ergo in omnibus esse originale peccatum. Docet igitur hæc Confessio, & quidem apertè, peccatum cui nascimur ex Adamo obnoxij, & per illud mortij, esse nativam corruptionem; itaque locum illum Apostoli tibi adimit, mihi vendicat: ac non modò silentio suo tuam sententiam tacitè improbat, sed meam etiam disertè affirmat.

Alterum quod observas est, quod paulò post additur, *sentimus per omnia in hac causa cum Augustino, qui sua ex scripturis sacris protulit atque defendit.* Augustinus autem, inquis, sententiam nostram *manifestò zuetur.* Quí factum est igitur vt eam ex libris ejus probare non potueris? Hoc igitur quicquid est in te retorqueo. Helvetij sentiunt per omnia in hac causa cum Augustino. Atqui Augustinus non credidit, non docuit imputationem immediatam peccati actualis Adami omnibus hominibus: immò multa docuit ejusmodi imputationi repugnantia. Non igitur eam imputationem Helvetij crediderant. Possem minorem hujus argumenti multis rebus necessariis demonstrare, nisi me quodammodo puderet reformatum niti Patrum autoritate in re præsertim per Scripturam certâ & perspicuâ.

Tertiò denique observas in Art. 15. de Iustificatiõne asseri *Deum propter solum Christum propitium esse peccatis nostris, nec illa nobis imputare, imputare autem justitiam Christi pro nostra.* Vnde elicis, *Si peccatum non imputatur fidelibus propter Christum; Igitur imputari infidelibus. Quod cum dicatur de omni peccato, dicitur etiam de peccato originis. Et ex consequenti de peccato illo primo Adami cuius rei sumus, & consideratur tanquam*

nostrum peccatum, quatenus nobis imputatur. Hoc postremum nego sequi ex Antecedente: sufficit enim imputari peccatum originis, quod suum cuique inest. Repetis, sic accipiendam semper esse oppositionem inter Adamum & Christum, peccatum Adami & iustitiam Christi, ut quemadmodum, cum in Christo consideramur, iustitia ejus nobis imputatur, ita cum in Adamo consideramur, peccatum ipseus nobis imputetur. Augustinus longè aliter hanc oppositionem explicat. Sicut ille, inquit, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis, sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis, qui præceptum domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Et paulò post, Legimus, inquit, iustificari in Christo qui credunt in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret domino, unus spiritus est, innuens damnari in Adamo qui ex eo nascuntur propter occultam communicationem & propagationem carnalis concupiscentiæ, in qua constanter peccatum Originale situm esse docet & passim inculcat. Eandem oppositionem iisdem Augustini verbis Buce rus ipse quoque exponit.

De me-
ritis &
remiss.
pecc.
cōtra
Pelag.
lib. I.
cap. IX.

Cap. X.

A Confessione Helvetica transis ad Scoticanam, prætermittis aliis duabus Helueticis, necnon Anglicana, tuæ sententiæ haudquaquam fauentibus. Adscribis autem ex eius art. 3. hæc verba, *Qua transgressione, quæ vulgò dicitur originale peccatum, prorsus deformata est illa Dei in homine imago, ipseque eius posteritaturæ facti sunt inimici Dei, mancipia sathana, & servi peccati,*

adeo ut mors aeterna habuerit potentiam & dominium in omnes. Et exclamas, quid manifestius? Nam transgressionem Adami vocant originale peccatum. Agnoscunt igitur omnes homines, qui peccato originis infecti sunt, etiam illius transgressionis reos. Non autem sunt rei, nisi quatenus illis imputatur. Nempe tu verba illa, quae vulgo dicitur originale peccatum, refers ad antecedentem transgressionem; in quo mihi videris autoribus huius confessionis *avistopislar* tribuere: reuera enim non ipsa transgressio Adami, sed ab illa natum vitium seu corruptio vulgo dicebatur peccatum originale. Id liquere potest ex omnibus aliis confessionibus, quae peccatum originis constanter in illo vitio collocant, necnon ex Scotorum Catechismo à Ioh. Gragio Regis Concionatore composito & paulo post illam confessionem edito. Nam quaestioni quid est peccatum originale? respondetur, *Corruptio totius naturae nostrae*, nulla facta mentione imputationis peccati Adami. Itaque David Paræus, qui tibi in hac causa suspectus esse non potest, fatetur *usum & consuetudinem loquendi in Ecclesia & scholis obtinuisse haec duo; unum ne peccatum originis cum peccato primo confundatur, sed ut effectus à causa, fluius à scaturigine discernatur: alterum, ut nomine originalis peccati sola prauitas habitualis seu deformatio naturae censetur*. Isque usus etiam in scholis pontificijs obtinuit. Id quod, si opus esset, possem multis exemplis facere liquidum. Puto igitur in illa confessione relatiuum quae positum esse pro quod vel quares, ac erratum esse vel Typographi vel correctoris qui illud construendum putauit cum antecedente nomine foemini generis, cum pertineat potius ad id quod sequitur explicandum; sic enim & cum aliis

comm.
in rom.
v. 11.

confessionibus & cum rei veritate consentiet. Sed
 fac nullum esse mendum, quid dicit illa confessio?
 Transgressionem primorum parentum esse pec-
 catum originale? Non, sed *vulgo dici peccatum
 originale*. Rectè, an secus, non pronunciat. Sed fac af-
 firmasse transgressionem Adami esse peccatum ori-
 ginale. Primùm distingo Originale, vtar Parei ver-
 bis, *dicitur enim ambigùè, actiue quod originat (vt sic
 loquar) seu originem dat rei, & passiuè quod originatur, seu
 originem trahit aliunde*. Ita peccatum originale dicitur *am-
 biguè, tam peccatum originans, hoc est, peccatum primum A-
 dami qua fuit personalis transgressio, quàm peccatum origi-
 natum*. Esto igitur transgressio Adami peccatum origi-
 nale priore sensu, hoc est, actiue, quia origo fuit &
 causa peccati quod nobis omnibus ab origine inest,
 sed causa per propagationem naturalem, non autem
 per diuinam imputationem. Inde non sequitur no-
 bis illam transgressionem imputari. Deinde distin-
 guo transgressionem Adami: nam vel præcisè signifi-
 cat actionè illam singularem qua Dei legem violauit,
 vel habitualement corruptionem ex illa actione natam &
 in omnes homines propagatam, quo sensu omnes di-
 cunt, & tu ipse aliquoties, peccatum Adami in nos
 transire, propagari, transfundi, trajici, deriuari;
 quo sensu verum est transgressionem eius peccatum
 esse originale, etiam passiuè, sed non quatenus eius
 fuit vt subiecti. Propagata enim in nos & reipsa
 traiecta illa transgressio nostrum est peccatum origi-
 nale. Eà autem deformata est Dei imago formaliter
 quidem in eo in quo est, causaliter verò in eius prole.
 Hanc autem corruptionem, quatenus intra nos est,
 nobis nisi condonetur propter Christum, imputari
 iam sæpius dixi.

GAR. *Hic videmus transgressionem illam primam, qua peccatum Adami actuale fuit, ad peccatum nostrum originale pertinere. Non potest autem pertinere nisi nostra sit, quorum scilicet est originale peccatum; & nostra esse non potest, nisi vel imputatione, vel inhesionem: inhesionem porro nostram esse impossibile est, tum quia iam à multis sæculis transiit, tum quia non in alio hæsit, quàm in ipso Adamo. Itaque eò deueniendum est, ut nostra dicatur imputatione, quatenus eius reatus & pœna ad nos pertingit.*

PLAC. *Prima Adæ transgressio actualis ad peccatum nostrum originale pertinet; ac propterea ab eo distingui debet: alioqui stabiliret hæc Confessio errorem Pighii. Pertinet autem ut illius causa. Quod igitur subiungitur, Non potest autem pertinere nisi nostra sit, negari faciliè, probari verò non potest. Quod additur, nostra esse non potest, nisi vel imputatione, vel inhesionem, falsum est; potest enim nostra esse consensione: nam qui consentit in peccatum alterius, eo ipso sese peccati illius facit participem, & reum. Potest etiam fieri nostra propagatione, quatenus Corruptionem ut semen suum produxit in Adamo, quo propagato in Adami posteros, propagari ipsa quoque dici potuit. Porro si nostra esse non potuit inhesionem, etiam nostra esse non potuit imputatione. Pugnat enim talis imputatio cum Dei iudicis iustitia, ut iam sæpius inculcaui.*

Sequitur Confessio Belgica Art. xv. Credimus Adami inobedentiâ peccatum quod vocant originis in totum genus humanum sparsum & effusum fuisse. Est autem peccatum originis corruptio totius nature & vitium hereditarium, quo & ipsi infantes in matris utero polluti sunt: quodque, velut noxia quedam radix, genus omne peccatorum in homine progerminat, estque tam turpe & execrabile coram Deo, ut ad vniuersi generis humani condemnationem sufficiat. Hoc ipsum credo. Tu præterea vis me credere imputationem peccati actualis Adami vniuersalem ac immediatam omnibus hominibus: eius neque yola neque vestigium vllum mihi apparet in

hac confessione, *Sed*, inquis, *inobedientiam illam Adami constituunt causam illius corruptionis, adstruunt etiam peccatum illud originis non esse sine illâ inobedientiâ, & utrumque in illo peccato considerari, tum imputationem illius inobedientiæ, tum vitium inherens.* Hoc nullis fidelibus ex verbis illis elici potest. Inobedientia actualis causa fuit vitij inherentis in Adamo; hoc vitium a b Adamo propagatum est simul cum natura humana in Seth, à Setho in Enosch, & ita deinceps à patre in filium, sine illa inobedientia actuali, quæ iam pridem præterierat ac esse desierat. Cæterum tu reatum vis esse peccati actualis imputati, & antecedere corruptionem seu vitium hæreditarium: quippe, cum hoc putes illius pœnam esse propriè dictam. Illa verò Confessio, sicut & cæteræ, reatum vitio tribuit, *Estque*, inquit, *tam turpe & execrabile coram Deo, ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat.* Laudas etiam hæc verba sequentis articuli, *Postea quam tota Adami sibiles sic in perditionem & exitium primi hominis culpâ præcipitata fuit*; in quibus nihil video quod non valdè congruat cum mea sententia. Adiungis & vrges quod sequitur in eodem Art. *Alios in illo suo lapsu & perditione relinquendo, in quem sese ipsi præcipientes dederunt.* Ego verò contrà illa verba *sese ipsi* aduersus te vrgeo; & quæro, ex tua sententia quomodo reprobi *sese ipsi* præcipientes dederint in illum lapsum? nam si per illum lapsum intelligis ipsum lapsum Adami, cum is eorum non sit nisi Dei imputatione, profectò non ipsi sese, sed ipsos potius Deus sua illa imputatione in lapsum illum præcipitavit: nam quo factum est ut lapsus ille eorum factus fuerit, qui alioqui eorum lapsus non fuisset, eo proculdubio præci-

pitati sunt in illum lapsum. Si verò per illum lapsum intelligis vitium insitum, quandoquidem illis inflictum est à Deo in pœnam peccati actualis Adami, quod eorum non est nisi imputatione diuina, eodem res recidit, in vitium illud à Deo præcipites dati sunt, non autem à seipsis ipsi, qui seu infliktionis seu imputationis diuinæ respectu habent se merè passiuè. Itaque secundum tuam sententiam verba illa Confessionis sunt falsa. Ego verò illa ad meam sententiam faciliè accommodo. Nam per lapsum illum & perditionem, intelligo non peccatum, sed condemnationem & exitium, in quod dicuntur sese ipsi præcipites dedisse, quia illud suo illo sibi inhærente ac proprio vitio promeriti sunt: nempe causa illorum exitij hæret in ipsis, non autem extra eos in Adamo, vel in Deo. Vtrumque ergo eodem articulo docet illa Confessio, & culpâ Adami homines in exitium fuisse præcipitados, & in exitium sese ipsos dedisse præcipites; vt simul huius exitij & causam remotam in culpa Adami, & proximam in vniuscuiusque prauitate & culpa innatâ significaret, quam prauitatem immediatè & proximè Adamus Setho, hic Enoscho, iste Kenani, & ita deinceps proximus quisque parens proximè & immediatè filiis suis, Adamus autem remotè tantùm, contagione quadam & propagatione naturali communicauit, ita vt ad eius vitij propagationem tot homines concurrerint, quot fuere patres. Huc accedit quòd Confessio illa lapsus illius & perditionis nomine, non eam modò intelligit, quæ ex peccato originali nascitur proximè, sed illam quoque comprehendit, quam propriis peccatis actualibus reprobis, sibi quisque, accersunt: nam

quemadmodum electos suos Deus seruat ab omni damnatione originali & acquisita, sic in vtrâque reprobos relinquit.

Hinc transis ad *Augustanam Confessionem*, quam tuæ sententiæ ais *evidenti sine subscribere* Art. 2. Item docent; quod post lapsum Adæ omnes homines naturali modo propagati nascentes habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum originis quod sic vocant sancti Patres, & omnes Orthodoxi, & piè eruditi in Ecclesia, videlicet reatum quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt ira Dei & mortis æternæ, & ipsam corruptionem humanæ nature propagatam ab Adæ. Quibus verbis, inquis, aperte distinguunt reatum propter lapsum à corruptione nature, & considerant in peccato originis primo reatum, deinde corruptionem. Reatus autem quid aliud est, nisi obligatio ad penam propter Adæ lapsum, in quo lapsi sumus, & propter primum illud primi hominis peccatum, quod nobis imputatur? Vnde sequitur reatum non subsequi, sed antecedere corruptionem ex confessione illa Augustana. Respondeat pro me Sohnius Theologiæ Doctor & Professor Heidelbergæ, secundo, inquit, docetur (in secunda editione Confessionis Augustanæ ex qua tu verba illa citasti: nam prima editio nullam faciebat mentionem reatus, sed sic erat concepta, Item docent quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia) quid sit peccatum originis, quod sic vocant sancti patres, omnes Orthodoxi, & piè eruditi. Vbi definitio iterum est partialis. Nam partes duæ sunt ex quibus peccatum definitur: nempe reatus & ipsa corruptio humanæ nature propagata ab Adæ, ex quibus tamen ordine prior est corruptio, posterior reatus,

Com.
in illam
Confes.

reatus, hoc est, quia corrupti sumus ideò rei sumus iræ Dei & æternæ damnationis. Et paulò post, Reatus hîc primum definitur quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt iræ Dei & mortis æternæ. Quæ definitio dextrè intelligenda est. Neque enim propter Adæ lapsum tanquam alicuius peccatum tantum, sed (vt in repetitione Augustanæ Confessionis, & in locis communibus Melancthonis disertè dicitur) propter subsecutam & in nos propagatam naturæ corruptionem, atque adeò propter culpam propriam rei sumus. Posui in principio hujus examinis, dum statum quæstionis constituerem, verba Ægidij Hunnij celeberrimi Augustanæ Confessionis Theologi affirmantis peccatum Adami posteris imputari tantum mediatè, nimirum mediante corruptione hæreditaria. Ex quo manifestum est eum quoque reatum post corruptionem posuisse, ac censuisse, nascentes reos esse iræ diuinæ propter lapsum Adæ mediatè & remotè, propter corruptionem verò proximè & immediatè. Itaque in illa Confessione duas causas reatus exprimi, proximam & remotam. Atque hæc est nunc quidem mea responsio ad verba prorsus gemina, quæ tu citasti, ex Confessione Saxonica. Itaque non est illius Confessionis religione impeditus Iohannes Gerardus Professor Theologiæ Ienæ, quin Bellarmino distinguenti peccatum originale in actuale illud Adami & peruersitatem ex eo natam, disertè contradiceret. De vtriusque Confessionis scriptore Melancthone bene admones. Id enim, vt paulò post videbimus, cap. seq. causam meam iuuabit. Nunc obserua, si placet, in priorè editione Confessionis Augustanæ hæc verba haberi, *damnant Pelagianos & alios qui vitium originis negant esse peccatum.* Nullibi autem reperies *damnari*.

qui negant peccatum actuale Adami posteris imputari : quanquam id non nego , nisi addita hac limitatione proximè vel immediatè.

In Confessione Vvitembergica sic laudatur Apostoli ad Rom. v. 12. verba, *Ad Rom. s. per vnus delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem.* Vide an id congruat cum tuâ verborum Apostoli expositione. *In confessione Bohemica* leguntur hæc verba, *Deinde docent ex scripturis , quòd homines agnoscere debeant propter peccata ab hac radice nascentia , dignam sibi imminere perditionem. formidabilem Dei vindictam impendere , & dignam suis factis gehennæ pœnam propositam esse.* Peccati actualis Adami imputati , aut reatus inde nati , nullam , vt vides , mentionem faciunt , quo tamen loco fieri debuisset , siquidem in tua fuissent sententia. Percurramus omnes Confessiones Fidei Ecclesiarum Reformatarum. Mirum est eas summo consensu conspirasse ad tuam illam imputationem non docendam.

Sed tu illis addis scriptum recentius , *Canones Synodi Dordrechtanæ* , quos ego , vt par est , maximi facio ; *Fateris non dici canonibus illis peccatum illud primum primi hominis omnibus imputari disertis verbis. Ratio est , inquis , quia non fuit de ea re cõtrouersia inter remonstrates & Orthodoxos. Itaque noluit nec debuit Synodus tam precipisè decidere , quomodo illud peccatum Adami nostrum sit peccatum , & nos faciat reos.* Putasne igitur eam voluisse quæstionem illam decidere obliquè & per consequentiã absque vlla deliberatione , vllò examine ? Mihi quidem id non fit verisimile. Itaque nihil deprehendo in Canonibus eius non consentaneum meæ sententiæ. Nam quod in primo canone dicuntur om-

nes homines in Adamo peccasse, id æquè meæ ac tuæ sententiæ congruit, vt iam aliquoties liquidum feci. Vrges verba Art. 2. de 3. & 4. capp. Qualis autem post lapsum fuit homo tales & liberos procreauit, nempe, corruptus corruptos; corruptione ab Adamo in omnes posteros (solo Christo excepto) per vitiosæ naturæ propagationem iusto Dei iudicio derivatâ. At quid opus fuit imputatione, vt qualis homo fuit post lapsum, tales & liberos procrearet? Cur non æquè absque imputatione propagari contagiosa vitiositas potuit, ac ipsa natura, cui inseparabiliter inhæret? Sed te mouent verba illa, iusto Dei iudicio. Quid enim, inquis, hoc sibi vult, nisi Deum iusto suo iudicio habuisse omnes homines pro peccatoribus post lapsum primi hominis, quia omnes in illo peccarunt, & peccatum eius omnibus imputatur, vnde illa corruptio in omnes diffusa est. Verùm debuisti etiam obseruare, Synodum non dicere corruptionem ab Adamo in omnes posteros per imputationem peccati eius actualis omnibus posteris, quæ tua est sententia, sed, quæ mea est, per vitiosæ naturæ propagationem derivari. Quod autem addidit iusto Dei iudicio, id non potest accipi de iudicio Dei peccatum actuale Adami eius posteris imputantis: imputatur enim posteris Adami eius peccatum vel ante, vel post vitiosæ naturæ propagationem. Si post; propagatio illa effectum non est illius imputationis; quippe, quam antecessit. Si prius; imputatur igitur posteris Adami antequam sint posteris Adami. Non enim sunt posteris Adami, nisi quia profectam ab Adamo generationem & propagationem terminant. Filius non antecedit, sed sequitur generationem. Confugies haud dubiè ad præscientiam Dei, sed frustra: nam si fuerunt in Dei præ-

cientia futuri Adæ posterī, fuerunt etiam in Dei præscientia generationes, per quas futuri erant posterī Adami. Præsciuit enim Deus singulos futuros quomodo sunt futuri. Vt igitur in ipso euentu, sic etiam in Dei præscientia, naturæ ordine, generatio & propagatio posteros Adami antecessit: imputatio autem sequuta est. Imputatur enim posteris Adami peccatum Adami, quia sunt posterī Adami; quare imputatio peccati Adami, si qua fuit, ea propagationem sequuta est, non antecessit. Hoc argumentum mihi inuictum apparet. Noli igitur putare propagationem vitiosæ naturæ profectam esse ab imputatione peccati actualis Adami toti eius posteritati: id enim profectò contradictione sese implicat. Tam absurdam sententiam equidē non ausim tam venerandæ Synodo tribuere. Cur ergò meminit iusti iudicij Dei? nempe, cū Deus & omniscius sit & omnipotens, non potuit ea propagatio, quæ vniuersum genus humanum peccato & per peccatum morti subiecit, fieri, nisi Deo sapienter permittente. Permissio autem illa, siue potius non impeditio, profecta est à Dei consilio, Decreto, iudicio. Id iudicium Synodus vt impiis & profanis hominibus os obthuret, monet iustum esse. Est autem iustum primò sensu negatiuo, quia non est iniustum. Deus enim non tenebatur aut ab Adamo vitiositatem illam auferre prorsus, aut vitiositatis illius contagionem ac propagationem impedire. Deinde iustum est, quoniam, vt dicit alicubi Augustinus, *quid æquius est quàm non impedire naturæ cursum?* Denique æquum etiam fuit non impedire quominus pateret omnibus creaturis quanta sit contagio peccati: dici enim non

potest quantum peccati odium & horrorem pijs vel Angelis, vel hominibus tristis hæc experientia incutit. Adde hanc propagationem cessisse in pœnam & castigationem Adamo, nec Adamo soli, sed reliquis etiã parentibus, qui suæ in liberos vitiositatis propagatæ solent amarus fructus gustare. Sic satius est iustum illud iudicium explicare, quàm fingere Deum imputasse peccatum Adami ei qui non erat filius Adami, vt tali modo fieret filius Adami. Quasi meriti essemus, vt tali modo generaremur ac peccatores nasceremur. Sed de eodem illo Dei iudicio quid nobis sentiendum videretur, iam exposueramus in extremo Capitis vi.

G A R. *Addo & Canones Dordracenos cap. 1. th. 1. Omnes homines in Adamo peccauerunt, & rei facti sunt maledictionis & mortis æternæ. Aliud sine dubio est in sese, aliud in Adamo peccare; aliud esse in se reum, aliud esse reum in Adamo: nempe illud inhesionem peccati in nobis spectat, hoc peccati, quod olim in Adamo inhaesit, imputationem.*

P L A C. Pro imputatione dic propagationem, & totum concedo, Sed illa phrasis, *nos in Adamo peccasse*, quid importet, & quàm sententiæ meæ non repugnet, iam sepius, ostendi. Subiungi Vir doctus Catechismi Tigurini hæc verba, *Quomodo peccatum primorum nostrorum parentum in nos derivatum est? Resp. Ita vt omnes nos in ipsis peccauerimus, Rom. 5. 12. & peccatum per carnalem generationem acceperimus.* In quibus nihil video mea quod pugnet cum sententiâ. Addit explicationem è Commentario manuscripto, qua dicitur *peccatum Protoplastorum fieri nostrum duobus modis 1. per imputationem &c. 2. per generationem ab Adamo &c.* Sed neque Commentarij manuscripti, quem nunquam uidi, magna esse debet apud me autoritas, & quid opus est vt peccatum Adami fiat nostrum duobus modis, cum vnus abundè sufficiat? Si nostrum fit per generationem ab Adamo, quid opus est, vt fiat nostrum per alium modum, nempe per imputationem? Ita enim idem pec-

catum bis fieret nostrum, nosque faceret bis reos, semel per actionem naturalem, nimirum generationem, ac iterum per actionem supernaturalem, nempe Dei iudiciariam impu-
tationem.

G A R. *In ordine Scholæ Geneuensis, qui subiunctus est statutis Ecclesiasticis Ecclesie Geneuensis extat Confessionis formula omnibus Schola auditoribus præscripta cuius Art. 4. ita habet.*
 „ Confiteor omnem nostram corruptionem & vitia, quibus laboramus, ex eo profuxisse, quod Adam omnium pater sua rebellionem sese à Deo alienauit. Quo fit ut singuli nascamur peccato originis infecti, & ab ipso matris utero, à Deo maledicti ac damnati, non propter alienum delictum duntaxat, sed & propter improbitatem qua intra nos est, tum quoque cum non apparet. Audis duo delictum alienum, & improbitatem propriam.

P L A C. Audio, nempe illud ut maledictionis & damnationis nostræ causam mediatam, hanc ut mediatam. Alioqui discessisset Ecclesia Geneuensis à doctrina Caluini, cuius hæc sunt verba Inst. lib. 2. Cap. 1. §. VIII. *Sic omnibus natura nostra partibus vitiatum peruersique* (sumus autem ab ipso matris utero sic vitiatum) *iam ob talem DVNTAXAT corruptionem damnati merito conuictique coram Deo tenemur.* Intellige, proximè seu immediatè.

CAPVT XIII.

Imputationem Immediatam seu Antecedentem alienam fuisse ab eorum doctrina, quorum opera Deus potissimum usus est ad Ecclesiam Reformandam.

PUBLICIS suffragijs, inquis, jungamus & priuata. Quid? putasne me aut iurasse, aut debuisse iurare in verba priuati cuiuslibet doctoris? Non ita iniquus es vt velis ab eorum opinionibus fidem nostram pendere. An si hic aut ille rectam viam hac in re non tenuit, si se cœno sententiæ, quam refello, inquinavit, si à Dei verbi puritate desciiuit, eius me decet exemplum imitari? Nonne mei potius officij est, quoad eius possum & licet, errantes reuocare in viam, ac cauere ne aliorum vestigijs insistentes fratres & conserui mei in hanc pedicam imprudentes incurrant? Itaque non erat quamobrem te fatigares in conquirendis vndique recentium Theologorum testimonijs. Nam si qui hac in re tecum errarunt, in eo sum vt te dilectissimum in Christo fratrem moneam, ne in illo errore admonitus perseueres, quem pro indulta mihi à Domino nostro Iesu Christo gratia tibi monstro & detego. Tamen ne huiusmodi nominum splendor perstringat oculos tuos, aio tuam illam sententiam quam oppugno initio Reformationis à multis fuisse negatam, satis fuerit duos protulisse testes minimè suspectos. Audiuisi

Tom 4
lib. 1.
cap. IV.
Thesi I.
non pos-
sunt igitur
cur.

iam Pareum fatentem vsus & consuetudinem lo-
quendi obtinuisset in Ecclesia & Scholis, vt peccati ori-
ginalis nomine sola prauitas habitualis censeatur. Au-
di nunc Zanchium. *Hac*, inquit, *de causa* (quoniam
non transijt in nos actu) *multi negant inobedientiam*
illam Ade simpliciter in nos transire: sed tantum vitium
nature & concupiscentiam cum priuatione iustitie origi-
nalis: quam eorum sententiam suæ opponit affirman-
tis per imputationem transire. vides multos fuisse qui
id negarent. Obiter obseruo Zanchium verbo tran-
seundi abuti: aliud enim est peccatum in nos transire,
aliud nobis imputari siue attribui; & si transit per
imputationem, non igitur transit per propagationem
& contagionem. Item, si per imputationem transit,
hæc transitio Deo imputanti ascribenda est, illa igitur
Dei actio, hoc est, imputatio, cuius tu neque neces-
sitate, neque iustitiam demonstrare potes, causa est
adæquata & reciproca cur in nos transeat. Sed his mis-
sis de quibus & iam dictum est, & dicendum erit alio
loco, idem Zanchius intelligens suam illam doctrinam
de imputatione primi peccati nouam posse videri, co-
natur eam autoritate fulcire: *Eadem verò*, inquit, *est*
doctrina multorum, qui nostro tempore scripserunt, docto-
rum virorum. Cur non dixit *omnium*, si omnium fuit?
aut cur id monuit, si fuit illa doctrina *totum* temporis in
Ecclesijs & Scholis recepta? *Certè*, addit *V. wolfgangus*
Musculus vir doctissimus, & excellentissimus sacrarum
literarum examinatore mecum sentit. Cur non potius no-
minauit Lutherum, Caluinum, Zuinglium, Bucerum,
&c. si eos secum sentire putauit? Quorsum illa Musculi
elogia non præmissa modò eius testimonio, sed sub-
iuncta etiam, *hæc*, inquit, *doctissimus Musculus, cuius*
iudicium

iudicium ego magni facio ? Præter Musculum neminem nominavit, nisi Philippum, cuius tamen verba non adscripsit.

Sed ad te redeamus, tu Calvinum, Lutherum, Melanctonem, & nonnullos alios in tuam sententiam citas. Fateor multos Zanchium esse absque serio examine secutos, ac tecum errasse. Sed cur in eo numero Lutherum ponas causam non habes, nisi quia Confessionibus Augustanæ & Saxonicæ subscripsit, quas ostendi neque tuæ causæ favere, neque meæ adversari. Itaque ijs subscripserunt Ægidius Hunnius, Iohannes Gerardus & alij qui nihilominus imputationem illam immediatam peccati actualis Adami, non iam per consequentiam, sed disertis verbis, negarunt: & quamvis illæ confessiones notæ essent Bellarmino, lib v. de amiss. Grat. c. xvij. is tamen non dubitavit illius imputationis negationem Lutheranis tribuere. Philippus autem Melancton imputationem illam non tam docuit ut suam, quàm, quominus ab alijs doceretur, non impediuit. Traditis enim peccati originis definitionibus meæ sententiæ consentaneis subiunxit, *Si quis vult addere natos etiam propter lapsum Adæ reos esse, NON IMPEDIO.* Et paulò antè traditâ peccati in genere definitione addit. *Si quis imaginatur peccatum Originis tantum esse reatum propter lapsum Adæ, sine prauitate in nobis errat, Si quis autem contendit, nascentes esse reos & propter Adæ lapsum & propter prauitatem nobiscum nascentem, non impedio, quominus addat eam particulam definitioni, quod peccatum sit tum reatus propter Adæ lapsum tum defectus, &c.* Itaque totus fuit in probanda & explicanda prauitate illa naturali; dogma illud de reatu propter Adæ lapsum, tanquam alienum nec

probauit nec improbavit. Si vt suum, vt verum, vt creditu necessarium sibi docendum putasset, an dixisset *si quis contendat, si quis vult addere*, Item *non impedit*? Et tamen Zanchius adeò Theologorum suffragijs destituebatur, vt alium non haberet quem pro sua sententiâ potius laudaret, patronum, vt vides, admodum indifferentem, ex cuius scriptis possem contra te multa proferre. Sed eum mittamus præstantissimum quidem virum, sed qui tamen suos nauos habuit, cuius vnicum proferam ex ijdem locis communibus loco de peccatis actualibus, *Manifestum est*, inquit, *electos & renatos posse amittere gratiam*.

Venio ad Caluinum, virum incomparabilem. Eum nego in tua illa sententia fuisse; idemque de Zuinglio, de Bucero, de Petro Martyre, de Bulingero, de Gualtero, de Aretio, de Thossano, de Szegedino, de Camerone & alijs dico. Ex his omnibus duos pertrahere in tuas partes conatuses, Caluinum & Martyrem, sed frustra.

Ad Caluinum quod attinet, Tu fateris in toto cap. 1. lib. 2. eum *nullibi quod notaueris loqui de illa imputatione*. Sed, inquis, *nullibi etiam negat hanc imputationem*. Itaque sensus illius eliciendus est ex consequentijs verborum ipsius. At, inquam, si non loquitur de illa imputatione, eo ipso tacitè negat illam imputationem: tractat enim ex professo de peccato originis eo in loco. Si illam imputationem credidit, si putauit dogma esse & traditum in sacris literis & credendum fidelibus, idque peccatum actuale imputatum, esse aut ipsum peccatum originale, aut illius partem primariam ac præcipuam, nonne debuit eam docere & probare? Quid erat quamobrem suum de peccato originali

tractatum hac parte mutilaret ? aut Ecclesiæ dogma necessarium inuideret ? Adde quod eo capite versatur in definiendo peccato originali diligenter & accuratè, & profitetur eam se tradere illius definitionem, quæ veritati sibi videatur optimè consentanea. *Videtur ergo, inquit, peccatum originale hereditaria nature nostræ prauitas & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis.* Habuissetne Calvinus hanc definitionem pro optima, si iudicasset eam peccati originis vnâ duntaxat partem, eamque minùs præcipuam explicare? Conscientiam tuam appello testem, num tu, qua es in sententia, sic peccatum originale cum definiuisses tum tractasses, prætermisso prorsus peccato actuali Adæ imputato? Agnosce igitur Calvinum in tua illa sententia minime fuisse.

Tu idem laudatis ex Inst. lib. 3 v. cap. 15. §. 10. ubi agitur de Beneficijs Baptismi his verbis, *Dominus hoc signo nobis pollicetur plenam solidamque remissionem factam esse, & culpæ quæ imputanda nobis erat, & pænæ quæ ob culpam luenda, fateris eum de imputatione loqui, non antecedente, sed subsequente corruptionem & prauitatem, quæ est in quouis homine nascente, addisque facile esse id colligere ex ipsius verbis.* Cur igitur verba illa laudasti? At, inquis, *nullibi antecedentem negat.* Immò eo ipso quod hoc loco eam non intelligit, negat tacitè: per culpam enim quæ nobis imputanda erat omnem culpam completi debuit, quæ baptismo remittitur. Atqui manifestum est, te ipso fatente, per culpam illam quæ nobis imputanda erat, eum actualem Adami inobedientiam non in-

tellexisse. Non putauit igitur eam nobis baptismo remitti. Remittitur autem si imputatur: Non putauit igitur eam nobis ante baptismum imputari.

Verum tu ex alijs locis existimas imputationem illam antecedentem colligi posse per consequentiam.

Quid ergo alibi dixit Caluinus? *Ada lapsu & defensione totum genus humanum maledictioni fuisse addictum.*
 Inft. lib. 2 cap 6. 1 5. *Ob vnus culpam fieri omnes reos.* Intellige, mediante corruptione in omnes propagata. id cum ex eius vniuersa disputatione de peccato Originali apparet,

tum ex his verbis quæ iam semel adscripsi, *quod vnus delicto perisse nos tradit, sic accipe: quia ex ipso in nos corruptio transfusa sit. Neque enim sic perimus eius culpa quasi extra culpam ipsi simus: sed quia eius peccatum peccati nostri causa est, exitium nostrum illi. Paulus adscribit peccatum nostrum voco quod nobis ingenitum est, & cum quo nascimur.*

Quid adhuc dixit? *Ibidem*, inquis, *damnat Pelagij profanum Commentum Adam suo tantum damno peccasse, nihil nocuisse posteris; unde sequitur ipsum approbare contrarium, scilicet Adamum peccando nocuisse posteris. Nonne hoc ipsum & probō, & doceo, & inculco? At, inquis, hoc peccasse nos ducit ad primum peccatum, nempe vt ad fontem & causam mali illius, quod inde ad posteros defluxit. Sic qui pestem contrahit, & post alijs affricat, non suo tantum, sed aliorum etiam damno eam contraxisse dicitur. At, inquis, statuit fuisse Adamum humane nature non progenitorem modo, sed quasi radicem, atque ideo in illius corruptione merito vitiatum fuisse hominum genus. Quid tum postea? Idem & statuo, & clamo. Nempe, vt ipse ait, à radice putrefacta rami putridi prodierunt, qui suam putredinem*

56.

57.

transmiserunt ad alios ex se nascentes surculos.

Sed tu imprimis vrges hæc eius verba, *Extra contro-*
uersiam est Christi iustitiam communicatione nostram esse,
& ex ea vitam: simul conficitur utramque ita in Adam
fuisse perditam, ut in Christo recuperetur; peccatum verò
& mortem ita per Adam obrepssisse, ut per Christum ab-
leantur. Non sunt obscura verba, iustificari multos per Christi
obedientiam, quemadmodum, per Adæ inobedientiam pecca-
tores fuerant constituti: Ideoque inter eos duos hanc esse
relationem, quòd hic nos suo exitio inuolutos secum perdidit,
ille nos sua gratia in salutem restituit. Quid in his verbis
est quod meæ sententiæ repugnet? Hinc, inquis, in-
fero, si iustitia nostra sit communicatione, tum iniustitia
Adami nostra est etiam communicatione. Esto; quid in-
de? nostra autem, subjungis, sit iustitia Christi commu-
nicatione cum imputatur per fidem, Aio illud cum impu-
tatur, quamuis verum sit, tamen alienum esse ab illa
comparatione inter Christum & Adamum, ut insti-
tuitur ab Apostolo & Caluino. Sed quid concludis?
Igitur & iniustitia Adami nostra est communicatione, cum
imputatur propter generationem. Dic propter ingenitam
prauitatem; ut quàm imputatio iustitiæ Christi se-
quitur fidem, tam imputatio iniustitiæ Adami se-
quatur deriuatam ab eo prauitatem: nam vt com-
municatur iustitia Christi per fidem quæ est Dei do-
num, sic communicatur nobis iniustitia Adami per
defluxam ab eo vitiositatem. Per generationem na-
turalem sumus filij Adami quatenus Adam fuit ho-
mo: similes enim ei sumus in natura; at per vitiosi-
tatis & prauitatis propagationem sumus filij Adami
quatenus fuit peccator: similes enim ei sumus in pra-
uitate seu peccato. Iterum, inquis, iustificamur per
Christi obedientiam, quemadmodum per Adæ inobed en-

tiam peccatores constituimur. Atqui iustificamur per Christi obedientiam imputatam. Ergo & peccatores constituimur per inobedientiam Adæ nobis imputatam. Nec, (Addis) est Cauillandum, non agi de Modo. Calvinus enim infert quemadmodum, ut designet utrobique eundem modum. At quis negabit Calvinum asserere nos iustificari per Christi obedientiam imputatam? Equidem id non nego: tantum nego illam imputationem pertinere ad illam comparationem. Nam alioqui, velis nolis fatendum est esse aliquam in Modo dissimilitudinem. Audi ipsummet Calvinum. Porro, inquit, duas hic differentias inter Christum & Adamum adnotare operæpretium est: quas non idè subiecit Apostolus, quia negligendas censeret, sed quia presentis argumenti nihil referebat eas enumerare. Priore est, quòd peccato Adæ non per salam imputationem damnamur, ac si alieni peccati exigeretur à nobis pœna, sed idè pœnam eius sustinemus quia & culpa sumus rei, quatenus scilicet natura nostra in ipso vitiata iniquitatis reatu obstringitur apud Deum. At per Christi iustitiam ALIO MODO in salutem restituiamur: neque enim ideo nobis accepta fertur *QVIA INTRA NOS sit*: sed quòd Christum ipsum cum bonis suis omnibus Patris largitate nobis donatum possidemus. Itaque donum iustitiæ non qualitatem, qua nos Deus imbuat, ut perperam quidam interpretantur, sed gratuitam iustitiæ imputationem significat. Vides ab ipso Caluino modi dissimilitudinem obseruari, & quidem hanc ipsam quam oppugnas; atque adè actualis peccati Adami imputationem negari. Cur ergo vrget aduersus Pelagianos illud quemadmodum? quia Pelagiana imitatio non iam modum communicationis, sed ipsam communicationem tollit. Negabant enim Pelagiani

verè nobis ab Adamo iniustitiam communicari. Itaque ipsam rei veritatem negabant, in qua positam esse similitudinem, non autem in veritatis modo, & iam probavi, & iterum probaturus sum Deo bene fauente in Apologia Thesium.

Quid adhuc dixit Calvinus quod illi imputationi fauere videatur? Laudas ex Institut. lib. III. cap. 23. § 7. hæc verba, *Neque enim factum est naturaliter ut à salute exciderent omnes vnius parentis culpa. Cunctos mortales in vnius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse Scriptura clamat. Hoc cum natura ascribi nequeat ab admirabili Dei consilio profectum esse minimè obscurum est. Iterum quero, unde factum est ut tot gentes una cum liberis æternæ morti inuolueret lapsus Adæ, nisi quia Deo ita visum est?* Subjungis hanc interrogationem, *Cum negat naturaliter factum, neque natura ascribi posse, nunquid asscrit non tantum, neque simpliciter esse à generatione, quæ natura est, sed præcipuè à decreto Dei ita volentis & imputantis lapsum & peccatum Adæ?* Miror te hunc locum citasse: nam & verba quæ proximè antecedunt, & illa quæ interiecta sunt clamant loqui Calvinum non de iudicio Dei imputantis peccatum hominibus, sed de prædestinatione & præordinatione peccati: sic enim exorditur hanc sectionem, *disertis verbis hoc extare negant, decretum fuisse à Deo ut sua defectione periret Adam. Et paulo post, Atqui prædestinatio velint, nolint in posteris se profert: Neque enim factum est naturaliter ut à salute exciderent omnes vnius parentis culpa. Quid eos prohibet fateri de vno homine, quod inniti de toto humano genere concedunt, &c.* Cur verba illa *neque enim factum est, &c.* à præcedentibus & sequentibus separasti, quæ, ut vides, vocife-

rantur de prædestinatione agi, non autem de imputatione iudiciaria peccati actualis Adami. toti posteritati, quam Calvinus nunquam docuit? Nonne manifestum est eum ducere argumentum à peccato & ruina totius generis humani ad peccatum ipsius Adami, ut quàm illud est ab ordinatione diuina, tam euincat etiam istud ab ordinatione diuina esse? Constat autem peccatum Adami non esse profectum ab antecedente imputatione. Loquitur igitur, non de Dei imputantis peccatum iudicio, sed de Dei peccatum permittentis & ordinantis decreto. Hinc autem tantùm abest ut tua illa imputatio confici possit, ut necessario argumento eueri queat. vult enim Calvinus parem esse rationem ruinæ totius generis humani & lapsus Adami. *Quid eos, inquit, prohibet fateri de uno homine, quod inuiti de toto genere humano concedunt?* Et paulò post, *Nec absurdum videri debet quod dico Deum non modo primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse: sed arbitrio quoque suo dispensasse.* Atqui posita tua illa imputatione admodum dispar est vtriusque ratio, ut hæc nulla sit consequentia, si ab ordinatione diuina est quod posterius Adæ pereunt, itidem ab ordinatione diuina est quod Adam lapsus est: Non enim huic imputari potuit peccatum ut laberetur, quemadmodum illis imputatum est peccatum Adæ ut perirent. Posita igitur illa tua imputatione ruit argumentatio Caluini: non enim si Dei nobis imputantis peccatum Adami iudicio cecidimus, consequens est ut Adamus caderet Deum decreuisse, id quod concludere Calvinus instituerat.

Similem locum proferre ex Comment. in Gen. cap. 3. vers. 6.

3. vers. 6. his verbis, *Nunc si quis obijciat iniquum esse ut pœnam alieni peccati luant insontes, Respondeo, quicquid donorum nobis in Adæ persona contulerat Deus potuisse iure optima auferre; cum ille impiè desciiuit. Neque opus est confugere ad vetus illud quorundam figmentum, quòd anime ex traduce oriantur. Neque enim naturaliter ex Adæ pro genie corruptionem traxerunt posterì: sed id potius ex Dei ordinatione pendet; qui sicuti totam humani generis naturam in vno homine ornauerat præstantissimis dotibus, ita in eodem ipsam nudauit. Iam verò ex quo in Adam corrupti sumus non sustinemus alieni delicti pœnam, sed propria culpa rei sumus. Magnam tibi habeo gratiam quod me huius loci admonueris: attentè enim inspectus meam sententiam egregiè confirmat. Sed antequam id ostendo, quid inde inferas audiamus. Hic, inquis, iterum negat Calvinus nos naturaliter ex Adæ pro genie corruptionem trahere, & asserit id esse ex Dei ordinatione. Non ergo vult id simpliciter esse à Natura propter genituram: sed maximè ex Dei ordinatione. Quid autem est, quaeso, illa Dei ordinatio, nisi decretum illud Dei iuste imputantis peccatum ab Adamo commissum omnibus & singulis illius posteris? Illa est imputatio antecedens, scilicet statim à lapsu Adami: de subsequente ita loquitur Calvinus, ex quo in Adam corrupti sumus propria culpa rei sumus. Duo vrges, vnum quod neget naturaliter; alterum quod affirmet ex Dei ordinatione nos ex Adæ pro genie corruptionem trahere. Prius ita hîc negat, vt alibi affirmet; & verò constat per naturalem generationem corruptionem propagari: id docet Scriptura, id clamat Antiquitas, id Ecclesia omnium sæculorum credidit. Audi igitur sese explicantem ipsum Calvinum, *A natura, inquit, vitiositatem fluxisse. nega-**

nisse negamus, ut significemus aduentitiam magis esse qualitatem, quæ homini acciderit, quam substantialem proprietatem, quæ ab initio indita fuerit. Vocamus tamen naturalem, ne quis ab unoquoque prava consuetudine comparari putet, quum hereditario iure vniuersos comprehensos teneat. Negat igitur esse à natura, hoc est, esse substantialem proprietatem: Negat esse à natura qualis ab initio creata fuit: Negat esse à Natura quo sensu Natura à nonnullis ut independens à Deo concipitur. Intelligit autem per ordinationem Dei non imputationem culpæ Adami, sed prædestinationem. Unde ergo, inquit alibi, illa homini prauitas ut à Deo suo deficiat? ne ex creatione esse putetur, Elogio suo approbaucrat Deus quod profectum erat à seipso. Propria ergo malitia quam acceperat à Domino puram naturam corruptit, sui ruinâ totam posteritatem in exitium secum attraxit. Quare in corrupta potius humani generis natura euidentem damnationis causam, quæ nobis propinquior est, contemplerur, quàm absconditam ac penitus incomprehensibilem inquiramus in Dei prædestinatione. Prædestinationem audis, imputationem non audis. Annon si tecum sensisset, iussisset nos etiam in illa tua imputatione generis humani damnationis causam contemplari, & quidem vel solùm, vel præcipuè? Sed verba à te laudata propius inspiciamus, Obijciebatur iniquum esse ut pœnam alieni peccati, hoc est, peccati Adami luant insontes. Respondet Calvinus negando insontes alieni peccati pœnam luere, ex quo, inquit, in Adam corrupti sumus non sustinemus alieni delicti pœnam, sed propria culpa rei sumus. Nempe, corruptio & sua cuique propria inest, & verè peccatum est. Verùm quia recurrebat quæstio de illa corruptione, quam ab inobedi-

Inft. lib.

3. cap.

23. §. 8.

tia Adæ fluxisse dicebat, Calvinus it obuiam; ac ne putaretur vel à natura esse qualis fuit primùm creata, vel à natura independente à Deo, eam non à natura, sed à Dei ordinatione pendere ait. Hujus autem ordinationis & rationem, & iustitiam explicat: Rationem quidem, nam eam collocat in præstantissimorum donorum ablatione, quibus naturam in vno homine ornauerat: iustitiam verò; Deum enim affirmat dona, quæ nobis in Adæ persona contulerat, potuisse iure auferre. Quæro quo sensu dicatur Deus dona nobis in Adæ persona contulisse? Num sensu, vt ita loquar, imputatio? Num ita vt possis inde vel donorum illorum, vel alterius cuiusdam rei imputationem antecedentem inferre? Non certè. Quo sensu igitur ea nobis contulisse dicitur? quia sic illa indiderat Adamo vt essent naturalia, propaganda, multiplicanda, communicanda, cum natura per generationem naturalem. Quid ergo vetat quominus eodem modo ea nobis abstulisse in Adamo dicatur, quia sic abstulit, vt eorum priuatio facta sit naturalis, hoc est, propaganda cum natura. Cæterum quod ait Calvinus, Deum nobis dona illa abstulisse, id commodè est accipiendum, ne Deum faciamus peccati authorem: est enim iustitiæ priuatio siue in Adamo, siue in nobis sit, formaliter peccatum, vides iam opinor hunc Caluini locum tibi non fauere. Nunc obesse ostendo, & quidem duobus modis. Primùm enim obiectioni *iniquum esse vt pœnam alieni peccati luant infontes*, nulla potuit afferrî responsio consentanea sententiæ tuæ, nisi, aut id iniquum non esse, aut peccatum Adami fieri nostrum imputatione: neutrum tamen respondet Calvinus; non fuit igitur Calvinus in

tua sententia. Deinde eius verba, *ex quo in Adam corrupti sumus non sustinemus alieni delicti pœnam, sed propria culpa rei sumus*, positâ tuâ sententiâ sunt falsa. Nam illa ipsa corruptio, si tibi creditur, pœna est propriè dicta peccati Adæ, quod hoc loco per peccatum alienum intelligitur. Itaque, si tibi creditur, ex quo corrupti sumus, & quandiu corrupti sumus, sustinemus alieni delicti pœnam. Huc accedit quòd tu mortem & corporis, & æternam ascribis peccato actuali Adami nobis imputato vel soli, vel saltem præcipuè; eam autem ex quo corrupti sumus patimur: quare ex quo corrupti sumus sustinemus pœnam delicti Adami, reclamante Caluino. Adde quòd, aut nunquam sustinemus pœnam peccati Adæ, aut eam sustinemus ex quo corrupti sumus. Ex quo enim homines sumus corrupti sumus. Antequam autem essemus, pœnam sustinere non potuimus.

Quid adhuc profers ex Caluino? Duo loca idem innuentia, Alterum ex breui formula Confessionis Fidei: Alterum ex Confessione Fidei nomine Ecclesiarum Gallicarum, vt coram S. C. M. ederetur. Prior habet, *Singuli nascimur originis peccato infecti, & ab ipso matris utero maledicti ac damnati, non propter alienum delictum duntaxat, sed propter improbitatem, que intra nos est tum quoque cum non apparet*. Posterior verò sic, *De homine ita præeunte Scriptura sentimus, nempe quod humanum genus per Adami lapsum corruptum sit, quod omnes naturâ exitio & damnationi obnoxij simus, non tantum quia Adamus ipse peccauit, sed quoniam peccatores & ipsi sumus ab utero*. Vrges illa verba, *non propter alienum delictum duntaxat, non tantum quia Adamus ipse peccauit*. Ergo, inquis, fatetur Caluinus nos

esse maledictos propter alienum delictum. Quidni, inquam, id enim ipse quoque ego fateor, sed remote, sed mediatè: nisi ita accipis, concilia, si potes, Calvinum cum Caluino. Iam negavit *ex quo corrupti sumus nos sustinere alieni delicti pœnam*, Nisi id sufficit, accipe alia eiusdem Calvinii verba disertissima, *Hæc itaque duo distinctè observanda: nempe, quod sic omnibus nature nostræ partibus vitiatæ peruersique, iam OB TALEM DVNTAXAT CORRUPTIONEM damnati meritò conuictique coram Deo tenemur*. Audis nos esse damnatos duntaxat ob talem corruptionem. Nihil potuit dici clarius aut pro illa limitatione quam attuli, aut contra immediatam imputationem peccati Adæ. Dicam aliquid amplius, Tu, Tu, inquam, vis nos esse maledictos & damnatos propter delictum Adæ duntaxat. itaque illis ipsis verbis quæ laudasti contradicis. Vis enim nos ob solum peccatum Adæ nobis imputatum nos esse maledictos & damnatos ad has tres pœnas corruptionem, mortem corporis, & mortem æternam. Hanc profectò maledictionem & condemnationem atrocissimam non partiris inter peccatum Adæ & improbitatem quæ intra nos est, sed totam, quanta quanta est, soli peccato alieno Adæ ascribis.

Temperare mihi non possum, quin huc transferam quæ ibidem sequuntur Calvinii verba, tuæ, ut quod maximè, opinioni opposita, *Neque, inquit, ista est alieni delicti obligatio. Quod enim dicitur nos per Adæ peccatum obnoxios esse factos Dei iudicio: non ita est accipiendum, ac si infontes ipsi & immerentes culpam delicti eius sustineremus: sed quia per eius transgressionem maledictione induti sumus omnes, dicitur ille nos obstraxisse.*

Ab illo tamen non sola in nos pœna grassata est, sed infiltrata ab ipso lues in nobis residet, cui jure pœna debetur. Quare Augustinus utcumque alienum peccatum sæpè vocet, quo clarius ostendat propagine in nos derivari, simul tamen & proprium unicuique asserit; Et Apostolus ipse disertissimè testatur idèò mortem in omnes peruagatam, quod omnes peccarint, id est, inuoluti sint originali peccato, & eius maculis inquinati. Itaque idèò infantes quoque ipsi, dum suam secum damnationem à matris utero afferunt, non alieno, sed suo ipsorum vitio sunt obstricti. Nam tametsi suæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in se inclusum semen: imò tota eorum natura quoddam est peccati semen: idèò non odiosa & abominabilis Deo esse non potest. Vnde sequitur propriè coram Deo censeri peccatum, quia non esset reatus absque culpa. Nihil, opinor, dici potuit disertius aduersus illam imputationem quam tueris; &, quod notandum est, citat Calvinus Augustinum & Apostolum. His adde, si placet, quæ idem Calvinus habet Comment in Rom. v. 12. Obserua, inquit, quem hîc (Apostolus) ponat ordinem. Peccatum enim precessisse dicit: ex eo sequutam esse mortem: sunt enim qui contendunt nos ita peccato Adæ esse perditos, ac si nulla nostra culpa periremus, ideo tantum, quasi ille nobis peccasset. Atqui disertè affirmat Paulus in omnes propagatum esse peccatum qui eius pœnam luunt. Atque id deinde propius urget, cum rationem assignat paulo post cur omnis Adæ posteritas subiaceat mortis imperio; nempe, inquit, quoniam omnes peccauimus. Porro istud peccare est corruptos esse & vitiatos. Noli putare te ista tela, quibus tua sententia conficitur, vlla vel corporis declinatione, vel arte posse vitare.

A Caluino ad Petrum Martyrem veniamus. Eum:

fateris tuam hypothefin non ita clarè tenere ; tamen quædam eius laudas, quæ mihi positâ iam in tam aperta luce veritate non videntur egere responsione. Satiserit prolatis aliquot eius locis docere eum meam hypothefin apertè & clarè tenuisse ; quam ad hoc vnus iste possit fufficere. Dico, inquit, *in vnoquoque nostrum, quoties punimur, causam esse cur puniri debeamus : itaque in omnibus non alienam, sed propriam cuiusque culpam damnari. Quod si legimus, Deum in nobis vlcisci peccatum Adami, id ita intelligendum est, quod vitium nostrum ab illo habuit originem. Vt si quis peste laborans alios inficiat & illi moriantur : dicitur illorum quisque non aliena, sed propria, & sua peste esse mortuus. At si quis eos dicat ex eius peste vnde contagium contraxerunt perijisse : id ita intelligendum est, quod is primus pestem inuexit, & illis affricuit.* Huic addi potest locus quem iam citavi cap. xi. *Ad primum (Augustinus) respondet Deum summè bonum esse, neque, quod isti assumunt, in culpa originis imputare nobis alienum peccatum, sed nostram ipsorum iniquitatem, quæ nostræ naturæ adhaeret iam inde ab ipsa origine.*

His tertium adiungo. Pighij sententiam his verbis exposuerat, *culpam igitur originis, vnicam statuit transgressionem Adami. Cui vni nos omnes vult nasci obnoxios non propter aliquod vitium, aut culpam, aut deprauationem, quam in nobis habeamus.* In quo descriptionem tuæ sententiæ agnoscere debes : vis enim nos omnes culpæ Adami nasci obnoxios non propter aliquod vitium, aut culpam, aut deprauationem quam in nobis habeamus : hanc enim statuis pœnam esse culpæ Adami nobis imputatæ. Audi igitur tuam sententiam æquè ac Pighij refutantem Martyrem.

Verum, inquit, contra sententiam in primis illud facit, quod iam bis diximus, videlicet infantes mori. Mors enim nihil iuris habet ubi non est peccatum, nisi dicere velimus Deum punire innocentem. Confirmatur autem hæc ratio ex argumento Pauli quo probauit peccatum fuisse ante legem: quia Mors, inquit, regnauit ab Adamo vsque ad Moysen. Atqui iuxta Pighij sententiam, hæc ratio hebetissima videri possit. Diceret enim quispiam: Etsi illi mortui fuerint, tamen ex eo non sequitur illos habuisse peccatum. Mors enim illis contingit propter Adamum, ob cuius peccatum redditi sumus mortales. Ille, vt vides, totum ius mortis fundat in peccato inhærente, tu cum Pighio vel solum, vel præcipuè in imputato: ille si qui punitur peccatum in se non habeat, clamat puniri innocentem; idque detestatur: Tu cum Pighio vel innocentem esse negas cui peccatum Adami imputetur, vel absurdum esse talem innocentem puniri. Denique posita imputatione peccati actualis Adami hebetissima est contra Pighium hæc Apostoli & Martyris argumentatio, quam tamen Martyr validissimam iudicauit.

Vis aliud Martyris argumentum? Quid aliud, inquit, sensit Apostolus cum scriberet ad Ephesios nos esse natura filios ire, nisi peccatum inesse in vnoquoque nostrum? &c. Nam ira Dei non nisi iuste prouocatur: neque enim ea eiusmodi est, vt temerè aut fortuito inflammari possit.quare oportet in natura nostra aliquid esse prauum, ad quod vlciscendum ira diuina excitetur. Nititur, vt vides, hæc argumentatio hypothese tuæ contraria non sufficere peccatum Adæ actuale ad iram Dei in nos iuste prouocandam.

Addatur & tertium, Postremò inquit, habemus à Paulo per inobedientiam vnius hominis multos constitutos esse

esse vitium, propter quod peccatores dici possint. Sed hoc Pighius putat se posse eludere, quòd peccatores interdum dicantur propter reatum, quamvis actio peccandi præterierit, neque amplius extet. Quamvis hoc ita sit, Nunquam tamen ostendere potest è Scripturis, quemquam peccatorem appellari quin aut in seipso vitium habeat, aut certè antea admisit: nisi dicere velit, Deum homines reos facere absque ipsorum aliquo peccato. Hoc idem docet ad vers. 19. cap. v. Epist. ad Rom. Hic, inquit, annotabimus, cum Apostolus dicit per unius obedientiam peccatores multos esse constitutos, ex his verbis argumentum haberi aduersus eos qui putant peccatum originis non esse cuique proprium, sed unum tantum extitisse, illudque fuisse in Adamo, quo nos nexi & obligati simus ad mortem & damnationem. Quum enim dicantur peccatores constituti, oportet ut ipsi aut peccatum habeant, aut saltem habuerint: nam alieno vitio nemo dicitur peccator. Nihil potuit contra tuam sententiam vel disertius, vel clarius dici. neque ex huiusmodi argumentationum nexibus expedire te potes, quin eadem opera expedias & Pighium. Quemadmodum autem vocem peccatores Martyr, non ut tu & Pighius, sed ut ego, interpretatur, sic comparisonem quam inter Christum & Adamum Apostolus instituit, ille, non ut tu de imputatione, sed ut Augustinus, Calvinus, Bucerus, &c. sine vlla mentione imputationis exponit, Deinde, inquit, hac opinio (Pelagianorum) confutatur ex eo quod Paulus antithesin facit inter Christum & Adamum. At Christi iustitia non tantum proponitur nobis imitanda: sed etiam ut qui credunt in eum, animo mutantur, spiritu corrigantur, & omnibus viribus emendentur. Quomobrem vicissim requiritur ad rationem ἀνάλογον, ut præter

malum exemplum, quod Adamus exhibuit posteris, naturam etiam illorum deprauauerit, etque Augustinus de peccatorum meritis & remissione loquitur, tabe quadam tabificauerit.

His accedat & quartum eiusdem Martyris argumentum, *Scribitur, in Propheta filius non portabit iniquitatem patris; & anima que peccauerit ipsa morietur: quod certè, si Pighio credimus, falsum erit, cum pueri moriantur & rei sint aeternae damnationis, quamuis nihil peccauerint. Ad quam absurditatem nos non cogimur, qui ponimus in unoquoque homine nascente vitium & causam, quare moriatur & condemnetur. Et iterum alio loco, Alterum illorum argumentum sumitur ex Propheta Ezech. filius non portabit iniquitatem patris. Ad hoc uno verbo possemus respondere, ut modo diximus, videlicet, filios non patrum iniquitatem portare, sed propriam ac suam, quae à natiuitate cuique inheret. Posteaquam autem varias illius loci expositiones expendit, tandem sic concludit, Dicimus itaque sententiam Prophetae generaliter veram esse, & omnes vel pueros, vel adultos, tam veteris, quam Noui Testamenti portare quemque iniquitatem suam. Omnes enim qui nascuntur, in seipsis habent peccatum & corruptionem propter quam puniri debeant. Quare haec sententia nostram opinionem confirmat, tantum abest ut contra nos adduci possit. Sed ea maximè facit contra Pighium, &c. Haec argumenta à Martyre mutuata Theſibus meis inferueram breuibus verbis, nec ea sunt à te soluta, quod ut spero planum faciam in Apologia Theſium. His omnibus addendum, Martyrem peccati originalis definitionem, quàm potuit, accuratam attulisse, & per partes diligentissimè explicasse, & aduersus Pighium & Pelagianos disputasse copiosè, & in verba Apostoli quibus imputationem peccati ac-*

tualis Adami vis contineri, magna accuratione commentarium elaborasse, ne tamen vel expressè, vel per consequentiam vllò modo illam imputationem docuisset, quam si credidisset, dubitabile non est, quin eam apertè docuisset alicubi. Quis enim, nisi insaniat, rem ita ex professo tractare, & definire, ac explicare velit, vt eius partem præcipuam & maximè memorabilem prorsus prætermittat? Iam, vt vides, à partibus meis stant duo illi magni viri, Calvinus & Martyr; idem puta de Bucero, de Zuinglio, de Bulingero, de Vireto, de Aretio, de Zgedino, de Thoffano, de Gualtero, de Camerone, & alijs quibusdam, quorum, quia tu nullam fecisti mentionem, & in nimiam molem video hanc meam responsionem excrescere, non adscribam testimonia. De Chamiero qui tuam sententiam aliquot argumentis refutauit, alius erit dicendi locus, videlicet in secunda parte huius examinis. De Zanchio & alijs quos citas, nihil dicam. Si qui, loco auri, argenti, & lapidum pretiosorum, hanc stipulam ædificarunt, vides quàm facilè admoto igne sacrarum literarum id flammam concipiat, & comburatur. Noli admonitus eadem stipulâ tuum ædificium de honestare. Vtinam illi non degenerassent hac in re à magnis illis viris Caluino, Bucero, Zuinglio, Martyre, &c. quorum in vestigijs si pedem pono, si Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum mordicus adhaeresco, si Augustini aliorumque Patrum orthodoxorum ductum sequor, si inuictis nitor rationibus, si ad Scripturæ normam doctrinam exigo meam, quid est quamobrem huius aut illius authoritate ab hac recta & regia via seduci me sinam? De postrema Synodo Carentonensi cuius mentione hoc tuum caput:

VII: claudis nihil opus est quicquam dicere : agetur, vt spero, hæc res in proxima Synodo accuratius, & veritas in apertam protrahetur lucem; mihi certè nihil optabilius est quàm, vt si erro, meus mihi error monstretur, eum libentissimè agnituro & deposituro: si non erro, ne contra Dei veritatem omni re fortiorum militent ministri Dei. Hoc à Deo Optimo Maximo & Domino nostro Iesu Christo Dei filio supplex ex animo dies noctesque peto, & vt mecum ceteris in tuis apud Deum precibus, te etiam atque etiam rogo.

G A R. Si Calvinus, Martyr, & pauci quidam alij in eam devenissent sententiam, vt nullam esse Adamici peccati imputationem pertenderent, æquius tamen videri poterat ac tutius, vt auditores suos Docti viri per tritum à reliquis omnibus Doctoribus tramitem deducerent, quàm vt paucorum, quantumvis cetera eximiorum virorum, vexas dōctas unanimes reliquorum consensui antefendas putarent. Nam quanta sit in hoc capite Confessionum publicarum & Theologorum per Europam Reformatorum veterum & Recentiorum concordia, nemo, post eum quem confecimus indicem, in dubium reuocare potest. &c.

PLAC. Primum nunquam dixi aut scripsi Calvinum, Martyrem, &c, nullam esse Adamici peccati imputationem pertendisse. Distinxi enim constanter imputationem immediate à mediata: illam ab eorum doctrina alienam esse contendendo, hanc non item; habeoque ea in reipsum D. Gariffolium confitentem, vti iam est obseruatum sup. pag. 21. Deinde miror mihi vitio verti, quod sequor Calvinum & Martyrem, & alios celeberrimos Theologos, à quorum vestigijs doleo eos, qui me accusant, cursum deflexisse: sequuti enim mihi videntur tritam à Christo, à Prophetis, ab Apostolis, & antiquis Doctoribus, viam, quam, vt patuit, omnes Ecclesiæ Protestantæ mirabili consensu publicis suis Confessionibus descripserunt. Ab hac via si alij quidam exerrarunt, vt vt multi, num mihi quoque fuit cum illis errandum? Videntur in hac causa viri

docti eorum obliiti, quæ solent aduersus Pontificios tam solidè & animosè disputare, ac imprimis Art. V. Confessionis Fidei; qui articulus fundamentum mihi videtur Ecclesiæ Reformatæ, sicut oppositum dogma, *sequendum esse tritum à plerisque omnibus Doctoribus tramitem, ut ut verbo Dei minus congruere videatur*, fundamentum est Ecclesiæ Pontificiæ.

GAR. *Verum, quod secundo loco adijciendum est, Si Calvinus, Martyr, &c, de imputatione vel omninò siluisse, vel planè pauca scripsisse dicantur, non id inde fuit, quod nullam imputationem agnoscerent, aut quod eam plenam ad peccati originalis rationem omninò pertinere inficiarentur.*

PLAC. Quis dicit eos nullam imputationem agnouisse? Ego enim contendo eos agnouisse imputationem mediatam. De sola immediata quæstio est, num eam agnouerint, necne? Vides, Lector, perpetuâ fere elenchi ignorantia viri docti disputatione.n laborare. Loquitur autem perinde ac si eorum cogitationes dum scriberent, haberet perfectas. Sed pergit.

GAR. *Alia igitur illius siue silentij, siue paræ declarationis cause inquirenda sunt, quæ duæ sine dubio esse potuerunt. Nam primum eo tempore scribebant, cum nondum in controuersiam distinctè vocabatur, an peccatum Adami posteris imputaretur. Scilicet nondum Socini hæresis, aut Arminianorum secta caput exeruerat. Et Anabaptista peccatum originale simpliciter negabant, non autem hanc doctrinæ partem speciatim exagitabant. Cum omnia ex hac parte in tuto essent, minus accurarunt huius doctrinæ fundamenta latiùs exponere, qui in alijs capitibus molestos experiebantur Aduersarios.*

PLAC. Clamat Vir doctus negasse Pelagianos Adæ peccatum imputari posteritati, in quâ quæ negatione hæresis eorum partem sitam esse contendit. Atqui iam pridem exorti fuerant Pelagianii, eorumque errores maximi illi Viri secuti Augustinum aliosque Patres diligenter confutant. Est igitur prorsus nulla hæc prima causa.

GAR. *Et verò simile quid in aliâ causâ respondere solitos, qui in hac nobis aduersantur, non est ignotum. Disputantes enim aduersus Socinum pro necessitate Satisfactionis Christi, non modò necessitatem eam ex suppositione decreti diuini astruunt, sed abso-*

lutè necessariam fuisse docent eam satisfactionem, ut velint non fuisse alium modum possibilem, quo saluaremur à Deo, aliis tamen serfus Caluino. &c.

P L A C. Satisfactionis necessitatem quidem credimus, sed tamen cum hâc limitatione, quantum animus noster capere potest. Nam alioqui infinitas esse scimus Diuinæ scientiæ abyssos, eiusque vias inscrutabiles. Fateor etiam cum Marty, e salutem humanam multis alijs rationibus & vjs, modo *Dens voluisset*, parari potuisse. Quid enim quominus quicquid voluit daret effectum potuisset impedire? Sed tamen reuera talem satisfactionem putamus eius virtutes flagitasse; itaque necessariam affirmamus. Quid hoc causæ nostræ nocet? Dicimusne hæresim quandam extitisse ante Caluini & Martyris tempora, in negatione illius necessitatis consistentem, ut vult Vir doctus Pelagianam hæresim in negatione imputationis immediatæ, saltem ex parte, positam fuisse? Si qui simul & negarunt absolutam satisfactionis necessitatem, & crediderunt satisfactionem, num propterea minùs totam & integram satisfactionem habuerunt? Nimirum necessitas satisfactionis nec pars est satisfactionis, & in satisfactione includitur. At peccatum imputatum putatur ab ijs, qui nos oppugnant, planè necessarium, ac peccati originalis primariam & præcipuam partem; ex quo sequitur, eam, cum definitur, cum tractatur peccatum originale, omitti non debere: alioqui pro toto pars tantùm describeretur, & pro integro peccato originali non haberetur peccatum originale nisi mutilum & præcipua ac prima sui parte truncatum. Non est igitur simile id quod Vir doctus nobis objicit tanquam simile.

G A R. *Adiungamus etiam alteram causam. Nimirum aduersus recentem & πολλοῦ ἀριθμοῦ Pontificiorum quorundam ac nominatim Alberti Pighij & Ambrosij Catharum sententiam in illis renascentis Euāgelij principijs seriam operā collocari cōsentaneum erat, ne nonis phaleris & fucis ornatus Pelagianismus obtruderetur. Illi enim ne quid Pelagianum sapere viderentur, peccati Originalis doctrinam se ambabus vlnis amplecti profitebantur: sed ubi in rem præsentem ventum erat, totam illius peccati naturam sola imputatione, siue reatu primi Adæ peccati definiebant: internam nullam & nativam atque inhærentem à conceptione corruptio-*

nem agnoscebant. Itaque disceptantes aduersus eiusmodi sententiã Caluum, Martyrem, & alios nihil erat opus in ijs explicandis aut probandis accuratiùs immorari, de quibùs nulla tum agitabatur controuersia, & quæ Aduersarij non modo prolixè largiebantur, sed & quibuscunque poterant rationibus firmabant, &c.

PLAC. Hoc quicquid est caulæ retorquco. Erat enim opus, quandoquidem Aduersarij imputationem affirmabant, corruptionem negabant, vt illam *Caluinus, Martyr, &c.*, concederent, hanc probarent, eâque ratione quod non esset controuersum à statu quæstionis separarent. Deinde, non aduersus solos illos Pontificios disputabant, sed aduersus Pelagianos, aliosque in negotio religionis errantes. Tum, an propterea tradenda erat doctrina de peccato originis imperfecta? an propterea definitiones conficiendæ definito angustiores & quæ illius partem tantummodo minùs præcipuam explicarent? Denique, an propterea ea argumenta contra Pighium erant afferenda, quæ imputationem refellerent? De manibus enim maximorum illorum virorum omnia fere illa argumenta accipi, quibus imputationem immediatam primi Adæ peccati actualis impugnaui.

GAR. Enimuerò illud tertio loco adijcimus, non esse quod existimemus incomparabiles illos viros imputationem primi peccati, reatum propter Adæ inobedientiam, defectionem in lumbis Adæ, irrogationem pœnarum propter Adæ delictum, aut ignorasse, aut negasse, aut pro derelicto habuisse. &c.

PLAC. Hic quoque vides, pie Lector, id quod passim obseruari potuit, Virum doctum peccare ignorantia elenchi. Do enim libenter incomparabiles illos Viros agnouisse imputationem primi peccati, immediatam, si per primum peccatum intelligitur propagata corruptio; mediatam, si primum Adami peccatum actuale intelligitur; reatum propter Adæ inobedientiam quæ intra nos est, proximè, & reatum propter Adæ inobedientiam quæ extra nos in Adam fuit, remotè seu mediante corruptione: defectionem in lumbis Adæ, quatenus ex eius lumbis quàm naturam tam naturæ defectionem seu vitiositatem per carnalem generationem traximus: irrogationem pœnarum propter Adæ delictum, nempe mediante cor-

ruptione quæ pœnas illas meretur immediatè. Quid opus fuit id probare quod ultro concedimus? Si verum est quod supra dixit c. 1x. §. pag. 29. & nos iam notauimus p. 21. *Lapsus primi reatus ad nos non peruenit nisi mediante corruptione, quod cum Caluino agnoscimus, cum sibi constiterit Caluinus, frustra in eius libris quæruatur loca, quibus impugner. Ut sit finis, Caluinus in causa n & originem corruptionis diligenter inquit Inst. lib. 2. c. 1. §. 6. Etamque Dei aëtionis seu imputationi iudiciariæ plurimum abest vt tribuat. Itaque quæcunque ex Caluino vndique corrasit, ea cum mea sententia vel iam satis conciliata sunt, vel faciliè conciliari posse videntur; vt ijs expendendis nihil opus sit hunc librum longiorem facere. Vnum tamen prætermitti non debet, conatur probare corruptionem dici pœnam à Caluino proprè, non autem ob eas causas quas commemoravi supra pag. 185. Nam, inquit, cum ea sit propriè dicta pœna, quæ à iudice infligitur in vindictam criminis: Caluinus autem hanc pœnam in nos derivari doceat à Deo iudice, & eam vocet vindictam & seueram ultionem, ex iudicio & iustitia Dei procedentem, dubium nemini esse potest, quin de pœna propriè dicta locutus fuerit, ac proinde imputationem agnouerit. Sed fallitur: Non enim eiusmodi pœnæ nomine intelligenda est Corruptio, sed quæ Corruptioni debetur maledictio, seu pœna. Videtur enim respexisse ad illa Caluini verba Inst. lib. 2. cap. 1. §. 4. Quia verò non leue delictum, sed detestabile fuisse scelus oportet quod tam seuerè ultus est Deus, species ipsa peccati in lapsu Ada consideranda nobis est, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus. Cur enim id non accipiamus eodem modo, quo illud Rom. 5. 15. Vnius delicto multi mortui sunt, accipi vult idem Caluinus? Quod, inquit, vnius delicto peruisse nos tradit, sic accipe: quia ex ipso in nos corruptio transfusa sit. Neque enim sic perimus eius culpa, quasi extra culpam ipsi simus: sed quia eius peccatum, peccati nostri causa est, exitium nostrum illi Paulus adscribit. Delictum igitur Adami horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus, quia sese diffudit & propagauit in totum humanum genus. Vniuersum enim suum semen Adamus ea in quam lapsus est vitiositate infecit. Atque ita instillata ab ipso lues in nobis, residet, cui*

jure pœna debetur, & ob talem duntaxat corruptionem damnati merito conuictique coram Deo tenemur. Alioqui, cum pœna, quæ vindicta est, sit satisfactoria, pœnam satisfactoriam aliquam in hoc seculo sustineremus; id quod an sit Calvini & Ecclesiæ Reformatæ doctrinæ consentaneum, tibi, Lector æquissime, iudicandum relinquo. Plura non addam, neque reliquam testimoniorum farraginem, quam vndecunque poterunt Viri docti conquisiverunt atque congefserunt velut in aceruum, excutiam & sigillatim expendam; quædam à meis stant partibus, quædam neutris fauent, non pauca mihi aduersantur; quæ tamen, si omnia à me dissentirent, non putarem anteponenda esse testimonijs Scripturæ, argumentisque quibus nitor, quantum quidem capere possum, planè necessarijs.

CAPVT XIV.

*Respondetur ad Cap. viii. & ostenditur
Ecclesiam Romanam non consensisse
in illam imputationem.*

PARVM abest quin hîc exclamem, ô tempora
ô mores! vbinam gentium sumus? Reformati,
Euangelij Ministri, qui solam Scripturam audiendam
clamant, qui ne Patrum quidem testimonijs agi cau-
sas Pontificias volunt, hi apud Reformatos, Euange-
lij Ministros, Theologiæ Professores, non modò Pa-
trum antiquorum, sed priuatorum hujus & præce-
dentis sæculi Doctorum, sed Pontificiorum etiam
ipsorum authoritate pugnant! sed nolo hoc tuum
consilium exagitare: obest enim causæ tuæ, quam
Scripturæ & testimonijs, & argumentis destitui oportet
confugientem ad contractam arundinem Pontifi-
SS

cij consensus. Fateor ex quorundam Pontificiorum affricu quosdam ex nostris istum errorem contraxisse : sed factum est, nescio quomodo, vt magis in nostros grassaretur, quàm in Pontificios. Non est enim quod de Pontificiæ Ecclesiæ consensu glories, non modò quia nulla est eius apud nos authoritas; sed quia non sentit tecum. Non certè Concilium Tridentinum, vt vel legenti manifestum est; Nec satis mirari possum, quo consilio fuerit à te, & quidem cum elogio, laudatum. *Non Magister sententiarum*, cujus hæc verba contra te citas distinet. 32. *Querit*, inquis, *qua iustitia anime munda ex creat sine peccatum imputetur, & respondet*, *Ideo rectè potest dici imputari anime illud peccatum quod ex corruptione corporis inuitabiliter trahit*. Non enim ait anime imputari peccatum actuale Adami, sed illud peccatum quod ex corruptione corporis inuitabiliter trahit? Quod autem illud est peccatum, nisi originale, quod perpetuo Lombardus à peccato actuale Adami distinguit, & negat esse actuale, & in concupiscentia cum Augustino collocat, & de eo intelligit Apostoli verba *peccatum intrauit in mundum*, item, *peccatores sunt constituti multi*; & refellit eos, qui putabant peccatum originale esse reatum pænæ pro peccato primi hominis, & qui verba Apostoli, *per unum hominem peccatum intrauit in mundum*, de peccato actuale Adæ acceperunt, hos ait fuisse Pelagianos. Lege si placet eius distinet. 30. *Non etiam Thomas*. Nam quæ citas ex 1. 2. q. 81. a. 1. iam expendi, & quàm tibi non foueant ostendi. Quæ autem allegas ex summa contra gentiles, eodem spectant, vt nimirum imputationem iuuant corruptione posteriorem. Concilio Tridentino, Lombardo, &

Thomæ addis, non sine elogio, Bellarminum tibi in speciem magis quàm re ipsa fauentem, præterea neminem. Ego verò, vt intelligas quàm non sit tibi gloriantium de consensu Ecclesiæ Romanæ, proferam contra te duos aut tres testes. Prodeat primus Anselmus Abbas, Archiepiscopus, Abbate Bernardo, quem tu sanctum appellasti & inter Patres numerasti, aliquot annis antiquior, Negauerat Deum filijs imputare peccata parentum, atque vserat verba Dei apud Ezechielem, Filius non portabit iniquitatem patris, Hinc nascebatur objectio de peccato originali, cui sic occurrit. *At si obicitur, inquit, quia omnes qui non saluantur per fidem, que est in Christo, portant iniquitatem & onus Adæ, vt per hoc velit probare infantes, aut aliorum quoque parentum iniquitatem similiter debere portare, aut illius non debere, consideret diligenter, quia non portant peccatum Adæ, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantum; quia differunt, vt dictum est: illud enim fuit causa, istud est effectus: Adam caruit debita iustitia, non quam alius, sed quam ipse deseruit. Infantes carent ea, non quam ipsi, sed alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ & infantum; Et cum dicit Apostolus, quod suprâ posui, quia mors regnauit ab Adam vsque ad Mosem, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuarcationis Adæ, sicut significat infantum minus esse quàm Adæ peccatum, ita aperte monstratur aliud esse. Quapropter cum damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, sed suam, quamuis ideò dicatur portare quia iniquitas illius peccati istius causa fuit.*

lib de
Concep-
tu
virtutis &
peccato
origin.
cap. 2

Huic qui Patribus accensuri potuit, subjungam Ie-

Com.
in Rom.
V. 19.

fuitam Iustinianum de Chrysofomi, & Concilij Tridentini, & sua ipsius sententia testimonium perhibentem. Chrysofomus, inquit, *id solum contendit non esse nos reos ob illud ipsum Ade peccatum, quod ab illo patratum est, quod verissimum censeretur; quandoquidem originale peccatum, ut tridentinum Concilium definit, origine quidem unum, sed propagatione transfusum in omnes inest unicuique proprium, ac suum. Isti comitem dabo Estium primarium in Academia Duacena Theologiae Professore, Comment. in Rom. cap. v. vers. 12. Peccatum, inquit, accipitur generaliter; sed proprie tamen, ut significet id omne quod veram culpe rationem habet, siue quid aliud: sed hic verificatio fit de peccato quod propagatur, id est, de peccato originali. Hoc autem non est ipsa actualis Ade transgressio, qua non nisi in illo esse potuit, & in eo deleta fuit per paenitentiam, sed peccatum in quo, & cum quo singuli eius posterius nascuntur: quod etsi Ade peccatum sit, id est, eius voluntate factum, ideoque & origine unum: propagatione tamen transfusum omnibus inest, unicuique proprium, quemadmodum loquitur ac definit tridentina Synodus Canone tertio. His, si opus esset, Stapletonum, aliosque subjungerem: sed piget me in eiusmodi hominum testimonijs vel conquirendis, vel describendis bonas horas inutiliter collocare. Tu, si mihi credes, in posterum missis humanis praesidijs ad diuina oracula te conuertes, ijsque contentus eris, quae quicquid nobis est ad salutem credendum & plene, & perspicue reuelant.*







